VINDICIAE POLITICAE ADUERSUS PSEUDOPOLITICOS, QUI...

Heinrich Wangnereck

Digitized by Google

NAZIONALE
EMANUELE
6
2 G
33

14-3-a-93

44.5.02

II
16
D

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIÆ POLITICÆ *ADVERSVS* PSEVDOPOLITICOS,

Qui

GASPARE SCIOPPIO

In

PÆDIA POLITICES

Suppetias Pſeudologicas ferente,

FINEM ET MEDIA VERÆ POLITICES

corrumpunt,

AVCTORE

HENRICO VVANGNERECK SOCIETATIS IESV

Theologo.

Cum Priuil. Sac. Cæſ. Maieſt.

DILINGÆ,

Operis CASPARI SVTORIS.

ANNO M. DC. XXXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
DOMINO, D.
GVIDONI
S. R. E. CARDINALI
BENTIVOLO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA • VITTORIO EMANUELE •

SI illi, qui olim ſcripſerunt, hodiequé ſcribunt, *Rempublicam regi ſine iniuriâ non poſſe*, eodem omnes animo forent, quo Pilus apud Ciceronem, lib. 3. de Repub. erat, cum ad Iuſtitiam luculentiùs commendandam, iniquitatis partes tuendas ità ſuſcepit, vt ſimul ſeriò ſe purgaret, ne quod dicebat, ſentire crederetur: nihil cauſſæ habuiſſem, cur in hiſce Vindicijs elucubrādis deſuda-

S. Auguſt. l. 2. de ciuit. Dei c. 21.

Digitized by Google

rem, eaſque Eminentiæ Veſtræ inclito nomine præmunirē. Quamuis enim Pilus ſedulò pro iniuſtitiâ contra juſtitiam agerę viſus eſt, vt illam eſſe vtilem Reipublicæ, hanc verò inutilem, veriſimilibus rationibus, & exemplis oſtenderet: eò tamen diſputationem omnem retulit, vt poſtea Lælius juſtitiam defendere aggreſſus, tanto luculentiùs veritatem ex contrarijs erroribus euolueret, illuſtraretque: nec dubij quidquam ſupereſſe pateretur, quin veriſſimum eſſe appareret, quod pridie Scipio affirmârat, *ſine ſummâ iuſtitiâ Rempublicam regi non poſſe.*

Sed non perinde, vt Pilus aduersùs Scipionis & Lælij ſententiam, ità illi erga iuſtitiam & probitatem affecti ſunt, qui ad veritatis virtutiſque patrocinium, animum calamumque meum commouerunt. Hoc enim opus illorum,

PRÆFATIO AD LECTOREM.

VIndicias ſcribo Amice Lector, aduerſùs non adeò recentes iniurias; & more veteri vindicias à te poſtulo, ſecundũ libertatem veræ Politices, quam in ſeruitutem iniquitatis & improbitatis, Pſeudopolitici omni ſtudio redigere laborârunt, poſtquam ſuperiori ſeculo Nicolaus Macchiauellus, fallaci peſtilentiq; calamo, Pſeudopolitiæ pretium & autoritatem feciſſe auſus eſt. Quam ob cauſſam viri publici boni amantes, editis libris ſaluberrimum iuſtiſſimumq; bellum, pro verâ Politicâ ſuſceperunt.

Ex his ſunt, Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Compſanus, Diſputatione de libris à Chriſtiano deteſtandis, Ioannes Molanus, Ioannes Boterus de Ratione Status, Petrus Ribadeneira in Principe Chriſtiano, Scipio Amiratus in Diſſertationibus Politicis ad Tacitum, Hieronymus Oſorius Epiſcopus Hiſpanus lib. 3. de Nobilitate Chriſtianâ, Antonius Poſſeuinus in Bibliothecâ ſelectâ, Iuſtus Lipſius in libris Ciuilis doctrinæ, ad Lectorem, & lib, 2, c. 14, *aliiq;, etiam à* *Macchiauelli oppugnatores.*

Catho-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Catholicâ fide alieni. Qui omnes Macchiauellum, veluti Religionis, virtutis, iuſtitiæ, ac veræ Politiæ hoſtem capitalem, bonis plaudentibus oppugnare aggreßi ſunt.

Scioppius Eroſtrato ſimilis.

Non tulit hanc Pſeudopoliticorum ſtragem Gaſpar Scioppius, ſed malo aliquo genio & mentis vertigine actus, afflictas partes rurſus erigendas putauit; vt ſimilem credo, nominis celebritatem, qualem Eroſtratus ex incenſo Dianæ Epheſinæ templo affectabat, ipſe ex veræ Politices ruinâ, bonorumq́ ſcriptorum calumnijs compararet. Eo fine, vt in orbis Chriſtiani theatro, eò proteruiùs quò ſpecioſiùs, bonis & eruditis omnibus illuderet, Anno M.DC.XXIII. Romæ ex Typographiâ Andreæ Phæi, tractatum emiſit cum hâc inſcriptione:

Gaſparis Scioppij Cæſarij & Regij Conſiliarij, Pædia Politices, ſiue Suppetiæ Logicæ ſcriptoribus Politicis latæ. Aduerſus ἀπαιδευσίαν & acerbitatem Plebeiorum quorundam judiciorum. Ad Ludouicum Ludouiſium S. R. E. Card. & Camerarium.

§. I.

AD LECTOREM.

§. I.

Macchiauelli defenſionem in Pædiâ Politices, Scioppio præcipuè propoſitam fuiſſe.

HVnc infelicem partum, viginti non amplius pagellas complexum, ſuperiori anno ab amicâ manu accepi, & auidè perlegi. Neq; aliud reperi, quàm quod animus præſagiebat, Macchiauelli defenſionem erroribus, impoſturis, & arroganti imperitiâ refertam. Etſi verò inauſpicatum clientis ſui nomen, infelix aduocatus nuſquam exprimat, non aliud tamen patrocinium ipſi magis propoſitum fuiſſe, claris argumentis liquet.

Nam in Macchiauellum inprimis, velut Pſeudopoliticorum Principem, ij autores quos laudaui, alijq; confertim impetum faciunt: reliquos, vt Ioannem Bodinum, Philippum Mornæum, Militem de Lanoue, *aliaſq; ciuilis diſciplinæ peſtes, vix aliqui, nec pugnâ tam decretoriâ adoriuntur. Nulla videlicet duce proſtrato, aduerſus reliquos pugnandi eſt neceſſitas, aut difficultas. Hunc ergo inter optimos perfectiſſimoſque Politicæ Doctores, præcipuè numerat, & ab imperitis Cenſoribus, vti criminatur, vindicandum ſuſcepit.*

Conſtat

Digitized by Google

Sciopp[ius] Macchiauelli ſemper ſtudioſus.

Conſtat deinde eundem Grammaticum, Pſeudopolitici huius ſemper maximè ſtudioſum fuiſſe. Memini, cum viginti abhinc annis Ingolſtadij, Macchiauelli improbitatem in theatrum iuuentus Academica produceret, Scioppium tum in eâ vrbe commorantem, acriter indignatum, & multa veluti de iniuriâ innocentiſsimo homini publicè illatâ, queſtum eſſe.

Plura pro illo ſcripſit.

Compertum mihi adhuc eſt, clariſsimi conſultiſsimiq́ue viri teſtimonio, eundem antehac in Macchiauelli defenſione elaborâſſe, & alia pro ipſo præter has ſuppetias ſcriptitâſſe, quæ lucem non aſpexerunt. Ea duobus illis libris comprehenſa veriſimile eſt, quos operum ſuorum Catalogo, typis vulgato, ità inſcribit: Cenſura in omnia Nicolai Macchiauelli opera Politica & Hiſtorica. Cuius Cenſuræ vſus eſt, vt nemo niſi volens & ſponte ſuâ improbus, librorum Macchiauellicorum lectione, ad nequitiam & Pſeudopoliticorum impoſturas abduci poſſit. *Item.* Macchiauellica, Hoc eſt, Apologia duplex. Quarum priore Eccleſiæ decreta de Macchiauelli libris defenduntur. Poſteriori innocentia eiuſdem Macchiauelli, aduersùs Caluiniſtas præcipuè, Italici nominis hoſtes,

ſtes, propugnatur. *Nihil ergo cauſſa eſt, cur dubitemus idipſum à Scioppio in Padiâ Politices tectiùs agi, quod in hiſce duorum librorum titulis apertè profeſſus eſt.*

Solutiones præterea, & excuſationes ex ore Scioppij iactari ſolitas, ipſiſſimas hic deprehendi. Vix ſanè Padia Politices, Romæ in lucem per cuniculos prorepſerat, cum quidam ex Italiâ reduces, eam in Germaniam intulerunt, & velut in Macchiauelli patrocinium ſcriptam, proclamârunt.

Ea quoque verba id perſuadent, quibus in epiſtolâ ad Cardinalem Ludouiſium, Politicorum quorundam præcepta, conſcio atque anuente Pontifice, Romæ primùm edita, ſe tueri ſignificat: *Macchiauelli vtique, cuius ſcripta Romæ primùm prodijſſe aſſeruntur, etſi eam editionem mihi videre non contigerit.*

Validiſſimum denique argumentum illud eſt, quod doctrina à Scioppio hiſce ſuppetijs defenſa, ex Macchiauelli ſententijs, imò & verbis expreſſa eſt, vt ſuis infra locis demonſtrabimus. Ex ore itaque ſuo atque ſenſu Macchiauellus, hìc reus eſſe conuincitur, cui aduocationem Scioppius præſtare auſus eſt.

Hanc igitur Padiæ Scioppianæ ſummam,

Digitized by Google

cum eſſe intelligerem, tam ferreus non fui, vt animum & calamum tenerem: quin aduerſus iniquiſſimas Suppetias, Vindicias optimo iure reponerem, eas ob cauſſas, quas nemo bonæ mentis non idoneas iudicârit.

§. II.

Scriptionis Cauſſæ.

Eccleſiæ violata autoritas.

COmmouit me primùm Eccleſiæ & ſummorum Pontificum violata autoritas, quâ cum Nicolaus Macchiauellus in Indicem Librorum prohibitorum, inter primæ claſſis autores relatus, nec vnquam inde exemptus fuerit: indignum arbitrabar à Grammatico literione, ſummorum Pontificum ſententiam improbi ſcriptoris defenſione conuelli, & iniquitatis vel erroris non obſcurè damnari: quod Macchiauellum, qui cauſſid. ci huius ſententiâ non minus innocenter, quàm Ariſtoteles & S. Thomas, res Politicas tractauit, in infames veluti Caritum tabulas retulerint.

Vanum verò eſt, quod Scioppius, Apologiam duplicem inter libros ſuos recenſet, quarum priore Eccleſiæ decreta de Macchiauelli libris defenduntur; poſteriori innocentia eiuſdem propugnatur. *Non poſſunt Eccleſiæ decreta defendi à Scioppio,*

qui

qui rectè ea à Macchiauello ſcripta contendit, quæ damnata, damnandaq́ eſſe demonſtrabimus. Neq́ aduerſus Caluiniſtas præcipuè pugnat, qui veræ Religionis virtutiſq́ præcepta ex Chriſtianâ Republicâ proſcribit.

Quare cum Indicem librorum prohibitorum, autoritate Concilij Tridentini confectum, a Pio IV. primum editum, à Sixto V. auctum, & Clementis VIII. iuſſu recognitum, Eccleſiaſticæ legis vim hucuſq́ obtinuiſſe, non ignorarem: quod res erat ſuſpicatus ſum, non niſi inſigni fraude factum eſſe, vt Suppetiæ æternis tenebris dignæ, in lucem Romæ prodierint. Neq́ opinione meâ falſus ſum; ſed poſtquam Romanæ Cenſuræ, debitâ reuerentiâ ductus, rem certius explorare ſtudui, literis Romæ ſeptimâ Iulij, Anno 1634. ſcriptis, hoc reſponſum accepi: Magistro sacri Palatii minime ingratum futurum, si Pædia Scioppii refutetur; contra enim mentem ipsius, et subdole fuisse editam et subreptitie, &c. *Quare tantò magis, ad vindicandã hanc Romanæ etiam cenſuræ contumeliam exarſi, ne vllum in eius autoritate, erroribus ac fraudibus præſidium aut patrociniũ repoſitum eſſe, quiſquã exiſtimet.*

Pædia Scioppij ſubreptitia edita.

Vt olim Macchiauelli & Eraſmi ſcripta.

Iiſdem artibus ſuperiori ſeculo, ipſius Macchiauelli editio & quorundam Eraſmi operum commendatio, Vrbi & Orbi obrepſit. Obreptionis enim fallaciâ, non illorũ quibus diuina veritas ſuprema lex eſt, culpâ id contigiſſe, ſubſequens eorundem autorum damnatio oſtendit. Nouum non eſt homines improbos, virtutis ſpecie, vel eruditionis famâ ac fallaci ſæpe præiudicio, patrocinium & commendationem ſibi comparare. Cum enim malefacta fraudibus, & errores nouos præſertim, ambiguis dulcibuſq; verbis tegant, in oculos illi animoſq; non incurrunt, vel in meliorem partem dicta creduntur, quæ deterrima eſſe poſtea apparent.

Nullum inde fidei periculum.

Neq; hinc fidei Catholicæ quicquam decedit, cuius ſummi Antiſtites & interpretes, cum decretoriam diuinæ veritatis regulam adhibent, nec falli, nec fallere poſſunt. Secùs eſt, cum viri docti, aut vltro, aut ex officio quidem ſententiam ferunt: ſed non eâ autoritate, quàm in fidei decretis, Summi Pontifices & Concilia generalia, certam & indubitabilem à Deo acceperunt.

Non ſolùm itaq; grauiſſimi criminis reus eſt Scioppius quod ſpecioſis verbis, varyſq; fallacijs improbitati pretium facere & patrocinium quærere auſus ſit, ſed ideo vel maximè,

ximè, quod errores à Sapientiſsimis viris cenſoriâ virgulâ notatos, damnatoſq; contra ius & fas in publicum protruſerit: laudatiſsimi Cardinalis Ludouici Ludouisij, cuius memoria in benedictione eſt, *nomine & patrocinio abuſus. Cui ſi Sycophantiæ ſuboluiſſent, in malam rem illarum autorem amandâſſet, neq; nomen ſuum infamibus pagellis præſcribi paſſus fuiſſet.*

Ità S. Auguſtinus, cum Pelagij Romæ conſtituti, nomen cum magnâ eius laude cognouiſſet, eiuſdem literis amiciſsimâ epiſtolà reſpondit, quam in Synodo quatuordecim Epiſcoporum, in cauſſæ ſuæ aliquod ſubſidiũ protulit. Sed cum S. Auguſtinus inimicum gratiæ Dei abſolutum, & Catholicum pronuntiatum eſſe cerneret, libro de geſtis Pelagij *conſcripto, Patres ab illo circumuentos eſſe demonſtrauit.* Neq; hoc dicens, *ait c. 21.* iudicium arguo, vel negligentiam, vel conniuentiam, vel quod ab eis longè abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam: ſed eorum iudicio pro merito, approbato atq; laudato, Pelagius tamen apud eos, quibus ampliùs certiusq; notus eſt, non mihi videtur eſſe purgatus. *S. Auguſtinus à Pelagio deceptus*

Alia enim ſibi verè obiecta falsò negauit, *Idem Pela-*

gius 14. Epiſcopos decepit.

uit, alia fallaciter explicauit, alia demum ne damnaretur, verbis non animo damnauit. Proinde Pelagius, de quorumlibet ſanctorum amicitiâ ſe iactauerit, quorumlibet de ſuis laudibus literas legerit, quælibet purgationis ſuæ geſta protulerit: niſi ea, quæ contra Dei gratiam, quâ vocamur & iuſtificamur, poſuiſſe in libris ſuis idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizauerit: ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit, & diſputauerit, nequaquam his, quibus pleniùs notus eſt, videbitur eſſe correctus, *ait idem S. Auguſt. ib. c. 29. Quæ quibus mutatis, & quouſq; in Scioppium Macchiauelli ab Eccleſiâ damnati, patronum conueniant, cum Sapientes facilè intelligant, non eſt cur vlterius immoremur.*

Ariſtoteles & S. Thomas altera ſcriptionis cauſſa.

Alteram Scriptioni cauſſam dederunt Ariſtoteles & S. Thomas, ex quorum præceptis & exemplo, Pædiam hanc deformatam eſſe, *ad Cardinalem præfatur. Quæ improba fallacia, talis mihi viſa eſt, vt facilè ferendam non arbitrarer. Cum enim alter naturæ, alter fidei doctrinam ſummâ cum laude ac gloriâ illuſtrârit, indignum facinus eſt, eos cum vtriuſq; corruptore Macchiauello, comparari: & vel hunc cum illis innocentem.*

centem, vel illos cum Macchiauello nocentes videri. Huc enim deniq; euadit cauſsidici huius defenſio vt ſi paria illos ſcripſiſſe euicerit, neceſſe ſit vel Ariſtotelem & S. Thomam, in Indicem librorum prohibitorum referri, vel Macchiauellum inde eximi, & prioris ſententiæ infamiâ liberari.

Impulit me deinde, illorum quoq; Scriptorum læſa exiſtimatio, quos initio recenſui. Quis enim ferat viros dignitate, religione, eruditione celebres, libriſq; editis de re Chriſtianâ præclarè meritos, non ſolùm apædeuſiæ & imperitiæ, verùm etiam iniqui in Eccleſiam Romanam animi, reos proclamari? Hoc Scioppius egit, cum in dedicatione ad Cardinalem Ludouiſium ſcribere auſus eſt, ſe ſummo Pontifici *Gregorio XV.* patruo ipſius, cum Mediolani ſuperioribus annis fungeretur legatione, non ſemel in familiari ſermone demonſtrauiſſe, *Macchiauelli ſcilicet aduerſarios,* magnam hinc Eccleſiæ Romanæ inuidiam facere conatos eſſe: quod peſtifera, velut ipſi cenſent, & Regnis Rebuſq; publicis exitioſa Politicorum quorundam præcepta, conſcio atq; annuente Pontifice Romæ primùm edita, atq; à pluribus deinde Pontificibus tolerata, ingentes in orbem Chriſtianum ca-

Læſa exiſtimatio bonorum ſcriptorum.

Digitized by Google

lamitates inuexerint. *Et ſub epiſtolæ finem iactat*, hanc Artis pædiam ex ipſius Ariſtotelis & D. Thomæ præceptis, & exemplo eſſe deformatam, & illorum peritiæ potiſſimùm oppoſitam, qui per latus ſcriptorum Politices, Apoſtolicam ſedem ſauciare, & autoritatem Eccleſiæ Romanæ diluere conantur.

Sed nemo, cui cor ſapit, credet Gegorium XV. (qui quantus vir ante Pontificatũ fuerit, in Pontificatu oſtendit) ſibi à Scioppio perſuaderi vnquam paſſum fuiſſe, ſcriptores ſupra laudatos, in Macchiauello oppugnando, Eccleſiæ Romanæ inuidiam facere, *aut* per illius latus Apoſtolicam ſedem ſauciare, & autoritatem Eccleſiæ Romanæ diluere voluiſſe aut potuiſſe. *Cum enim Macchiauellus Eccleſiæ Romanæ, & veræ Religioni apertè aduerſetur, vt libro tertio apparebit: neceſſe eſt illis autoritatem Pontificiam & Religionem Chriſtianam, maximè cordi ac curæ fuiſſe, qui pro vtrâq; aduerſus vtriuſq; hoſtem depugnârunt.*

Scioppij & Macchiauelli idem animus in Religionem & Pontifices.

Scioppium contrà cum hæc ſcriberet, eodem animo in Pontifices & Religionem eſſe oportuit, quo Macchiauellus fuit; qui Eccleſiam Romanam non ſolùm de ſummâ morum corruptelâ incuſat, ſed Religionis quoq;

præde-

præcepta, in ea adulterari & corrumpi, impie conuitiatur; ipſi verò Religioni Chriſtianæ, quod hæreticorum fecit nemo, Ethnicorum ſacrilegam ſuperſtitionem, uti fortiorem & Reipublicæ aptiorem ſacrilege anteponit, quæ ſuo loco ex ipſius verbis ac ſententiis plana fient. Non igitur Scioppius ſeriò, autoritatis Pontificiæ & Religionis Chriſtianæ rationem habuit, quam ſi vllam habuiſſet, tanto ſtudio Macchiauellum oppugnâſſet, quanto eundem defendit.

Neq; immeritò boni ſcriptores, hæc aliaq; Macchiauelli placita ſeu præcepta, peſtifera & regnis Rebuſq; publicis exitioſa eſſe *cenſent,* & ingentes in orbem Chriſtianum calamitates inuexiſſe, *deplorant. Non tamen ideo Pontifici aut Romanæ Eccleſiæ inuidiam faciunt, aut vllam culpam imponunt.* Conſcio & annuente Summo Pontifice, *libri Romæ prodire dicuntur, quia viris Religione & eruditione præſtantiſsimis, cenſuræ officium committit, quod Summâ integritate & ſeueritate exercent. At enim, cum homines ſint & humanâ induſtriâ vtantur, aliquando error, aut dolus obrepere poteſt; etſi id tam rarum ſit, vt merito ſuo Cenſura Romana, ſummam autoritatem toto orbe obtineat. Ipſe Pontifex libros ſingulos*

Romanæ Cenſuræ ſeueritas & integritas.

)( )(5 gulos

gulos non legit, neque ſi velit, poteſt. Neque neceſſe eſt, quibuſuis rebus diuinam illam autoritatem quâ Pontifices & Concilia Generalia pollent, adhiberi. Si quid igitur humanitus, dolo aut errore accidit, nihil inde Sedi Apoſtolicæ, aut Eccleſiæ Romanæ, fidei vel autoritatis decedit: quæ errores & dolos, cum innoteſcunt, damnat & vindicat.

Macchiaueli ſcripta Pontifices non probârunt.

Quis tam inſanit, vt credat vllum Pontificem, ſi legiſſet impias voces, quibus Macchiauellus Eccleſiam Romanam, veramq; Religionem inſectatur, eas toleraturum fuiſſe? Certè cum iuxta decretum Concilij Tridentini, accuratiùs examinata eius ſcripta fuerunt, nullus poſtea Pontificum ea tolerauit; quibus omnibus Scioppius inuidiam facit, & Eccleſiæ Romanæ autoritatem diluit, cum autorem cauſſâ diligenter cognitâ, ab eâ damnatum defendit. Si quæ enim toleratio eam cognitionem anteceſſit, obreptionis argumentum eſt, non approbationis.

Vindiciæ nõ intempeſtiua.

Vindicias igitur debere me credidi bonis ſcriptoribus, quos immani iniuriâ, Scioppius immerentes affecit. Neque intempeſtiuum, aut ſerum videri poteſt, poſt duodecim demum annos obſoletas chartas inuadere; ipſe enim Scioppius poſt plures etiam annos, viris

viris laudatiſsimis piâ morte defunctis, de Macchiauello oppugnato, iniquiſsimam litem mouere auſus eſt: vt tanto æquius ſit eos defendere, quos veluti Leones mortuos canis viuus *inuadit.*

Cuius arrogantia, & falſa victoriæ opinio, nimiùm quantum excreſceret, ſi non vel ſerò, triumphum ante victoriam illum ceciniſſe, aliquis demonſtraret. Quod eò magis neceſſarium eſt, quo latiùs infelices Suppetiæ manârunt, quibus multi perſuaſi magno ſuo, publicoq́ malo Macchiauellum abſoluunt. Hos ſui iudicij pænitebit, vbi cauſſæ iniquitatem cognouerint, & Scioppij in eà defendendâ pudendam malignamq́ inſcitiam, quam in haſce pagellas, velut Epitomen redegiſſe videtur. *Pædia Politices Scioppiana inſcitiæ Epitome.*

Ipſe deniq́ Macchiauellus ſcribendi cauſſa eſt & materiâ præcipua. Cum enim eius defenſione, lauream & triumphum Scioppius Romæ ambiuerit, non potui aduocatum refellere, niſi eiuſmodi reum ab illo defendi oſtenderem, qui nullo iure defendi poſsit. Idque eò libentius feci, quò magis refert Macchiauelli improbitatem eſſe quàm perſpectiſſimam; tanta enim eſt, vt maiorem perniciem veræ Politicæ, & grauiorem Chriſtia- *Macchiauellus præcipua ſcribendi cauſſa & materia.*

 næ Re-

næ Religioni contumeliam, nemo vnquam intulerit.

Quæ Pſeudopolitici antehac omni æuo, ſcelerate factitârunt, ea Macchiauellus in formam artis redactâ, appensâ ſceleribus vtilitatis honeſtatiſq; hederâ, pro vera Politicæ præceptis, orbi tradidit & commendauit. Vt verò propoſiti compos fieret, Finem & media Politicæ corrupit, illum in bonis fortunæ collocando, & in horum numerum fanda nefanda, nullo diſcrimine recipiendo, modò dominationi conducant.

Finem & Media Politices corrupit.

Quæ duo, cum non ita multi aduerterent, ſententia apud quoſdam inualuit, non adeò publico bono repugnare Macchiauellum, & ſupra meritum vituperari, multa enim Principibus & Rebuſpublicis ſalutaria tradidiſſe. Sed vti partibus præcipuis corde & cerebro vitiatis, nihil in humano corpore ſanum eſt: ita nihil ſincerum & omni ex parte ſalutare ea doctrina habere poteſt, quæ duo actionum humanarum, principia Finem & media deprauat, quod à Macchiauello factum eſſe, Vindiciæ noſtræ monſtrabunt.

Cæterum cum vniuerſim ea Pſeudopolitiæ ſit natura, vt Finis & Mediorum legitimas rationes conturbet, Vindicias haſce noſtras,

ſtras, generatim aduersùs omnes Pſeudopoliticos, eorumq́ Cauſsidicum Scioppium ſcripſimus & inſcripſimus, etſi Macchiauellus præcipua pars ſit noſtri laboris. Sed qui hunc nôrit, omnes nôrit, cum illo enim reliqui Pſeudopolitici factis & ſententijs, velut in velabro olearij, *conſentiunt. Ut enim vera Politica eſt* vera ars imperandi & parendi, ſecūdum regulam virtutis, *ita Pſeudopolitica eſt* falſa ars imperandi & parendi, ſecundum regulam vanitatis & ſuperbæ dominationis. *Quam qui amplectuntur, eos neceſſe eſt à fine & medijs veræ Polítices deflectere, adeoq́ eadem cum Macchiauello ſentire & factitare.*

Qui hunc nôrit, omnes Pſeudopoliticos nôrit.

Cuius præcipuos quoque aduerſus Religionem & Eccleſiam Romanam errores atque calumnias, pleriſque Pſeudopoliticis communes eſſe exiſtimamus: vt videlicet dominationis ſeu ſtatus cauſsâ, ſcelera neceſſaria & honeſta putent, de fato & DEI prouidentiâ non rectè, de Religione impiè, eiuſq́ præſidibus & miniſtris abiectè, ſentiant. Huc enim prolabi eos, qui diligunt vanitatem & quærunt mendacium, *procliue & propè neceſſarium eſt.*

Iiſdem errores contra Religionem communes.

Nam ſi rectè de Religione & virtute ſentirent, validis frænis vtraque improbita-

tem

tem cohiberet, & acribus ſtimulis conſcientia animum ad meliora vrgeret. Quare, vt hâc ſcelerum remorâ, & moleſtiâ ſe liberent, ea quorum metus aut reuerentia obſtare poſſet, inter fabulas falſò reponunt, ſibiq; infelicium fabularum autores fiunt. Sed quanto in errore verſentur, & ipſi olim ſentient, cum æternitas oculos aperuerit; & præclari ſcriptores, pro quorum honore pugnamus, antehac demonſtrârunt; & nos pro virili, poſtremo Vindiciarum libro, explicare conabimur.

§. III.

Scriptionis modus & genus.

Vindiciarū Summa.

HAbes amice Lector ſcriptionis cauſſas; nunc modum & genus accipe. Tres Vindiciarum libros fecimus. Primus *Religionis & Virtutis præcepta, à Politicâ aliena non eſſe oſtendit.* Secundus *Pſeudopoliticorum, & Macchiauelli inprimis præcepta, à verâ Politica alienarefellit.* Tertius *eadem Religioni & Eccleſiæ Romanæ, aduerſari demonſtrat.*

Scioppij textus integer poſitus.

Integrum Scioppij textum, vt in editione Romanâ expreſſus eſt, plures in partes prout Methodus poſcebat diſtributum, ex fide inſeruimus, ne verbulo quidem dempto, vel addi-

addito. Scioppij verba Suppetiarum *titulo, noſtra* Vindiciarum *inſcriptione indicamus. Capita in* Paragraphos *partimur, claritatis gratiâ, & ne prolixitas faſtidium pariat.*

Ratione præcipuè pugnamus; autoritate quantum ſatis eſt, vtimur, nec aliorum ferè, quam SS. Scriptura, S. Auguſtini, S. Thomæ & Ariſtotelis; quibus enim iſti non ſufficiunt, illorum inſaniam neque integer teſtium exercitus expugnabit. Neque Bibliotheca noſtra in belli turbis, exilijq́; ſolitudine alijs ferè, quàm his autoribus continebatur; vt adeò neceſſe fuerit, ſæpiùs nudos veritatis lacertos hoſti obijcere, quam tamen non ideo minùs validam, experti ſumus.

Dicendi genus placuit facile, quod de plano *ab omnibus legi poſſet & intelligi.* Si eligerent Manichæi, *iſq́; deteriores Pſeudopolitici*, quos deciperent, eligeremus & nos verba, quibus eis reſponderemus. Cum verò illi & doctos literis, & indoctos errore ſuo perſequantur, & cum promittunt veritatem, à veritate conentur auertere: non ornato politoque ſermone, ſed rebus manifeſtis conuincenda eſt vanitas eorum. Placuit enim mihi quorundam verè

Dicendi genus facile, & planum.

Placuit S. Auguſtino,

verè Chriſtianorum ſententia, qui cum ſint eruditi liberalibus literis, tamen alios libros noſtros, quos aduersùs Manichæos edidimus cum legiſſent, viderunt eos ab imperitioribus, aut vix, aut difficilè intelligi: & me beneuolentiſſimè monuerunt, vt communem loquendi conſuetudinem non deſererem, ſi errores illos tam perniciosos, ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hunc enim ſermonem vſitatum, & ſimplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt, *ait S. Auguſtinus, ipſo exordio libri primi de Geneſi, contra Manichæos.*

Cuius celeberrimi quondam Rhetoris, glorioſiq; Eccleſiæ Doctoris, & eorum quos ipſe ſecutus eſt, quiq; hodie idem ſentiunt, iudicium ſi venerer & ſequar, nemo æquus rerum æſtimator, mirari poterit, aut indignari. Fuit S. Auguſtino, longa grauiſq; cum Fauſto Manichæorum Epiſcopo concertatio, quam triginta tribus libris complexus eſt. Neque tamen magnum illum laqueum Diaboli, *vti appellat l. 5. Confeſſ. c. 3.* gratum & jucundum verbis, multoque ſuauius *& purius latinè* garrientem, *quàm Scioppium, alio dicendi genere dignatus eſt,*

Quod dicendi genus Doctori Chriſtiano tribueret.

quam

quam quod Doctori Chriſtiano congruere l. 4. de Doctrinâ Chriſtianâ, c. 10. cenſuit, vbi eum qui docet, vitare jubet omnia verba, quæ non docent, & ſi pro eis alia integra, quæ intelligantur, poſſit dicere, *ea vult* magis eligi. Si autem non poſſit, ſiue quia non ſunt, ſiue quia in præſentiâ non occurrunt, *præcipit* vti etiam verbis minùs integris, dum tamen res ipſa doceatur, atque diſcatur integrè.

Multa mihi ex Logicæ ſpinis, non pauca ex alijs ſublimioribus ſcientijs, complura ex diſciplinâ Chriſtianâ & Theologiâ, petenda & explicanda fuerunt: quæ cum verbis minus vſitatis efferuntur, aut molli ſtylo franguntur, delicias quidem auribus faciunt, ſed menti nebulas plerumque offundunt. Etſi non quæcunque diſciplinarum vſus recepit, vt inculta aut minus Latina damnari debeant: cum eadem magno numero in Hortis Heſperijs conſita reperiantur, vt illi nôrunt, qui Latinitatis viridaria non obiter perluſtrârunt.

Non errat verò, qui cum de Religione, virtute, & rebus eiuſmodi ſermo eſt, maximum orationis cultum cenſet eſſe veritatem; quæ non amat quidem ſordes, ſed abſque phaleris tamen, in proprijs bonis abundè nitet; *Veritas maximus orationis cultus.*

tet; & oculos non præſtringit, ſed aperit; neque animos faſcinat, ſed expugnat.

Nos itaque, quibus mens eſt Grammaticum rebus contundere, non verbis magnopere cum eo contendere, poſtquam ſatis præfati ſumus, S. Auguſtini animo & exemplo, quo Fauſtum aggreſſus eſt, Scioppium aggrediamur, in nomine, *vt inquit lib. 1. cap. 1.* atque adiutorio Domini & Saluatoris noſtri IESV Chriſti: vt omnes qui hæc legent, intelligant, quam nihil ſit acutum ingenium & lingua expolita, niſi à Domino greſſus hominis dirigantur. Quod multis etiam tardioribus & inualidioribus, occultâ æquitate diuinæ miſericordiæ præſtitum eſt: cum multi acerrimi & facundiſſimi, deſerti adiutorio Dei, ad hoc velociter & pertinaciter currerent, vt à veritatis viâ longiùs aberrarent. *Quorum numerum, ne augeat Scioppius, ex animo voueo precorq́.*

VIN-

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIARVM POLITICARVM.

LIBER PRIMVS.

Religionis & Virtutis Præcepta, à verâ Politicâ aliena non eſſe.

CAP. I.

Suppetiarum Vindiciarumq; ingreſſus, & primus congreſſus.

§. I.

SVPPETIAE. Magnam eſſe Pſeudopoliticorum improbitatem; ſed non minorem eorum imperitiam, qui iniquè de Politicis Scriptoribus iudicant.

CVm ſine controuerſiâ ingens ſit plerorumque improbitas & impietas,qui hodie Politici perhibentur, inprimiſq; eorum, qui à Regibus ac Principibus ſingularis prudentiæ opinionem conſecuti,conſuli ac ſententias rogari ſolent, (horum enim conſilijs,ſi verum quærimus, nullo iuſti iniuſtiq; diſcrimine res geri, religionem , fidem, iuſtitiam proprio emolumento poſteriora duci,orbem Chriſtianum diſſidijs, turbis ac bellis infeſtari , non dubium deniq; exitium regnis ac prouincijs comparari fatendum eſt) nullo tamen genere minor complurium videtur ini-

Sæpe frons bona eſt, mens mala.

Digitized by Google

quitas & acerbitas, qui de optimo quoq; & perfectiſſimo artis Politicæ Doctore faciunt iudicia. Cum enim Politica in tradendis ijs, tota occupetur, quæ vtilia ſunt condendo & conſeruando Imperio, aut ſtatui publico: vix vtilitatem commemorare ſcriptor Politicus poteſt, quin nullam iuſti & honeſti rationem ducere, ab iſtius notæ cenſoribus exiſtimetur. Vt autem aliàs, ſimiliter hìc, tantæ Iniuſtitiæ fons, & origo eſt Imperitia. Nam vt ait Comicus:

Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius,
Qui niſi, quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Viris doctiſſimis Logicæ imperitiam Grammaticus obiectat.

Imperitiæ porro cauſſa eſt, quod Logicam non ſatìs didicêre, quæ rationis ars eſt, adeoq; in iudicio de ſubiectis artium fœdè allucinātur: hoc eſt, ratione in re maximi momenti, ſine vitio vti nequeunt. Quamuis autem hoc inprimis παράδοξον & incredibile viſum iri ſciam de hominibus, qui non modo ſe curriculum Philoſophiæ confeciſſe, ſed etiam artém Logicam non minùs, quàm cæteras Philoſophiæ partes, alijs præcipere poſſe gloriantur: non tamen vereor, ne fidem apud eos non inueniam, qui ſuis ponderibus res examinare ſciunt, neq; ſibi iudicium alienâ autoritate eripi patiuntur. Vt autem res tota fiat planiſſima, diſtinctius de naturâ Logicæ quædam monebo; tum quam longe ab eius præceptis recedant, qui notionem cenſoriam tam acerbè in Politicis ſcriptis exercent, quàm potero, breuiſſimè demonſtrabo.

§. II.

§. II.

VINDICIAE. A Scioppio eos ipſos accuſari, quos defendit, & ſuggillari optimos Scriptores.

MAlę cauſſæ patronus eſt, qui vt beneuolentiam ſibi conciliet, ipſo defenſionis initio, eos quos defendit, reos eſſe fatere cogitur. Quod Gaſpari Scioppio accidit; is enim cum aduerteret, ingenti infamiâ toto Chriſtiano orbe, Politici nominis vſurpatores laborare, & criminum peſſimorum non ſolùm accuſari, verum etiam perſpicuis argumentis conuinci: atro calculo ipſe quoq; ingentis improbitatis ac impietatis, pleroſq; damnare exorſus eſt. Sed meminiſſe eum oportebat, non poſſe Magiſtros rectè defendi, ſi diſcipuli ob ea, quæ didiciſſent, damnarentur: & maiorem eſſe culpam praua docentium, quam diſcentium, quod illi improbitatis horum autores ſint, & duces. Defenſionem verò Pſeudopoliticorum ſcriptorum, & Machiauelli præſertim, à Scioppio hic ſuſceptam eſſe, Lectori jam ante demonſtrauimus; ex eiuſmodi autem ſcriptis & principijs, Pſeudopoliticos ea conſilia haurire, *quibus nullo in-*

Scioppius eos, quos defendit, accuſat.

Non rectè Magiſtros defendit, qui diſcipulos damnat.

ſti iniuſtiq́ diſcrimine res geri, religionem, fidem, iuſtitiam proprio emolumento poſteriora duci, orbem Chriſtianum diſsidiis, turbis ac bellis infeſtari, non dubium deniq́ exitium regnis ac prouinciis comparari, Scioppius veriſſimâ parentheſi fatetur: inde manifeſtum eſt, quod apertis verbis & ſententijs, aut neceſſarijs ſequelis hæc eadem Macchiauellum docuiſſe, eius ſcripta legenti obſcurum eſſe non poteſt. Cui veluti præcentori ac præſultori, alij pſeudopolitici verbis ac factis ſuccinunt, Scioppio Grammatico, vtriſque patrocinante; non enim ſerio diſcipulos in crimen vocat, qui ob eam, quam hauſere doctrinam, Magiſtros laudat.

Macchiauellus pſeudopoliticorum præcentor.

Ego id ſolùm ab æquo Lectore poſtulo, vt, ſi quæ ſunt fatente Scioppio, Pſeudopoliticorum conſilia, eadem eſſe Macchiauelli præcepta oſtendero: eundem & ſimul Scioppium eorundem criminum condemnet, quorum ipſe Pſeudopoliticos primâ Pœdiæ ſuæ parentheſi accuſat. Eſt enim criminum reus, qui eorum diſciplinam ſeu apertè, ſeu tanto nocentiùs, quanto tectius, profitetur, aut tuetur.

Quorum poſterius ſibi faciendum Scioppius putauit aduerſus eos, qui ſalutari

tari

tari laudabiliq; ſtudio, inundantem in Chriſtiano orbe Pſeupolitiam libris editis, veluti obiectis repagulis, coercere laborârunt.

Ad hos calumniandos, poſt captatam Pſeupoliticorum reprehenſione probi hominis notam, mox ſe accingit: cum aſſerit *nullo genere minorem complurium videri iniquitatem & acerbitatem, qui de optimo quoq; & perfectiſſimo artis politicæ Doctore, faciunt iudicia.* Quæ verba in Macchiauellum rectè contorſiſſet. Nam is cap. 15. Principis, *ſe alienam à communi aliorum ordine, diſputationem inſtituere* profeſſus, de Ariſtotele comunis veriq; ordinis duce, & optimo utiq; perfectiſſimoq; artis Politicæ Doctore, alijſq; eum ante hac ſecutis, iniquum & acerbum iudicium fecit: cum eos velut imaginariæ & fictitiæ politiæ magiſtros ſuggillare, ſibiq; rei veritatem ac vtilitatem arrogare auſus eſt. Sed non tam felix eſt Scioppius, vt bonos laudare, & malos vituperare conſtanter poſſit. Macchiauellus Summorum Pontificum & Concilij Tridentini autoritate, in Scriptorum prohibitorum primam claſſem cum hæreſiarchis relatus, nec vnquam inde exemptus, illi optimus eſt, perfectiſſimusq;

Scioppius Pſeudopolitiæ vindices calumniatur.

Macchiauellus illi optimus Politiæ Magiſter, eius oppugnatores iniqui & imperiti.

muſq; artis Politicæ Doctor: cui infelices has ſuppetias miſit ac ſcripſit, vti ad Lectorem præfati ſumus. Contra *Ioannes Molanus*, *Ioannes Boterus*, *Petrus Ribadeneira*, *Scipio Amiratus*, *Hieronymus Oſorius*, *Antonius Poſſeuinus*, *Iuſtus Lipſius*, alijq; ſimiles, qui Macchiauellum iuſtiſſime doctiſſimeq; oppugnârunt: Scioppio iudice, iniuſtitiæ, ac imperitiæ damnantur, & tanquam plebeij iudicij homines viri celeberrimi infamantur; cum quibus plebeium nomen ferre malim, quàm cum Grammatico Scioppio inter equites, aut patricios, aut comites aſſidere.

Atqui imperitiæ eam cauſſam affert, *quod Logicam non ſatis didicerint, & in iudicio de ſubiectis artium fœdè allucinentur*; ideò nimirũ, quia diſcurſus Macchiauelli, eiuſq; de Principe diſputationem, cum rectâ ratione & diuinâ lege conſentire negârunt.

Suam autem de hominibus doctiſſimis, & pleriſq; non Philoſophiæ ſolùm, ſed Theologiæ etiam curriculum emenſis, iudicium παράδοξον, & incredibile viſum iri rectè quidem cenſet: ſed fidem eo ipſo ſibi adimit, quia incredibilia & paradoxa ſe afferre, vltro fatetur.

§. 3. Vti-

§. III.

Vtilitatem cum honeſtate coniunctam, à probis Politicis non reprehendi.

QVod verò *vix vtilitatem commemorare Scriptor Politicus*, ſeu veriùs Pſeudopoliticus poſſit, *quin nullam iuſti & honeſti rationem ducere, ab iſtius* optimæ *notæ cenſoribus exiſtimetur*: verum eſt, ſi vtilitatem ab honeſtate ſeiunctam Scioppius intelligit, non item, ſi de eo vtili loquitur, quod ſimul ex ſe ipſo, aut ſine honeſtum eſt. *Nam etſi honeſtum & vtile ratione ſeu definitione differant, nihil tamen poteſt eſſe ſimpliciter & verè vtile, quod repugnet vltimo fini hominis, quod eſt bonum ſecundum rationem; quamuis poßit eſſe vtile ſecundùm quid, reſpectu alicuius finis particularis*, vt ait S. Th. 22. q. 145. a. 3. ad 3. Quo eodem ſenſu veriſſimè dixit Cicero lib. 3. de offic. ſub finem, *homines peruertere ea, quæ ſunt fundamenta naturæ, cum vtilitatem ab honeſtate ſeiungunt.* Quod Macchiauello Magiſtro, & Scioppio Cauſſidico, faciũt *curuæ in terras* Pſeudopoliticorum *animæ, & cœleſtium inanes*, qui Rationem ſtatus, eaq; quæ illi condendo & conſeruando ſunt vtilia, nullâ hone-

Nihil verè vtile eſt, quod repugnat honeſtati.

ſtatis habitâ ratione amplectuntur, vti deinceps patebit. Eiuſmodi vtilitatem & commoda, quia iuſtitiæ & honeſtati aduerſari ſentiunt, probi Politici merito damnant, ne fundamentis naturæ labefactatis, vera Politica ruinam patiatur. Si quæ autem ad verum propriumq; Politicæ finem, qui juſtitiâ aliiſq; virtutibus moralibus præcipuè continetur, conducentia apud Pſeudopoliticos reperiant, ea non auerſantur: ſed pretioſum à vili, mel à veneno, aurum à luto ſeparant, & Ægyptiorum ſpolia, ad locupletandos bonarum artium theſauros, libenter conferunt.

Iuſtitia aduerſa probi Politici damnant, non verè vtilia.

Eiuſmodi complura etiam apud Macchiauellum reperiri veriſſimum eſt, quod in Scioppii aliorumq; gratiam vltro fatemur, ne putent cum illis hominibus ſibi rem eſſe, qui æſtimare neſciant, quid Principibus ac Rebuſpublicis conducat.

Qualia cõplura apud Macchiauellum.

IV.

Vtilia à Macchiauello, prauo fine, & venenis paſſim inſperſis corrumpi, ideoq; difficulter ſecerni poſſe.

Plerique ex Macchiauello noxia ſeligunt.

QVæ igitur in Macchiauello vtilia occurrũt, non damnamus, neq; à Principibus aut Rebuſpublicis negligenda cenſe-

cenſemus; ſed illud deploramus,pleroſq; infelici optione, vtilibus neglectis, noxia ex hoc autore ſeligere. Quod inde euenit, quia noxia verè vtilibus ita permiſcet, falſæq; vtilitatis fuco illinit: vt Lector ſpecie boni deceptus,ea diſcernere nō poſſit, aut corruptus non velit. Quare non eſt tanta vtilitas, vt non maior ſit pernicies, quam Macchiauellus infert: tum quia ſingillatim multa iniqua & impia tradit,tum quia generatim humanarum Actionum principia, finem & media peruertit. Quod poſterius vel ſolum tale eſt, vt licet particularia vti loquimur, facinora nulla docuiſſet: ob generalia Pſeudopolitiæ omniſque improbitatis fundamenta tum iacta, tum ſtabilita iure condemnari debeat, neque ſolidam commendationem mereatur. Quâ ratione Architectum vitioſo fragilique fundamento, ſpecioſos parietes ſtudioſè inædificantem, nemo laude, ſed vituperio pœnâq; dignum exiſtimabit: ſi præſertim, ruina inopinata, elegantibus fallacijs, multos poſtea oppreſſerit. Generalia principia intueantur, quos particularia aliqua faſcinant; meminerint optima quæq; prauo fine, falsâq; mediorum ratione, quam docet Macchiauellus, corrum-

Macchiauellus finem & media Politices peruertit.

Optima quæq; corrumpit.

pi. Ita autem vbiq; corruptelas peſtesq; ſuas inſpergit, vt difficillimum ſit vtilia ac ſalutaria excerpere, quin vicino luto, aut veneno manus inquinentur vel inficiantur. Nam ſi paucis lineis ſurſum aut deorſum pergas, in ſcopulos aliquos probitatis, ac veræ Politiæ impinges.

Etſi verò nemo ſapiens ambigat, plurimum vtilitatis bono Principi aut Reipublicæ eiuſmodi ſeu præcepta, ſeu conſilia afferre poſſe, ad iuſtum imperium tuendum ac ſtabiliendum: at eadem ſi Tyrannus in Tyrannidis vſum conuertat, palàm eſt publico bono maximè nocitura: quod in omnibus ijs contingit, quæ adiaphora ſeu indifferentia appellamus, & ex bono aut malo fine, legitimo item vſu aut abuſu, bona aut mala ſunt, & dicuntur. Bona igitur etiam ſua Macchiauellus corrupit & ſalutaria venenauit, quia finem prauum propoſuit, & mediorum rationem falſam aſſignauit. Cuius vtriuſque culpæ, ipſum alioſq; Pſeudopoliticos reos eſſe, aduerſus Gaſparem Scioppium, demonſtremus: & quia ita ipſi placet, à Logicâ exorſi, ab eius præceptis Pſeudopoliticorum cenſores accuſatoreſq;, non recedere oſtendamus.

CAP. II.

Secundum Ariſtotelis & vera Logica doctrinam, de vitioſo tranſitu à genere in genus: Religionis & virtutis præcepta à Politicâ non excludi.

§. I.

SVPPETIAE. Scioppius de Logica fine, obiecto, officio philoſophatur.

Logicæ igitur, quemadmodum & reliquarum artium perfectio in quatuor rebus ſpectatur, quæ ſunt Finis, Materia (aliter ſubiectum, ſiue obiectum) Officium, & Inſtrumenta. Finis eſt extremum illud, ad quod omnia præcepta referuntur, cum ipſum aliò non referatur: quod in Logica eſt diſſerere, ex quo Ars diſſerendi definitur, id eſt, Ratio tractandæ cuiuſuis rei propoſitæ. Obiectum eſt vel internum ſiue artis, vel externum ſiue artificis. Internum ſunt præcepta, quæ in arte traduntur, vt in Logicâ inueniendi ac diſponendi præcepta. Externum eſt, in quo cognita artis præcepta exercentur, ſiue ad rem conferuntur, aut ad uſum applicantur. Tale Logicæ obiectum eſt quæſtio aut thema, ſiue id, de quo agitur, aut res ad diſſerendum aut tractandum propoſita: eaq; vel ſimplex, vel compoſita, aut coniuncta, ex ſubiecto nimirum & attributo conſtans. Officium eſt opus extremum, quod ab artifice præſtari oportet, ut fine propoſito potiatur. Sic in

Scioppii doctrina de Logica fine.

Obiecto.

Officio.

arte

arte Logicâ officium eſt dirigere, & rectificare mentis actiones, ſiue operationes, ne quid, dum ratione vtimur, vitij faciamus. Artes enim iuuandæ naturæ inuentæ ſunt, vt nimirum caueantur vitia, quæ ab ijs admitti obſeruatum eſt, qui naturalem modò artis uſum habent: ſicut ijs, qui nullis Logicæ præceptis inſtructi de rebus diſſerunt, uſu venire apparet, vt allucinentur ac velut rationis ſolœciſmum faciant, ſiue illi ſimplicia apprehendant, ſiue componant aut diuidant, ſiue deniq; argumententur, aut inuenta ordinent. Nam quidquid mens agit, iſtorum aliquid ſit, oportet.

§. II.

VINDICIAE. Non rectè, de fine præſertim, Scioppium philoſophari.

Excuſatio ad Lectorem.

ILlud te monebo, Amice Lector, ne indigneris, ſi primo hoc libro cum tribulis & ſpinis Grammaticis, Logicis & Metaphyſicis ſæpius me luctari cernas. Maluiſſem omiſſis hiſce altercationibus, gratiorem hederam ſuſpendere ſequentibus libris. Sed in dumeta compellit Scioppius, qui *Suppetias Logicas* ſcripſit, & hunc Pœdiæ ſuæ ſcopum præfixit, ex Logicæ principijs, velut à radicibus veram Politicam conuellere. Hoc igitur mihi incumbit demonſtrare, Grammaticum Logicæ principia perperam interpretari, & inter inno-

innocentiſſimas ſpinas, venena publico bono nocitura, ſerere. Id niſi facerem, Chriſtianæ Politicæ iniurias, non aliunde magìs, quàm ex Logicâ à Scioppio petitas, non vindicarem. Neq; verò aliter inter ſpinas, & de ſpinis certare poſſum, quàm illas tractando, ſiue mihi tœdio ſint, ſiue Lectori. Qui ſi meum Scioppijq; inſtitutum intelligat, ipſi, non mihi indignabitur, Si autem de quâ re lis nobis ſit, animaduertere nolit, non ideò præcipua & propria cauſſæ fundamenta negligenda fuerunt. Quæ inſpicere cui non uacauerit, aut perſpicere difficile fuerit, ad alia inoffenſo pede pergat, planiora & cuiuis ſalutaria. Sed Scioppium ſe aliosq; fraudulentis ſpinis implicantem, ſauciantemque perſequamur.

Qui alios à rectâ viâ recedere queritur, ipſe eandem noſſe aut tenere debet. Immeritò igitur Scioppius alios Logicam non ſatis didiciſſe inſimulat, cum ipſe ab hâc ſcientiarum ianuâ non parum aberret. Quatuor in rebus artium perfectionem ſpectari autumat, Fine, Materiâ, ſeu obiecto, Officio, Inſtrumentis: quæ vt in reliquis artibus rectè aſſignentur, in Logicâ non niſi tria diſtingui poſſunt, vt poſtea *Scioppius Logicæ imperitus.*

palàm

Digitized by Google

palàm erit, cum ad Inſtrumenta Logicæ ab ipſo attributa, deuentum fuerit.

Finem artis non rectè explicat.

Finem ait, eſſe extremum illud, ad quod omnia præcepta referuntur, cum ipſum aliò non referatur. Rectè, ſi intelligit non referri ad aliquid aliud intra ipſam artem, cuius finis eſt; malè, ſi ſentit vniuerſim non referri ad aliquid aliud extra artem. Nam Ariſtotele autore 1. Ethic. c. 1. *Cum artes aliquæ vni facultati ſubiectæ ſunt, & famulantur (veluti equeſtri ea, quæ frænos conficit, cæteræq; inſtrumentis equeſtribus occupatæ, & ipſa equeſtris, ac omnis bellica exercitatio ſcientiæ militari, itemq; aliæ aliis,) fines architectonicarum ſiue principalium, præſtantiores ſunt & magis expetendi, quam fines ſubiectarum & famulantium. Quippe cum iſti referantur ad illos* Referri itaque poteſt finis artis ad alium finem arti extrinſecum, etſi non intrinſecum. Quod quia Scioppius non diſtinxit, abſq; iniuriâ culpari poteſt. Vbi etiam illud Paradoxum occurrit, quod rem de quâ agitur licet ſimplici termino expreſſam, Quæſtionem appellat. Sed de hoc infra pluribus.

Aliud paradoxum.

§. III. *SVP-*

Digitized by Google

§. III.

SVPPETIAE. Vitia rationis non minus, quam ſermonis quinque eſſe; Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens, & Alienum; tum genere, tum loco; hæc à Logicâ corrigi.

SIcut autem ſermonis vitia, quæ puritati aduerſantur, ſunt omnino quinq;, Barbariſmus, Solœciſmus, Nouatio, Peregrinitas, & Archaiſmus, ſiue obſoleti verbi vſus: ſimiliter Rationis in vniuerſum quinq; numerantur uitia, Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens, & Alienum.

Vitia ſermonis & Rationis qua Sciop-pio.

Nam quidquid ad tractandum de re propoſitâ affertur, aut explicationis, aut demonſtrationis gratiâ adhibetur, ex quo argumentum vel Exegeticum ſiue explicans, vel Apodicticum, ſiue probans exſiſtit. Explicare, eſt quæſtionis, ſeu rei propoſitæ naturam declarare per definitionem, diſtributionem, cauſſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, totum, partes, paria, ſimilia, connexa, maiora, minora, diſſimilia, antecedentia, contraria, relata, quæque iſtis ſubijciuntur. Probare eſt aliquid medium afferre, cuius vi prædicatum de ſubiecto rectè affirmetur, aut negetur. Niſi autem intelligatur, quod affertur, nec ad probandum, nec ad explicandum erit idoneum. Obſcuritas porro cauſſa eſt, vt planè non intelligatur, Ambiguitas verò, vt aliter, atque oportet, intelligatur. Probando verò ineptum eſt, ſi ſit vel falſum, vel inconſequens: quorum illud in compoſitione & diuiſione, ſiue in Enuntiatione, hoc autem in ar-

Diſtinguit argumentum Explicans, & probans.

argumentatione ſpectatur. Quod deniq; alienum eſt, nec explicationi, nec probationi eſt accommodatum.

Item Alienum, aliud loco, aliud genere.

Poteſt autem dupliciter alienum conſiderari. Nam aut eſt prorſus heterogeneon, ſeu diuerſi generis, vt cum quis in Phyſicis argumenta affert Mathematica, & in Politicis, aut Medicis Theologica, quod vulgo vocant *de genere in genus tranſire.* Aut cum ſit eiuſdem quidem generis, & rem propoſitam explicandi aut probandi vim habeat, tamen prius aut poſteriùs, non præſenti loco, afferri debet. Nam methodus doctrinæ ſiue artis, ſuo quidq; loco collocari iubet, vt vitetur confuſio, quâ veritatis cognitio impeditur. Iſta igitur rationis ſunt vitia, quæ ars Logica corrigere, vel cavere docet, obſcuris illuſtrandis, ambiguis diſtinguendis, falſis refellendis, inconſequentibus eneruandis, & alienis excludendis. Cui conſequens eſt, vt qui in quâcunq; diſputatione afferri aliena poſtulat (quod faciũt, qui ſcriptores Methodi Legibus ſeruientes, & aliena circumſcribentes reprehendere non dubitant) eos ratione non ſatis ſincerè vti, ac propterea in ſcholâ Logicâ meritò vapulare fateamur.

§. IV.

VINDICIAE. Nec vitia ſermonis quidem, rectè à Grammatico aſsignari.

CVi nec in ſuâ arte credi poteſt, is nullam in alienis altioribusq; facultatibus fidem meretur. Scioppius Grammaticæ Ma-

cæ Magiſterium, imo ſi Dîs placet, Dicta-turam, pauculis ab hinc annis, ſub nomine Paſcaſij Groſippi inuaſit: magnâ confidentiâ & multarum rerum ijs in litteris novatione, eruditis nunquam probandâ, cuius etiam hic ſpecimen habemus. Quinque ſermonis vitia, puritati aduerſantia numerat, Barbariſmum, Solœciſmum, NOuationem, Peregrinitatem, Archaiſmum. At enim Quintilianus Martiali teſte, *Vagæ moderator ſummus iuuentæ*, & *gloria Romanæ togæ. lib. 1. inſtit. c. 9.* tres in oratione virtutes exigit, vt Emendata, vt Dilucida, vt Ornata ſit: & totidem his vitia contraria eſſe affirmat, quæ appellamus Orationem Barbaram, Obſcuram, Inordinatam, quarum quæuis plures ſub ſe vitiorum ſpecies continet. Ab hâc diuiſione deficit Scioppius, nec Obſcuram, neque Inornatam connumerando, cum Oratio Obſcura non minus aduerſetur puræ ac dilucidæ, quàm aqua turbida limpidæ: & Cacophaton quoq; ſiue obſcœnum dictũ, Tapinoſis itidem, ac Tantologia, aliaq; eiuſmodi uitia Orationis ornatum inquinent.

Sermonis vitia, & virtutes ex Quintiliano.

Scioppii diuiſio deficit.

Sed neq; quinque illa rectè diſtinguuntur, neq; omnia uitia ſunt. Nam peregri-

 nitas,

Peregrinitas Barbariſmus quidam eſt.

nitas, ſeu vox peregrina Barbariſmi primum genus eſt, quod genti à Quintiliano *l. c.* tribuitur, quale eſſe ait, *ſi quis Afrum, vel Hiſpanum Latinæ Orationi nomen inſerat.* Archaiſmum definiunt Grammatici, eſſe conſtructionem, *quâ priſca vetuſtas potiſsimùm vſa fuit*, & non inter vitia, ſed Figuras orationis reponunt. *Verba à vetuſtate repetita non ſolùm magnos aſſertores habere*, ait Quintil. *cap. 10. ſed etiam afferre orationi maieſtatem aliquam, non ſine delectatione; opus tamen eſſe modo; atq; vt nouorum optima ſunt maximè vetera, ità veterum optima eſſe maximè nova.* Ipſa etiam Nouatio vocum, non ſemper in vitio eſt, cum magni autores verba ſubinde nouârint vel neceſſitate ſe explicandi, vel aliâ idoneâ ratione. Non eſt ergo cur multum tribuatur Scioppio qui nec quinque, vti oportet numerare nouit. Nam ex ijs, quæ enumerat, duo ſolùm orationis vitia verè dici, & diſtingui poſſunt, Solœciſmus & Barbariſmus, cuius peregrinitas ſpecies quædam eſt. Archaiſmus verò & Nouatio aut vitia non ſunt, aut non vniuerſim, & leuiora ijs, quæ Grammaticus iſte omiſit. Quæ cum ità ſint, etiam in Grammaticâ Scioppij ſupercilium meritò

Archaiſmus figura Orationis.

Nouatio nō ſemper in uitio.

Scioppius artis ſuæ vitia ignorat.

con-

Digitized by Google

contemnimus; eſt enim imperitus artifex, qui artis ſuæ vitia ignorat.

§. V.

Vitia rationis vitiosè à Scioppio tradi; omiſiſſe Mutilum & Inordinatum; alia perperam diſtinxiſſe.

SEd vti Vitia ſermonis perperam numerauit, ita Rationis quoq; imperitè aſſignat; & inprimis absq; ratione ſimilem utrobiq; numerum eſſe contendit. Nam vitia ſermonis ab hominum, qui eum inſtituerunt, voluntate dependet, qui ſi alias leges Latinitatis tuliſſent, alia eius vitia, plura pauciorâue eſſent. Quæ autem Rationi aduerſantur, non ex hominum arbitrio, ſed ipsâ rationis naturâ numerum ſortiuntur. Ea quinq; eſſe Scioppius affirmat, Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens, & Alienum, ſed nullum idoneum argumentum affert. Nam, quæ de argumento Exegetico, & Apodictico habet, nihil concludunt, & partim abſurda ſunt; tum quia Definitionem, Diuiſionem, aliaq; prædicata, quibus rei natura extra argumentationem declaratur, argumenti nomine appellat, cum Rhetores ac Logici argumentum id ſolùm eſſe con-

Vitiorum in ſermone & ratione, non par ratio.

Scioppii diuiſio & doctrina incongrua.

ſentiant, quod in argumentatione ad aliquid probandum aſſumitur, tum quia locos argumentis eruendis propriè deſignatos, ipſe potius ſimplici rerum explicationi, extra argumentationem attribuit.

Verùm non minus quinariam hanc diuiſionem quàm ſuperiorem vitioſam eſſe manifeſtum eſt. Nam cum quis rei alicuius tractationem profeſſus, præcipuam aut aliam notabilem eius partem omittit: id rationis vitium eſſe, neq; tamen Obſcurum, aut Ambiguum, aut Falſum, aut Inconſequens, aut Alienum dici poſſe patet. Aliud ergo illis quinq; addendum eſt, quod Mutilum, ſeu mancum dicere poſſumus, quodq́; eo grauius æſtimari debet, quò magis præcipuum, & ad rem intelligendam neceſſarium eſt, quod in mutilâ eiuſmodi, ſeu mancâ tractatione omittitur. Illud quoq; vitium, cum aliqua nec debito ordine, nec ſuo loco tractantur, quinq; enumeratis non continetur: niſi ordinis perturbatio tanta ſit, vt Obſcuritatem pariat, tum enim ſimul ad Obſcurum pertinebit.

Omiſit Mutilum & Inordinatum.

Scioppius verò iſtud vitium incongruè alienum appellat, cum Inordinatum potiùs dici debeat; neq; enim res propria verè

verè aliena efficitur, quia non ſuo ordine collocatur; ſed quod aliò pertinet, aut diuerſi generis eſt, id ſolùm propriè alienum dicitur. Et ſanè inepta eſt definitio, quâ Scioppius Alienum tum genere; tum loco generatim comprehendit, aſſerens eſſe id, quod nec explicationi, nec probationi eſt accommodatum. Non enim res aliqua explicandi aut probandi vim, quam in ſuo genere ac loco habet, in alieno amittit; ſicut nec aurum furto ſublatum, in manu furis pretium perdit. Quod ipſe Scioppius falſæ definitionis immemor, tribus poſt lineis vltro fatetur, eſſe nimirum *Alienum loco eiuſdem quidem generis, & rem propoſitam explicandi aut probandi vim habere, tamen prius, aut poſterius, non præſenti loco afferri debere.* Neq; ergo Alienum loco, propriè alienum, neque hæc definitio Alieno, ſed Falſo, & Inconſequenti, vti appellat Scioppius, conuenit. Nam falſæ propoſitionis in explicando, vitioſæ autem argumentationis in probando, nullam vim eſſe, apud omnes confeſſum eſt.

Alienum non rectè definitur.

Enimuerò Scioppiana Diuiſio non ſolùm defectu peccat, ob duo vitia omiſſa, quæ Mutilum atq; Inordinatum vocauimus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Membra diuiſionis Scioppianæ non diſtincta, neq; oppoſita.

mus, verùm etiam membra non rectè diſtincta, neque oppoſita habet, contra leges bonæ diuiſionis, quas turpe eſt eum ignorare, qui imperitiam Logicæ alijs obijcit. Nam Ambiguum ſub Obſcuro continetur, Inconſequens ſub Falſo. Quare non minus vitioſa eſt hæc Scioppij diuiſio, quam ſi dicam: Viuentium genera ſunt quinque: Planta, Arbor, Animal, Homo, Brutum; quæ diuiſio in Logicâ riſum aut ſtomachum moueret. Arbor enim eſt ſpecies plantæ, homo & brutum animalis; genus autem cum ſpecie numerum non facere, ſed in illâ includi, & iſtam ſub illo contineri Logicæ Tirones norunt. Atqui ſimilem rationem eſſe Obſcuri & Ambigui etiam Grammaticis clarum eſt, qui Orationem ambiguam ſub Obſcurâ, velut ſpeciem ſub genere collocant. Nec quisquam ſanus negare poteſt, quod Ambiguum eſt, obſcurum eſſe, ſi enim clarum foret, ambiguum non eſſet. Omne igitur ambiguum obſcurū eſt, non tamen omne obſcurum ambiguum; adeoq; hoc ſub illo, velut genere, non iuxta illud ponitur.

Ambiguum ſub obſcuro continetur;

Inconſequens ſub falſo.

Quod idem de falſo & inconſequenti dicendum eſt. Non enim in Enuntiatione dumtaxat, ſed in argumentatione quoq; ſeu

ſeu conſequentiâ Veritas aut falſitas ineſt. Et ſicuti Enuntiatio vera eſt, quæ dicit eſſe, quod non eſt, aut non eſſe, quod eſt, ſimiliter argumentatio vera eſt, quæ infert eſſe aut non eſſe, quod poſito antecedente ſequitur eſſe, aut non eſſe. Falſa è contrario, quæ infert eſſe aut non eſſe, quod poſito licet antecedente, non ſequitur eſſe, aut non eſſe. Cuius illud etiam argumentum eſt, quod Conſequentiam bonam concedimus, malam negamus; ineſt ergo illi veritas, cui aſſentimur, huic falſitas, à quâ diſſentimus.

Veritas & Falſitas quid.

Atq; id generalis ratio vtriusq; perſuadet, nam Theologorum Philoſophorumq; conſenſu veritas eſt *conformitas rei & intellectus*, Falſitas contrà *difformitas*, vt in Scholis loquimur. Quemadmodum autem Enuntiatio vera eſt conformis connexioni prædicati & ſubiecti, falſa eidem difformis: ſic argumentatio vera, itidem eſt conformis connexioni antecedentis & conſequentis, falſa eidem difformis. Tam argumentatio igitur, quàm Enuntiatio, veritatem & falſitatem in communi participant, & tam verum, quam falſum, duas ſub ſe ſpecies continet, Enuntiationem inquam, & Argumentationem; quam

Duæ eius ſpecies.

Digitized by Google

vtramque generatim comprehendimus, cum verum & falſum in compoſitione & diuiſione, non autem ſimplici conceptu ineſſe affirmamus. Quæ mens eſt Ariſtotelis l. 3. de animâ c. 6. & 8. ubi docet verum & falſum eſſe *in compoſitione quâdam cognitionum*; hæc autem compoſitio non ſolùm in Enuntiatione apparet, verùm etiam in argumentatione. Vt enim illa componitur ex cōceptu prædicati & ſubiecti, ità hæc ex notitiâ antecedentis & conſequentis. Quare non rectè Scioppius compoſitionem & diuiſionē, in quâ falſum ſpectatur, ad Enuntiationem reſtrinxit.

Vitia Scioppii in Vitiis Rationis numerandis.

Sed ſatis clarè opinor demonſtratum eſt, ipſum in Vitijs Rationis enumerandis ac diuidendis plurium vitiorum reum eſſe. Nam nec Ambiguum ab Obſcuro, nec Inconſequens à Falſo rectè diſtinxit; & Alienum genere ac loco perperam diuiſit, cum poſterius non alienum, ſed proprium ſit; Mutili præterea & Inordinati mentionem nullam fecit; vt adeò ea diuiſio & redundet membris ſuperfluis, & deficiat neceſſarijs. Quam ſic cenſemus legitimam fore, ſi retento numero, dicamus vitia Rationis eſſe hæc quinq; : Falſum, Obſcurum, Mutilum, Inordinatum,

Vera eorum diuiſio.

Alie-

Alienum. Nullum enim vitium Rationis in diſſerendo occurrit, quod non aliquo horum contineatur, quia vel Veritati, vel Claritati, vel Integritati, vel Ordini, vel deniq; Proprietati diſſertationis, ſeu tractationis aduerſatur.

§. VI.

In Vitio Alieni explicando, Scioppium id ſpectare, Vt Religionis & Virtutis doctrinam, Velut Alienam à Politicâ excludat.

SVpereſt, vt fundamentum, cui iaciendo hanc diuiſionem vitiorum rationis, Scioppius commentus eſt, ſubruamus, illi enim totam ferè Pſeudopoliticorum defenſionem, & proborum Politicorum repræhenſionem, infelix architectus inædificat. Eſt verò fundamentum iſtud non aliud, quam id vitium Rationis, quod Alienum genere appellat, & dicit eſſe prorſus *heterogeneum, ſeu diuerſi generis à re, quæ tractatur: vt cum quis in phyſicis argumenta affert Mathematica, & in Politicis aut Medicis Theologica, quod vulgò vocat, de genere in genus tranſire.* Hinc palmarium illud vti putat, ſuæ cauſſæ columen deſumit. Non poſſe Macchiauellum, eiuſdemq; farinæ ac mentis homines culpari, *Alienum genere, ſeu tranſitus de genere in genus, Scioppii fundamentum.*

 quod

Digitized by Google

quod non ex principijs Ethicis, Chriſtianis & Theologicis, nec ſecundum illa, de rebus Politicis diſſerant ac ſtatuant, cum hæc ſint diuerſi generis & à Politico inſtituto aliena: ſed reprehendi debere ob Logicæ imperitiam & Apœdeuſiam eos, qui ſcriptores eiuſmodi reprehendunt, quod aliena non tractent, & nolint aduersùs Logicam ſcilicet, peccare.

Sublimiorũ ſcientiarum præcepta, à Politicis aliena putat.

Hinc ſæpius Analyttiæ inſcitiam obiectat, & in admonitione Lectoris ait, *Alienas quoq; eſſe Politicorum præceptorum rationes, quamuis veras, quamuis vtiles, ſi ad ſublimiores ſcientias pertineant, neq; πεπαιδευμένον, ſeu pœdiâ præditum exiſtimatum iri, qui eas vel ipſe ad diſputandum aduocare, vel ab aliis exigere fuerit auſus.* Sub finem verò, poſtquam dixit, quâ ratione Theologus & Politicus de pietatis vtilitate præcipere debeat, cum ſtomacho ſubdit: *non alterum alterius fines debere inuadere, niſi ſuſpicionem mouere velint, ſe cum Rationem nobis à Deo datam, tum Rationis Artem à Philoſophis inuentam & traditam nihili facere, eaq; inuitâ, nullo diſcrimine, quiduis quouis loco inculcare velle*; quibus ſimilia in ipsâ Pœdiâ occinit. Vnde manifeſtè apparet, hoc illi vnicè propo-

ſitum

Digitized by Google

ſitum eſſe, vt perſuadeat virtutis, Chriſtianæq; pietatis doctrinam à Politicâ penitus alienam iudicari debere, eosq; qui inde principia aut argumenta in conſilijs & præceptis Politicis accerſunt, *contra quàm ratio à Deo nobis data dictat, ſcientiarum artiumq; fines tollere, & apœdeuſiæ, confuſioni, tandemq; obſcuritati, & ignorantiæ viam munire*, vt infra loquitur. Qui Scioppij ſenſus ac error peſtilentiſſimus, virtutis ac veræ Politiæ iugulum petit, tantoq; minus tolerari poteſt, quanto ſpecioſius Ariſtotelis autoritate, rectæq; Rationis regulâ palliatur: vt adeò neceſſe ſit Ariſtotelis mentem, reiq; veritatem de alienis principijs, ſeu *vitioſo tranſitu à genere in genus*, paucis aperire. *Scioppii ſenſus, & error peſtilens.*

§. VII.

Singulis rebus tum naturalibus, tum moralibus, quædam propria eſſe, quædam cum aliis communia; his explicandis & probandis, non niſi communia principia, ex communi aut ſuperiori facultate conuenire.

DVplex eſt genus eorum, quæ ijs rebus, de quibus in ſcientijs & artibus diſſeritur, propria ſunt. Aliqua nulli alteri conveniunt, ſed ad ſpecificam vti loquimur, *Quædam rebus ſingulis propria, quædam communia.*

mur, rei naturam pertinent; quo pacto corpori naturali proprium eſt componi ex materiâ & formâ, mixto ex quatuor elementis, & homini eſſe rationalem.

Alia cōmunia ſunt, vel rebus omnibus, vt eſſe ens, vnum, bonum, verum, vel pluribus aut paucioribus, vt eſſe ſubſtantiam, viuens, ſenſitiuum. Quod idem cernitur in moralibus. Nam cum vita omnis uel priuatim, vel publicè in Republicâ degatur, quæ pro ſe quisq; & cum familiâ agit, vel agere debet moribus priuatis: quæ in Republicâ ſeu parendo ſeu imparendo gerenda ſunt, vitæ publicæ ſeu politicæ peculiaria dicimus. Præter quæ alia ſunt vtrisq; communia, vt eſſe licitum, illicitū, honeſtum, inhoneſtum, Dei, naturæ, hominum legibus, veræ Religioni ac pietati conſonum vel aduerſum, ſaluti item ac rationibus æternis, vel temporalibus absque æternarum diſpendio, proficuum vel noxium, aliaq; ſimilia; quæ non minus rebus moralibus propria & cōnexa ſunt, quàm naturalibus eſſe vnum vel multa, idem vel diuerſum, totum vel partem, ſubſtantiam vel accidens, corpus aut Spiritum, corruptibile vel incorruptibile, ſimplex vel compoſitum, aliaq; eiuſmodi;

Idem cernitur in moralibus.

modi; quæ vel omnibus rerum generibus, vel pluribus communia ſimul & propria ſunt. Neque enim communitas omnem proprietatem tollit, cum eiuſmodi attributa in ipſis rerum eſſentijs aut naturis includantur, aut inde conſequantur. Non poteſt autem à re alienum eſſe, quod naturæ ipſius intimum, aut coniunctum eſt.

Ex quâ veriſſimâ doctrinâ aliqua conſequuntur, in quibus rei cardo vertitur.

1. Non poſſe rei alicuius naturam perfectè intelligi, niſi ea etiam, quæ cum alijs ipſi communia ſunt, intelligantur. Vt igitur hominis naturam penitus cognoſcas, non ſolùm ſcias oportet, eſſe rationalem, verum etiam animal, corpus, ſubſtantiam, ens, vnum, non ſimplex, ſed ex pluribus compoſitum, &c. *Communiũ cognitio neceſſaria.*

2. Hæc talia non poſſe demonſtrari, neque perfectè intelligi, niſi ex principijs ſuperioribus aut communibus, quæ ex ſcientiâ aliquâ vniuerſali, aut ſuperiori, aut certè eiuſdem ſcientiæ parte magis generali deriuantur. Sic ſenſus hominis non poſſunt explicari ex ijs, quæ tractantur de animâ rationali, ſed ex tractatu de animâ ſenſitiuâ peti debent. Cognitio verò ſubſtan- *Ex ſcientijs communibus petenda.*

ſtantiæ, entis, vnius, ſimplicis, compoſiti & ſimilium, ex Metaphyſicâ pendet: cuius concluſiones in ſcientijs inferioribus aſſumuntur pro principijs; quæ ſub hâc ratione non aliena, ſed propria cenſeri debent.

Propria, ex propriis explicanda.

3. Ea quæ itâ propria ſunt, vt rei ſecundum ſpecificam naturam conueniant, adeoq́, nulli alteri naturæ ſint communia, non niſi ex cauſſis ac principijs tali naturæ, ſeu ſpeciei proprijs explicari, vel probari poſſe. Quo pacto hominem eſſe riſibilem non probatur inde, quod ſit ens, ſubſtantia, corpus, animal, ſed ex eo, quia eſt ratione prædītus. Hoc ſenſu Ariſtoteles, *1. Rhet. c.2.* ea propria argumenta vocat, quæ *ex propoſitionibus de particulari ſpecie aut genere fiunt. Sic de rebus phyſicis ſunt aliquæ propoſitiones, ex quibus neq; Enthymema, neq; Syllogiſmus fit de rebus Ethicis; & de his aliæ ſunt, ex quibus non fit de phyſicis.* Similiter verò res habet in omnibus.

Aliena non vſurpanda.

4. Nonnunquam eſſe plures cauſſas ac principia eiuſdem rei, quæ ad diverſas ſcientias ac facultates pertinent: adeoq́; vitioſum eſſe, ſi vna ſcientia alterius principia vſurpet. Sic Ebrietatem & Luxuriam

eſſe

eſſe vitandam probat Theologus ex lege diuinâ, Philoſophus moralis ex lege naturæ, Medicus ex lege ſanitatis. Quod ſi alter alterius fines inuadat, officium ſuum eâ ratione non faciunt.

Ex his, quæ ita perſpicua ſunt, vt non ſit ambigendi locus, rei veritas & mens Ariſtotelis de *tranſitu ab vno genere in aliud*, ſiue de vnâ ſcientia ad aliam, planè ac plenè intelligitur. Nam eius *l. 1. poſteri. Analit. c. 7.* doctrina hæc eſt: *Non poſſe eum, qui ex alio genere tranſit, demonſtrare, vt Arithmeticum Geometrica*, ſi per argumentum Arithmeticum, velit probare conclusionem Geometricam; & *Geometrica non licere demonſtrare, quod contrariorum vna ſit ſcientia*, cum id pertineat ad metaphyſicam; *ſed nec quod duo cubi cubus*, cum hoc ſit Arithmeticæ, *neq; alij ſcientiæ, quod alterius.* Quæ rectiſſimè veriſſimeq; intelliguntur, de ijs quæ alicui naturæ, aut cuiuſuis ſcientiæ obiecto ita propria ſunt, ut cum alijs non ſint communia. Hæc namq; non niſi per propria principia eiuſdem obiecti, ac ſcientiæ demonſtrantur. Sic corpus naturale eſſe mobile, diuiſibile, in loco, non niſi proprijs Phyſicæ principijs oſtendi poteſt.

Mens Ariſtotelis de tranſitu à genere in genus.

Ex-

Digitized by Google

Excipit ſcientias ſub-alternas.

Excipit Ariſtoteles eas ſcientias, quas ſubalternas vocamus, quæ *ita ſe habent mutuo, vt vna ſit ſub alterâ, veluti perſpectiua ad Geometricam, Muſica ad Arithmeticam.* Cum enim eiuſmodi ſcientiæ idem ſubiectum, ſolo aliquo accidente diuerſum habeant, vt Perſpectiua lineam viſualem, Muſica numerum ſonorum: fit vt aliqua, ſibi licet peculiaria, per principia ſcientiarum ſubalternantium, demonſtrare poſſint. In alijs verò ſcientijs, Ariſtoteles vniuerſim pronuntiat, non poſſe, quæ communia non ſunt, per communia, aut propria alterius ſcientiæ principia probari, quod ipſum nos ſupra diximus.

Communia ex communibus demonſtranda docet Ariſtoteles.

Communia autem per communia principia rectè demonſtrari, non ſolùm non negat Ariſtoteles, verum etiam clarè affirmat *c. 8. ſunt autem* ait, *quibus vtuntur in demonſtratiuis ſcientiis alia quidem* (principia) *propria cuiuſuis ſcientiæ, alia communia. Communia verò ſecundum proportionem, quoad vtile eſt generi, quod ſubeſt ſcientiæ,* ſiue obiecto illius intelligendo. *Propria quidem, veluti lineam eſſe talem, & rectum; Communia autem, vt ſi æqualia ab æqualibus demas, æqualia eſſe reliqua.* Quo principio vtuntur Geometra & Arithmeticus

Digitized by Google

ticus, aliijq; in ſuâ quique materiâ. Et ſub finem capitis: *Communicant autem*, inquit, *omnes ſcientiæ ſibi inuicem. Communia vero dico, quibus vtuntur, tanquam ex his demonſtrantes. Sed non ea, de quibus demonſtrant, nec quod demonſtrant.* Senſus eſt, omnes ſcientias communicare in principijs ſcientiarum generalium, quales ſunt Metaphyſica & Logica; non autem in ſubiectis, de quibus demonſtrant, nec in concluſione, quam demonſtrant. Etſi enim prædicatum ſit commune, à ſubiecto tamen particulari ad particularem ſcientiam reſtringitur; vt ſi probes ex principio ſupra poſito, ablatis duobus binarijs à duobus numeris æqualibus, numeros qui remanent eſſe æquales, dubium non eſt concluſionem eſſe propriam Arithmeticæ, etſi prædicatum ſit commune alijs ſcientijs.

Communibus principiis vtuntur omnes ſcientiæ.

Non ergo vitioſus, ſed neceſſarius hic eſt tranſitus à ſcientiâ inferiori ad ſuperiorem, cum inde petuntur vel principia communia pro communibus attributis, vel cõmuniſſima pro omnibus, qualia teſte Ariſtotele *l. c.* ſunt illa duo: *Non poteſt idem de eodem ſimul affirmari & negari*, &: *De quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio.*

Hic tranſitus non eſt vitioſus.

 quibus

quibus veritas omnium ſcientiarum & demonſtrationum nititur, vt non immerito illarum oſtia appellentur.

Quis tranſitus ſit vitioſus.

Quare tum ſolùm vitioſus tranſitus eſt, cùm ab aliquâ ſcientiâ particulari non ſubalternâ, vſurpantur principia aut probantur concluſiones alterius ſcientiæ particularis. Aut cum principia & attributa cōmunia nimiûm accumulantur, ac plus quàm neceſſarium aut vtile eſt ad cognitionem obiecti, quæ legitimi tranſitus, ſeu potius vſus principiorum communium, menſura eſt, ſecundùm Ariſtotelem *l.c. & 3. met. c. 3. t. 7.* Aut cum ſcientia ſuperior aſſumit principia inferioris. Aut deniquè, cum in ſcientiâ inferiori examinantur & demonſtrantur principia ſeu communia, ſeu propria.

Quod de proprijs, adeoq; multò magis de communibus docet Ariſtoteles *c. 7.* aſſerens *non eſſe cuiuſuis propria principia demonſtrare; ſunt enim illa, quæ demonſtrātur, principia omnium, & ſcientia illorum domina omnium*, Metaphyſica nimirum, & ſi quæ alia ſcientia eſt ipſi ſimilis.

Non eſt ſcientiæ particularis, principia communia examinare.

Vt enim proprium eſt ſcientiarum particularium, communia pro principijs adhibere, ſiue ex illis concludere: ità maximè

mè alienum eſt ea examinare & probare, ſiue de illis concludere, cum tanquam certa ſupponenda ſint.

§. VIII.

Cum Politica ſit ars rectè imperandi & parendi, neceſſariò eam vti principiis moralibus & Chriſtianis.

Scioppius non rectè generatim tranſitum de genere in genus damnat.

Atque ex his apparet, quantâ Logicæ imperitiâ, & quàm falsò Scioppius generatim affirmet *tranſitum de genere in genus* eſſe vitioſum, ac vitio alieni peccare, qui in Phyſicis argumenta affert Mathematica, & in Politicis aut Medicis Theologica, aut Chriſtiana, aut Ethica: quæ tria eodem loco illum habere inferius patebit. Nam Phyſica inprimis etſi non vtatur argumentis Mathematicis, Mathematica tamen, rectè vtitur Phyſicis. Eſt enim Phyſica reſpectu diſciplinarum Mathematicarum ſcientia communis ſeu ſuperior, quatenus continui, & indiuiſibilium naturam explicando, neceſſaria Mathematicis principia ſuppeditat. Quibus cum vtuntur, non quod Alienum, ſed quod Proprium & neceſſarium eſt faciunt, ſuoq; calculo, etiam hìc Scioppium falſum dixiſſe comprobant. Diuerſa eſt Medicinæ ratio; hæc enim per ſe ad ſanitatem corpo-

ris tota refertur; ideoq́; non ſine vitio ad eas diſciplinas tranſit, quæ ſalutem animæ & mores curant. Cum nihil ijs commune habeat, nec inde dependeat, niſi per accidens; quando probus medicus artis ſuæ vſum refert ad virtutem, charitatis præſertim, aut miſericordiæ. Vel quando ea medicamenta omittit, quæ corporis quidem ſaluti proficua, ſed animæ noxia eſſe intelligit; contrà quàm aliquando faciũt, qui vt corpori medeantur, animam perdunt aut corrumpunt.

Medicina corporis ſanitatem ſpectat.

At verò Politica eſt ars *imperandi & parendi in Societate ciuili, ſecundum regulam rectæ rationis*, ideoq́; ad virtutem tota refertur, vt paulo poſt dicemus; non ergo alienum ſed neceſſarium eſt eam vti principijs & argumentis ex Philoſophiâ morali, & vel maximè Theologiâ, ſeu diſciplinâ Chriſtianâ petitis. Nam vt prima Metaphyſicæ principia: *Impoßibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; Quodlibet eſt, vel non eſt*, ſunt omnium ſcientiarum fundamenta, ita hæc principia moralia ac Chriſtiana: *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum; Deus remunerator eſt virtutum, vindex vitiorum; Fini vltimo, qui eſt ſalus & beatitudo æterna, nihil præferri debet;* ſunt

Politica ad virtutem tota refertur.

Neceſſario vtitur Ethicâ & Theologiâ.

ſunt vitæ humanæ ſeu priuatæ, ſeu publicæ, omniumq; actionum humanarum primæ regulæ, à quibus nec Politicæ, nec Politicis aberrare licet.

Quare ſi rectè Ariſtoteles Metaphyſicam ſcientiarum omnium Dominam, appellauit, eodem potioriq; iure, Diſciplinæ Chriſtianæ, cuius Theologia interpres eſt, & ancilla Moralis Philoſophia, Dominæ appellatio & prærogatiua, in moribus actionibusq; humanis debetur. Cuius Dominæ iuſſa niſi capeſſunt, nec Domini, nec ſubditi officium ſuum faciunt.

Theologia ſciētiarum Domina.

Neque dicas diſciplinam Chriſtianam ſublimiorem eſſe & ſacratiorē, quàm vt à Politicis attingi debeat. Non dedignantur Domini infimorum etiam ſeruulorũ obſequia, ſed exigunt; & vt exigere poſſint, volunt nutus ſuos obſeruari, & mandata accipi non diſcuti, impleri non violari. Hoc animo niſi erga diſciplinam Chriſtianam ſint Politici, veræ Politicæ rationem ignorant. Intulit Fides Chriſtiana nouam lucem, etiam ſcientijs ſpeculatiuis. Docuit ſuppoſitum à Naturâ diſtingui; eſſe aliqua eadem vni tertio, quæ non ſint eadem inter ſe; Accidens ſine ſubiecto, idem corpus pluribus locis, & totum in toto

Fides Chriſtiana ſcientias illuſtrauit.

loco, ac totum in qualibet parte poſſe exiſtere; poſſe aliquid ex nihilo fieri; neque mundum extitiſſe ab æterno. Hæc ex Myſterijs SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Creationis, alijsq́; deprehenſa à Theologis, in principia reuerenter aſſumunt Philoſophi, & ex ijs tum veterum errores corrigunt, tum multa vtilia concludunt.

Eidem mores conformet Politica.

Vt igitur Metaphyſica, Phyſica, Logica, doctrinam ſuam in obſequium Fidei Chriſtianæ redigunt, ſic eidem mores conformet Politica; & vnde illæ ſumunt regulam veritatis, inde accipiat præcepta virtutis. Nec de illis diſputet, ſed ex illis & ſecundum illa conſilia capiat: ac tam Principum imperia, quàm ſubditorum obſequia componat. Non poteſt aliena eſſe, à Philoſophiâ morali, (quam aut totam, aut nobiliorem eius partem occupat Politica) diſciplina Chriſtiana, vtpote ſuprema ac neceſſaria morum regula. Quare faceſſat Scioppius, qui dum quæ propria ſunt, de crimine alieni infamat, veræ Politicæ fundamenta euertit, & fontes obturat, & oſtia, quà iuſtitia & probitas intrare debent, veluti obiecto vecte occludit.

Huic

Huic conſilio factoq; ſuo, vt malus ianitor æqui boniq; ſpeciem & Autoritatem conciliet, in *Admonitione Lectoris* Ariſtotelem in partes trahere laborat; atq; ex eius ſcilicet mente, Pſeudopoliticorum æquiſſimis cenſoribus dicam ſcribit: illiſque ex Græco Philoſophi textu apœdeuſiæ calumniam impingit, ſibi autem & Pſeudopoliticis, neſcio quam Pœdiam Græcâ Fide arrogat. Quod vt intelligi poſſit, totam eam admonitionem inſerere placet. Etſi enim cauſſæ noſtræ nihil officeret, ſi vel maximè de Pœdiâ Ariſtoteles doceret, quod ipſi Scioppius affingit, operæ pretium tamen eſt Grammatici huius imperitiam, quâ erudito orbi tam audacter illudit, detegere. Neque alio loco commodius facere id potuimus, quàm iſto, poſt explicationem *tranſitus de genere in genus*, quæ res eſt vnicum malè feriati Admonitoris negotium.

Scioppii Admonitio ad Lectorem vana & fallax.

§. IX.

SVPPETIAE. Lectoris Admonitio, quam Scioppius Pædiæ ſuæ præmittit, vt probet ex Ariſtotele, Pædiam eſſe facultatem iudicandi ex Analyticis, quid rei proprium, quid ab ea alienum ſit.

Reus dicam ſcribit ex Ariſtotele, quem non intelligit.

QVo minus nouum aut mirum tibi accidat Lector beneuole, quod multis Politicorum Cenſoribus Apœdeuſiæ dicam ſcribo, ipsũ Ariſtotelem Ethicorum Eudem *l. 1. c. 6.* prius à te velim conſuli. Ibi enim duo quædam inuenies, quæ non in illorum magis temporum æquales, quàm in homines ætatis noſtræ dicta videantur. Primùm ait, quibusdam, qui de Politicis rebus diſſerant, non parum ſæpe vſu venire, vt in medium afferant ἀλλοτρίους λόγους τῆς πραγματείας, καὶ κενούς, id eſt, *rationes à negotio propoſito alienas, atque inanes.* Deinde contingere non rarò, vt homines vſu periti, & in rebus agendis verſati ab alijs diſputando vincantur, qui artem ipſam ciuilem, ſiue Politicam, non didicerint.

Vtriuſq; verò rei cauſſam eorum, qui vincuntur aut aliena afferunt, apœdeuſiæ aſſignat, quæ quid ſit totidem verbis mox declarat: Ἀπαιδευσία ἐστὶ περὶ ἕκαστον πρᾶγμα, τὸ μὴ δύνασθαι κρίνειν τοὺς τε οἰκείους λόγους τοῦ πράγματος, καὶ τοὺς ἀλλοτρίους.

Id eſt, *Ignoratio Pædiæ eſt, non poſſe iudicare in vnaquaque re, quæ rationes propriæ, quæ alienæ afferantur.* Atq; hinc intelligi poteſt, vt quis rectè de Politicis diſſerat, nequaquam ſatis eſſe, ſi vel

ſi vel multo ſtudio, vel hominum rerumq; vſu Politicam didicerit; ſed hoc amplius requiri, vt ſit πεπαιδευμένος, ſiue Pœdiâ inſtructus.

Quod ipſum 3. Politic. c. 7. vel 11. in hunc modum affirmat: ἰατρὸς ὅτι δημιουργὸς, καὶ ὁ ἀρχιτεκτονικὸς, καὶ τρίτος ὁ πεπαιδευμένος, περὶ τὴν τέχνην. εἰσὶ γάρ τινες τοιοῦτοι περὶ πάσας, ὡς εἰπεῖν τὰς τέχνας. Ἀποδίδομεν δὲ τὸ κρίνειν οὐδὲν ἧττον τοῖς πεπαιδευμένοις, ἢ τοῖς εἰδόσιν.

Interpretes Ariſtotelis iniquè reprehendit.

In his verbis fœdè interpretes allucinantur, exiſtimantes πεπαιδευμένον περὶ τὴν τέχνην, eſſe vſu peritum artis, ſiue qui à pueritiâ expertus ſit circa artem; cum reuera is ſit, qui ex Analyticis didicerit, quid in arte rectè ſecúſue tradatur, quid proprium ſit ſiue homogeneum, quid heterogeneum ſiue alienum. Alius nempe Medicinam facit ſiue exercet, neſciens quare hoc aut illud faciat, qui eſt velut opifex, ſiue uſu peritus, aut empiricus. Alius artem medendi ſcit, vt cauſſam poſſit reddere, cur quidque faciendum ſit, qui velut Architectus præeſt operi. Alius deniq; quamuis nec vſum, nec ſcientiam medendi habeat, nouit tamen quid malè aut bene ab eo dicatur, qui Medicinam docet, vel de illâ diſſerit, qui eſt πεπαιδευμένος in arte Medicâ, ſicut alij in alijs artibus; nonnulli quodammodo in omnibus. Rectè igitur Princeps Peripateticorum Nunneſius, in Phyſicarum inſtitutionum præfatione, vbi accuratiſſimè, nec minus elegánter, de Pœdiâ diſſerit, ſic Ariſtotelis verba cônuertit: *Medicus eſt & Faber,*

ber, & Architectum, & tertius, qui Pædiam tenet artis. Sunt enim tales in omni propè arte periti, quibus tam concedimus iudicare de artibus, quàm iis, qui ſcientiam tenent.

Gaza immeritò culpatus.

Idem ipſum Philoſophus de ſcientiâ & Pœdiâ principio *l.* 1. de partibus Animalium docet, ſed quid ſibi velit propter locum infeliciter Latinè à Theodoro Gazâ redditum, parum multi percipiunt. Verba eius ſunt: Περὶ πᾶσαν θεωρίαν καὶ μέθοδον, ὁμοίως ταπεινοτέραν τε καὶ τιμιωτέραν, δύο φαίνονται τρόποι τῆς ἕξεως εἶναι. ὧν τὴν μὲν ἐπιστήμην τοῦ πράγματος καλῶς ἔχει προσαγορεύειν, τὴν οἷον παιδείαν τινά. Πεπαιδευμένου γάρ ἐστι κατὰ τρόπον τῆς ἕξεως δύνασθαι κρίνειν εὐστόχως, τί καλῶς, ἢ μὴ καλῶς ἀποδίδωσιν ὁ λέγων.

Putat Gaza, Pœdiam eſſe Peritiam, ſiue notitiam ex vſu, cum ſit τρόπος τῆς μεθόδου, velut ipſe docet Ariſtoteles in extremo eiuſdem *l.* 1. id eſt ratio, modus, viaq; tractandi, vt ibi rectè ipſe Gaza interpretatur; quam aliter Ariſtoteles in calce primi Metaphyſici minoris, τρόπον ἐπιστήμης, id eſt Scientiæ modum appellat. Proinde nec πεπαιδευμένος, eſt *probè peritus*, vt Gaza vertit, ſed Analyticus, ſiue Pœdiâ inſtructus, qui novit, quâ viâ ac modo artes & diſciplinæ tradi debeant.

Tandem malè Gazâ Methodum interpretatur *viam & rationem docendi*, quaſi eadem eſſet ac Pœdia, cum Ariſtoteli ſolenne ſit eâ voce vti pro cognitione, arte, ſcientiâ; quod & interpres

preſ eius Alexander in primo Topicorum teſtatur. Locum igitur totum rectiùs ſic conuerterimus: *In omni contemplatione & diſciplinâ, tam nobiliori quam ignobiliori, duos eſſe habitus apparet, quorum alterum rei ſcientiam, alterum Pædiam quandam ſeu tractandi modum, rectè quis appellauerit. Eius enim, qui Pædiam habet, munus eſt poſſe ſolerter iudicare, quid rectè, aut quid non rectè explicet is, qui dicit.*

Iam cum Pœdiæ ſit rei ad tractandum propoſitæ οἰκεῖα, ſiue ſua ac propria, Apœdeuſiæ viciſſim ἀλλότρια, ſiue aliena in medium, afferre, non illum modo ἀπαιδεύτως, id eſt nulla Pœdiâ, nulloq; delectu diſſerere Ariſtoteles inſimulat, qui ea quæ Loco, ſed etiam qui quæ Genere aliena ſunt, tractat. De ijs, quæ Loco aliena ſunt, totus l. 1. de partibus animalium argumento fuerit; cum in conſtituenda eius tractationis Pœdiâ hoc potiſſimùm conſilio occupetur, ne ſæpius eadem iterare, ſiue de ijſdem rebus pluribus locis diſſerere ſit neceſſe. Itaq; vt ſuo quicque loco diceretur, hunc Phyſiologiæ limitem ſiue terminum, id eſt methodi præceptum fixit, vt à generalioribus ad ſpecialiora fiat progreſſus. Sic enim fit, vt quæ in Generis tractatione diximus, poſteriùs in explicandis eius formis ſiue ſpeciebus, iterare minimè neceſſe habeamus.

De Pædiâ & Apedeuſiâ ſanè nugatur Grammaticum.

Quæ Genere ſunt aliena ſiue alterius Generis, vel ad ipſum artis aut diſciplinæ ſubiectum pertinent, vel ad inſtrumenta, quorum in ſubiecto quoq; tractando vſus eſt. Itaq; in 3. met. 3.

qui-

Digitized by Google

quibuſdam Philoſophis, vt ignorarent quid Phyſico, quid primo Philoſopho, ſeu Metaphyſico ſubiectum ſit, δι' ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν, propter Analyticorum Pœdiæ inſcitiam vſu veniſſe affirmat; nec miuus Rhetoribus, vt ſe pro Politicis venditarent, in 1. Rhetor. 2. Quoniam ſcilicet fines Artium Politicæ & Rhetoricæ, ſiue quid vtriq; earum proprium, quid alienum eſſet, ex Analyticis iudicare non didicerint. Illa enim docent Pœdiam, id eſt artis cuiuſq; tractandi modum & viam, cuius inter prima præcepta eſt, vt demonſtrationes ſint propriæ, non alienæ; neu de genere ad genus fiat tranſitus. Quod præceptum à Pythagorâ neglectum fuiſſe in principio Magnorum Moralium queritur, ὅτι τὰς ἀρετὰς εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀγάγων, οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν τὴν θεωρείαν ἐποιήσατο; *quoniam virtutes ad numeros referens, nequaquam eâ inquirendi vſus fuerit ratione, quæ eſſet virtuti ſuæ, aut propria.*

Analytica Pœdiam falsò aſsignat.

Eiuſdem culpæ ſtatim reum agit Platonem, partim quod virtutem cum tractatione eius, quod per ſe bonum eſt, miſcuerit, partim quod cum de humano bono dicere inſtituiſſet, de Deorum bono egerit. Rationem ſic reddit: οὐ γὰρ οἰκεῖον, *non enim hoc ei diſputationi proprium, ſed alienum eſt,* οὐδὲν γὰρ τούτῳ κἀκείνῳ κοινὸν, *non enim huic & illi quicquam commune eſt.* ὑπὲρ τούτου καὶ ἄλλος λόγος, καὶ ἀλλοτρία ἡ σκέψις, *ſuper illos alterius loci ſermo, & aliena eius eſt conſideratio.* Eandem Apœdeu-

deuſiæ, notam 3. met. 4. Philoſophis illis inurit, qui omnium principia, cum certa ſint, & probationem habeant nullam, probare nihilominus conantur. ἐςὶν γὰρ ἀπαιδευσία, τὸ μὴ γινώσκειν, τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων οὐ δεῖ. *Eſt enim Pædia inſcitia, neſcire, quorum oporteat quærere demonſtrationem, quorum verò non oporteat.* Idipſum habet argumenti, quod principio 4. Politic. Platonem multa quidem præclara de optimâ Republica ſcribere, ab vtilitate tamen aberrare inſimulat.

Politicam ſublimiorũ ſcientiarum principiis malignè ſpoliat.

Nam Politica eſt vtilitatis publicæ ſcientia, ſiue eorum, quibus vti poſſumus ad condendum tuendumq; ſtatum. Quorum ergo nullus eam ad rem vſus eſt, ſunt cenſenda Aliena, neq; ſine Apœdeuſiâ in ſcholâ Politicâ tractari poſſunt. Alienæ quoq; ſunt Politicorum Præceptorum rationes, quamuis veræ, quamuis vtiles, ſi ad ſublimiores ſcientias pertineant; neq; πεπαιδευμένος, ſeu pœdiâ præditus exiſtimabitur, qui eas vel ipſe ad diſputandum aduocare, vel ab alijs exigere fuerit auſus. Hoc in principio Ethicorum Nicomachiorum Ariſtoteles his verbis perſpicuè docet: Πεπαιδευμένου, id eſt, *eius qui pœdian didicit, munus eſt eatenus exactam in vnoquoq; genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt. Simile enim vitium videtur, Mathematicum veriſimilibus vtentem approbare, & ab Oratore demonſtrationes exigere.*

Falſa & nexa plura conglobat.

Atq; ex iſtis Ariſtotelis autoritatibus exploratò iudicari poteſt, quatenus de Principis pietate

tate in acroaſi politicâ præcipi debeat. Cum enim pietas iuſtitiæ ſpecies ſit, iuſtitia verò Philoſophiæ morali ſubijciatur, non eſt dubium Principi à parentibus, & domeſticis morum magiſtris, veram pietatem accuratè inſtillari debere. Rurſus cum eadem ſit inter cauſſas adminiſtras, ſiue inſtrumenta ſalutis animæ, eius tractatio ad Theologiam pertinet, adeoque Theologi, eiusq; qui verbum Dei prædicat, officium eſt Principem ad pietatem inflammare. Politicus & ipſe Pietatem ei præſcribit, non aliter tamen, quàm quia ſit ad conſeruandum ſtatum vtilis. Nam finis artis cuiusq; vel diſciplinæ, omnium adiumentorum, ſiue Inſtrumentorum (vulgo mediorum) ad finem idoneorum menſura, ſeu norma eſt. Quicquid ergo in Politicâ præcipitur, niſi vim habeat efficiendi finem eius, qui eſt ſtatus cõſeruatio, nequaquam οἰκεῖον, ſiue proprium, ſed alienum meritò perhibetur. Pietas igitur cum ingentes ad tuendum ſtatum vires habeat, omnino à Politico præcipi debet.

Sed cum aliam eius vtilitatem ex Theologiâ, ſiue ſacris literis, aliam ex Politicâ vitæq, ciuilis vſu notam habeamus, Pœdiâ poſtulat, vt ſuam vterq; Doctor, non alienam vtilitatem commemoret. Sicut ergo Theologus Principem hortabitur eſſe pium, vt Deum ſibi reddat propitium, eoq; pacto & imperium eius proſperetur, & anima ſalua fiat, quoniam *Deus glorificantes ſe glorificat.* 1. Reg. 2. *& pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* 1. Tim. 4. Similiter Politicus Pietatem

tem ante omnia Principi commendabit, quoniam ea hominum animos illi reddat propitios, vt eum cum ament, tum revereantur, quibus duabus rebus imperium conſeruari palàm eſt. Nam qui pius eſt, Deo reddit debitum, adeoq; iuſtus eſt,& vir bonus,vnde aliorum erga illum exſiſtit Amor. Et cum Deus ſit iuſtus, abeſſe non poteſt, quin Principem ſui amantem & reuerentem redamet, & aduerſus inimicos tueatur, vnde eum ab hominibus reſpectari, coliq; contingit.

Etiam iuſtos hoſtibus Deus permittit.

Sic inquam & Theologus, & Politicus de Pietatis vtilitate præcipere, non alter alterius fines debet inuadere, niſi ſuſpicionem mouere velint, ſe cum Rationem nobis à Deo datam, tum Rationis artem, diuino beneficio à Philoſophis inuentam & traditam nihili facere, eâq; inuitâ nullo diſcrimine quiduis quouis loco inculcare velle.

Quis dubitet,quin morborũ omniũ cauſſæ ſint peccata?Neq; tamen Medicus ἀπαιδευσίας,imò ſtoliditatis iuſtam effugerit repræhenſioné,ſi de cauſſis Febrium diſputans,peccati Originalis & Actualis mentionem inferat, eumq; qui morbis carere velit,peccata fugere iubeat.Vt enim veriſſima ſit eius diſputatio, neq; nõ multiplicem hominibus afferre poſſit vtilitatem,tamen quoniam ὐκ οἰκείαν, non ſuam aut ptopriam, ſed alienam & heterogeneam eſſe conſtat, eâ ſuperſedere, nec in alterius artis fines inuadere debuit. Similiter igitur Politicus Pœdiæ legibus parere, eaq; quæ alterius ſunt generis, quamuis veriſſi-

Simile diſſimile.

Digitized by Google

veriſſima ſint & vtiliſſima, ab Acroaſi ſuâ ſubmouere debet. Cætera Pœdiæ ipſius noſtræ Lectio aperiet. VALE.

§. X.

VINDICIAE. Admonitionis Scioppiana ſumma.

Quid prior Admonitionis pars contineat.

HÆc monita ſunt Scioppij, quibus ne fallatur Lector, admonitione & cautelâ opus habet. Summa eſt. In priori parte ex Ariſtotele pugnat, triplicem artificem eſſe. Vnus eſt velut opifex, ſiue vſu peritus, aut empiricus, qui neſcit, quare hoc aut illud faciat. Alter itâ artem ſcit, vt cauſſam poſſit reddere, qui velut Architectus, præeſt operi, ideoque Architectonicus dicitur. Tertius deniq; quamuis nec vſum, nec ſcientiam habeat, nouit tamen, quid artis proprium, aut ab eâ alienum ſit; quid malè aut bene ab eo dicatur, qui artem docet, vel de illâ diſſerit. Hunc ab Ariſtotele πεπαιδευμένον, ipſamq; hanc facultatem Pœdiam, appellari contendit.

Quid poſterior.

In poſteriori parte negat Pœdiâ præditũ eſſe, qui Politicorum præceptorum rationes ad ſublimiores ſcientias, Theologiam nimirum & Ethicam pertinentes affert. Neq; aliam Pietatis vtilitatem vult in Politicâ commemorari, quàm quod hominum

minum animos Principi reddat propitios, vt eum cum ament, tum reuereantur. Cuius doctrinæ falſitas ex dictis aliquantum patet, & magis deinceps patebit. Nunc hâc parte omiſsâ Scioppium imperitum & fallacem eſſe Ariſtotelis interpretem demonſtremus.

§. VI.

Locum ex Libro I. Ethicorum Eudemiorum, à Scioppio falsò, & contra mentem Ariſtotelis explicari.

ARiſtoteles lib. 1. Ethicor. Eudem. c. 3. non Politicos ſpeciatim, ſed vniuerſim, eos Philoſophos arguit, qui *vt Philoſophi videantur, cum nihil ſciunt, nihil dicere, ſed debito modo ſæpe neſciunt: rationes alienas à re propoſitâ, & inanes afferentes.* Hic enim ſenſus eſt verborum illorum: εἰσὶ γὰρ τινὲς, οἱ διὰ τὸ δοκεῖν φιλοσόφου εἶναι, τὸ μηδὲν εἰ μηδὲν, λέγειν, ἀλλὰ μετὰ τρόπου πολλάκις λανθάνουσι, λέγοντες ἀλλοτρίους λόγους τῆς πραγματείας, καὶ κενούς. Quæ & ſequentia à Scioppio perperam explicari clarum eſt ex hiſce proximis verbis: τοῦτο δὲ ποιοῦσιν ὁτὲ μὲν δί ἄγνοιαν, ὁτὲ δι᾽ ἀλαζονείαν. ὑφ᾽ ὧν ἁλίσκεσθαι συμβαίνει καὶ τοὺς ἐμπείρους, δυναμένους πράττειν ὑπὸ τούτων.

Quos Philoſophos Ariſtoteles arguat.

τῶν μήτ' ἐχόντων, μήτε δυναμένων διάνοιαν ἀρχιτεκτονικὴν ἢ πρακτικήν. πάσχουσι δὲ τοῦτο δι' ἀπαιδευσίαν. Quæ ità redduntur: *Id verò faciunt, aliquando quidem ex inſcitiâ, aliquando ex ſuperbiâ. Quibus vinci contingit etiam expertos, & ad agendum idoneos ab his, qui nec præditi ſunt, nec valent intelligentiâ architectonicâ, aut practicâ. Patiuntur verò id, propter imperitiam.*

Scioppii explicatio refellitur.

Non ergo Ariſtoteles, vt falsò ait Scioppius, *hos qui multo ſtudio, vel rerum hominumq; vſu Politicam, aut aliam ſcientiam didicerunt*, apædeuſiæ inſimulat: ſed Philoſophici nominis aucupes, qui rationes alienas & inanes proprijs ac ſolidis deſtituti, imperitè aut arrogãter accumulant, & loquuntur cum tacendum eſſet, vt ex ipſis verbis perſpicuum ſit. Neq; dicit illos, ab iſtis diſputando, ſed ignorantiâ & arrogantiâ vinci, non rationibus nimirum, ſed clamoribus, & iniquis ardelionum eiuſmodi, ipſisq; ſimilium iudicijs: à quibus calumniam homines docti & periti, non ob ſuam, ſed ipſorum apædeuſiam & imperitiam, frequenter patiuntur. Quæ enim ratio patitur hos, qui cum multo ſtudio rerum hominumq; vſum coniunxerunt, ab illis reuera vinci, qui Ariſtote-

le teſte

le teſte nec præditi ſunt, nec valent intelligentiâ architectonicâ, aut practicâ: cum ſi vincerent, neceſſe foret alterutro illos valere? Non tanti eſt Scioppius, vt in illius gratiam credamus Ariſtotelem tam ſibi & veritati contrarium eſſe; illud potius Ariſtoteli & veritati dabimus, vt eiuſmodi interpretes imperitis, aut arrogantibus Philoſophis accenſeamus.

§. XII.

Non eſſe veriorem explicationem eius loci, quem affert ex libro 3. Politic. c. 7. vel 11. de triplici artifice, operario, architecto, experto.

NEque verior eſt explicatio eius loci, quem ex l. 3. Politic. c 7. vel. 11. affert. Vbi contendit ab Ariſtotele per Medicum δημιουργὸν intelligi empiricum ſiue expertum in Medicinâ; πεπαιδευμένον verò eum eſſe, *qui ex Analyticis didicerit, quid in arte rectè ſecusúe tradatur, quid proprium ſit, ſiue homogeneum, quid heterogeneum, ſiue alienum*; quiue, licet *nec vſum, nec ſcientiam medendi habeat, nouit tamen, quid malè aut bene ab eo dicatur, qui Medicinam docet, vel de illâ diſſerit.* Verùm Scioppius repugnat inprimis S.

Medicum δημιουργὸν & πεπαιδευμένον malè explicat.

Digitized by Google

Repugnat S. Thomæ.

Thomæ, qui Ariſtotelem, his verbis explicat: *Vlterius dicit, quod Medicus triplex eſt. Vnus quidem eſt, qui non nouit artem, ſed ordinata ab alijs, aliqualiter ſcit applicare ad opus. Alius eſt artifex principalis, qui nouit ſimpliciter omnes cauſſas & principia Medicinæ. Et tertius eſt expertus, qui aliqua nouit, ſed non ſimpliciter. Cum igitur dicimus Medicum iudicare de eo, quem ſanat, intelligimus de Medico ſecundo & tertio modo. Et ſicut circa Medicinam eſt conſiderare triplicem Medicum, ſcilicet practicum, ſcientem & expertum, ſic circa omnes alias artes ferè.* Cum autem Scioppius Pædiam ſuam poſt Ariſtotelem, autoritate S. Thomæ præcipuè fulcire laboret, non debuit in ipſo ſtatim veſtibulo ei repugnare.

Et legibus rectæ diuiſionis.

Sed Ariſtotelem cum S. Thomâ aduerſus hunc Grammaticum ſentire, recta quoq; diuiſionis ratio oſtendit. Cum enim perſpicuum ſit tria artificum genera à S. Thomâ enumerata, in omnibus ferè artibus ſpectari, ſi πεπαιδευμένον Ariſtoteles vocauit Analiticæ peritum, & δημιουργὸν empiricum ſiue expertum: ergo omiſit merum operarium, quales ſunt, qui ſine vllâ arte, artificum iuſſa faciunt, vt funes

trahen-

trahendo, aut machinas applicando, in architecturâ, alijq; in alijs artibus. Non autem eſt mutila Ariſtotelis doctrina, ergo falſa eſt Scioppij interpretatio.

Quod vlterius ſequentia Ariſtotelis verba confirmant, cum aſſerit nos tribuere iudicium, de artibus non minùs πεπαιδευμένοις, quam εἰδόσιν, ſiue ſcientiâ præditis. Vbi Ariſtoteles non debuit omittere δημιουργούς, ſi ijdem ſunt qui experti. Nam certum eſt expertos, de artibus & operibus artificioſis, non minus bene iudicare, quam ſcientiâ pollentes; quin *etiam expertos magis, quàm eos, qui rationem ſine experientiâ tenent, propoſitum finem aſſequi videmus*, teſte ipſo Ariſtotele 1. met. c. 1. Qui 8. Polit. c. 6. cenſet *vnum quid eſſe ex ijs, quæ fieri nequeunt, aut difficilia ſunt, vt qui non participant, ſiue vſu addiſcunt opera artis, boni eorum iudices fiant.*

Refellitur vlterius ex Ariſtotele.

Nec ergo Ariſtoteles in arte expertos δημιουργοὺς hìc appellat, cum inter iudices artis non numeret: nec vſu & ſcientià deſtitutos, ſcientibus æquat, cum inexpertos iudices reijciat. Quibus Analytica Scioppiana ſuffragari non poteſt.

Sicut enim argumenta ex locis cõmunibus ducta, *neminem faciunt in vllo genere peri-*

Communia particularium ſcien-

ſtiarum p-ritos non faciunt.

peritum, cum circa nullum certum ſubiectum verſentur, vt præclarè docet Ariſtoteles 1. Rhet. c. 2. ſub finem; ita præcepta Analytica, quæ generatim ſolùm iubent *demonſtrationes facere proprias, non alienas*, & vetãt *de genere tranſire in genus*, nullã de particularibus Politicæ, aliarumq; ſcientiarum obiectis aut limitibus, rectè ſentiendi, aut iudicandi facultatem tribuunt: niſi particularis ſcientia aut experientia, quæ rei ſunt propria aperiat. Quibus cognitis tum demum generales regulæ rectè diſſerendi, in vnaquâq; materiâ adhibendæ ſunt. Quo vno argumento ex ipſo Ariſtotele, contra Ariſtotelem & veritatem, pugnare Scioppius conuincitur.

§. XIII.

Neque initium libri 1. de partibus animalium Scioppio ſuffragari; his locis παιδείαν ab Ariſtotele pro vſu & experientiâ, πεπαιδευμένον pro experto ſumi.

Ariſtotelis mens hoc loco.

NEque l. 1. de partibus animalium c. 1. Παιδείαν aliter quam pro habitu experimentali, & πεπαιδευμένον pro experto ab Ariſtoteli ſumi, eâdem ratione colligimus. Cum enim dicat πεπαιδευμένον *poſſe*

iudi-

iudicare perſpicaciter, quid rectè aut non rectè tradat is, qui diſſerit, nemo autem ex ſolis generalibus principijs, recte iudicet de rebus particularibus, vti dictum eſt: non ergo Ariſtoteles peritiam cõmunium præceptorum Analyticæ, ſed habitum experimẽtalem Pœdiæ nomine intelligit. Eiuſmodi enim habitum præter illum, qui ſcientia dicitur, in quâuis facultate & diſciplinâ rectè conſtitui, autoritate eiuſdem Philoſophi planum eſt. Nam 1. met. c. 1. dicit *experientiam ſcientia ac arti ferè ſimilem eſſe, & per experientiam ſcientiam ac artem hominibus prouenire*; omnis ergo diſciplina his duobus habitibus, ſcientiæ ſeu artis, & experientiæ, nititur ac perficitur. Neq; opus eſt addere tertium pro meris operarijs, nam cum hi non ex arte ſuâ, ſed alienâ artificiosè operentur, artifices quidem aliquo modo, non autem vllo habitu ad artem ſpectante, præditi dicuntur.

Etſi verò Ariſtoteles l. 1. de part. animal. methodum illam probet & eligat, quâ à generalioribus ad ſpecialiora fit progreſſus: nũquam tamen euincet Scioppius, hanc methodi rationem Pœdiam ab eo appellari. Sed figit Ariſtoteles tractationis ſuæ terminos methodicos, eosque ad

Rationem Methodi Pœdiam non appellat.

Digitized by Google

ad faciliorem intelligentiam accommodat, vt tanto facilius is, qui expertus eſt, de dicendis iudicare poſſit. Cum adhæc doctrina de partibus animalium, ex eorundem diligenti notitiâ, inſpectione, ſectione, multisq; adeò & meris ferè experimentis dependeat: euidens eſt Ariſtotelem Pœdiam, quam facultatem rectè iudicandi de doctrinâ aliquâ interpretatur, non niſi expertis attribuere; nec Analyticos Scioppianos, nullâ præterea ſcientiâ aut experientiâ præditos, meliùs de talibus, quàm cœcos de coloribus iudicare.

Ariſtoteles verborum ſuorũ optimus interpres.

Optimus deniq; verborum ſuorum interpres eſt ipſe Ariſtoteles, qui vocis deriuationem ſecutus, puerorum quidem educationem ſeu diſciplinam παιδείαν, eosque educare ſeu inſtituere, παιδεύειν paſſim, & præcipuè l. 8. Polit. vocat. Cum verò de adultis eas voces vſurpat, experientiam, ſiue vſum non incongruè intelligit: nam vt pueri educatione, ſic adultiores rerum experientiâ inſtituuntur. Exemplum clarum eſt 1. Ethic. c. 3. vbi hæc habet: ἕκαστος δὲ κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. καθ᾽ ἕκαστον ἄρα πεπαιδευμένος. ἁπλῶς δὲ, ὁ περὶ πᾶν πεπαιδευμένος. Id eſt: *Quæ autem quisq; nouit,*

Pœdia quid

nouit, de iure rectè iudicat, eorumq; eſt bonus iudex: ſingularum quidem rerum, qui in ſingulis, ſimpliciter, qui in omnibus eſt expertus.

Eſſe verò πεπαιδευμένον idem quod expertum, ipſe Ariſtoteles ſequentibus verbis exponit: διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἐστὶν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος. ἄπειρος γὰρ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων. Id eſt, *Quare Politicæ non eſt idoneus auditor iuuenis; inexpertus enim eſt actionum humanæ vitæ*, non Analyticorum, quibus iuuenes in Logicâ imbuuntur. Cum ergo Ariſtoteles ideo reijciat iuuenem à Politicâ, quod non ſit πεπαιδευμένος, huiusq; cauſſam aſſignet inexperientiam, neceſſe eſt πεπαιδευμένον hic eum dici, qui rerum actionumq; humanarum experientiam habet. Vnde colligo Pœdiam quoq; initio l. 1. de partibus animalium pro habitu, ſeu notitiâ experimentali accipi, debere; eo etiam argumento, quod vti, l. 1. Ethic. c. 3. ità & hìc quosdam dicit, de omnibus rectè iudicare, quosdam de certo genere. Analyticus autem de omnibus quidem generatim rectè iudicat, non item in particulari: niſi particularem ſcientiam aut experientiam habeat. Non ergo ille ad mentem Ariſto-

Πεπαιδευμένος *expertus.*

telis eſt; ſed is, quem expertum vocamus.

XIV.

De alterâ Admonitionis parte, quâ Scioppius apædeuſiæ eos damnat, qui in Politicâ rationes ex ſublimioribus ſcientiis, Theologiâ nempe, & Philoſophiâ morali accerſunt.

Pœdiæ ſignificatio ad ſummam rei nil confert.

SEd hæc ſatis ſint, ad Grammatici in Ariſtotele intelligendo, interpretandoq; imperitiam coarguendam, qui etſi hanc de verbis litem obtinuiſſet, nihil ad cauſſæ ſummam id referret. Nam ſiue Pœdiæ nomine notitiam experimentalem, ſiue doctrinæ methodum intelligamus: nihil alienum ab ea faciunt, qui principijs Chriſtianis & moralibus in Politicâ vtuntur ac nituntur. Nos verò poſt euictionem veræ ſignificationis, à te Amice Lector hoc petimus, vt Pœdiæ titulum Pſeudopoliticis & Pſeudologicis hiſce pagellis, immerito à Scioppio inſcriptum eſſe pronunties: & inſcitiæ priorem Admonitionis Scioppianæ partem condemnes. Neq; de alterâ eius parte, quâ pietatis iuſtitiæq; principia Politicis eripit, mitius cenſebis, vbi totas Vindicias perlegeris. Hìc obiter iſta aduerte.

1. Pietatem & iuſtitiam perperam à Politi-

liticâ ad Philoſophiam moralem ablegari, cum Politica aut totam Philoſophiam moralem, aut nobiliorem eius partem complectatur, vt infra dicemus. Ariſtoteles certè 5. Ethic. c. 6. *Ius Politicum ſeu ciuile, ius ſimpliciter*, reliqua autem, *iura ſecundùm quid* vocat, & 3. Politic. c. 8. *bonum ciuile eſſe iuſtum ipſum*, pronunciat; quare ex mente Ariſtotelis Scioppius Politicæ prædo cenſeri debet, cum illam bono ſuo ſpoliet. *Pietas & Iuſtitia ad Politicam pertinent.*

2. Etſi verum ſit à Politico Pietatem non aliter præſcribi, *quàm quia, ſit ad conſeruandum Statum vtilis*, qui tamen re non nomine Status eſt, cœlum & repoſitam ibi nobis ſalutem, velut finem vltimum, erectus reſpicit: nec quæ ei contraria ſunt admittit. Ideoq; conſeruatio Status, non à bonis dumtaxat fortunæ, ſeu externis, vt falsò autumat Scioppius: ſed multò magis à vigore iuſtitiæ aliarumque virtutum, religionis præcipuè, dependet. Neq; norma ac menſura mediorum Politicorum, eſt incolumitas Status quæcunq;, ſed à rectâ ratione & virtute profecta. *Quis verè ſit Status.*

3. Falſum eſt eam vnam eſſe Pietatis vtilitatem in Politicâ, quod amorem & reuerentiam conciliet. Nam vtilitas Pieta-

tis

Proſperitas Reſpub. ad Politicam ſpectat.

tatis generalis eſt, imperium proſperare. Malè ergo eam in Theologiâ ſolùm commemorari vult Scioppius, cum ad Politicam nihil tam pertineat, quàm proſperitas Reipublicæ aut principatus. Deinde victoria & tutela aduerſus hoſtes, aut rebelles ſubditos, diuinitus pijs Principibus conceſſa, non ex amore & reuerentiâ oritur: ſed inter alias, ab his diuerſas pietatis vtilitates referri debet. Malè ergo Scioppius præcipuas pietatis vtilitates omiſit, aut excluſit, vt deinceps manifeſtius erit.

§. XV.

SVPPETIAE. Scioppius Inſtrumenta Logica aſſignat.

Scioppiana Logica inſtrumenta Inuentio & Diſpoſitio.

POſtremò inſtrumenta artis ea ſunt, quorum adiumento, ſiue ope, præſtat artifex, quæ ſui ſunt officij. Et Logicæ quidem Inſtrumenta ſunt *Inuentio & Diſpoſitio*, ſicut Rhetoricæ propria, *Elocutio & Actio*. Inuentio eſt ratio excogitandi argumenti ad quæſtionem tractandam, id eſt vel explicandam, vel probandam. Diſpoſitio verò eſt apta inuentorum collocatio; cuius tres ſunt ſpecies, Enuntiatio, ſiue Axioma, Argumentatio & Methodus. Cum enim argumentum explicans collocatur cum quæſtione, vel themate ſimplici: vocatur *Enuntiatio*, aut *Propoſitio*; in quâ thema ſimplex eſt id, de quo argu-

argumentum dicitur, argumentum verò explicans eſt id, quod de themate dicitur: vt ſi dicam, *Virtus eſt habitus: Virtus eſt* quæſtio, ſiue thema ſimplex, *habitus* eſt argumentum explicans. Cum verò argumentum probans, collocatur cum themate coniuncto, dicitur Argumentatio, vt ſi dicam, *Virtus eſt habitus, cum crebris actionibus acquiratur.* *Argumentatio.*

Cum deniq; certâ ratione alia argumenta, & argumentationes priore, alia poſteriore loco collocantur, dicitur *Methodus.* Verbi gratiâ. Inueni virtutis definitionem, diuiſionem, cauſſas, effecta, adiuncta, partes, conſentanea, diſſentanea: Sed aliud horum prius, aliud poſterius colloco, quoniam eius rei certas habeo cauſſas; nimirum aut veritatem, vt natura thematis rectè cognoſcatur (quæ *Methodus doctrina* vocatur) aut perſonas, tempora, loca, aliasq; rerum appendices ſiue attributiones, aut circumſtantias, quæ iam *Prudentia eſt Methodus.* *Methodus.*

§. XVI.

VINDICIAE. Inuentionem & Diſpoſitionem inſtrumenta Logica non rectè ſtatui, neq; Rhethorica ſolam Actionem, & Elocutionem.

ERrat Scioppius & ſecum pugnat, cum Inuentionem & Diſpoſitionem pro inſtrumentis Logicæ aſſignat. Inſtrumenta enim eſſe ait, *quorum adiumento, ſiue ope praſtat artifex, qua ſui ſunt officij*; atqui *Scioppius ſecum pugnat.*

qui ſupra dixit *Officium artis, eſſe opus extremum, quod ab artifice præſtari oportet,* quodq́; ſi facit, non habet vltra quod faciat, alioqui enim extremum non eſt. Logicæ autem Officium eſſe cenſuit, *dirigere & rectificare mentis actiones, ſiue operationes*, inter quas & hìc, & ibi numerat Inuentionem ac Diſpoſitionem. Vnde ex ipſo contra ipſum ità concludo. Quæ diriguntur & rectificantur per artem, non ſunt inſtrumenta artis; inuentionem & diſpoſitionem Logica ex Officio per præcepta ſua dirigit & rectificat; pertinent ergo ad materiam & finem, non ad inſtrumenta artis. Horum enim per ſe non eſt dirigi nec rectificari, ſed adiumento eſſe ad directionem & rectificationem.

Si dicas non inuentionem & diſpoſitionem, ſed inueniendi & diſponendi præcepta, ab eo intelligi: primum ratio loquendi eſt incongrua. Deinde apparet quod initio dixi, illa quatuor non rectè in Logicâ diſtingui. Inſtrumenta enim Logicæ diuerſa non ſunt à pręceptis, quorum ope operationes mentis dirigit & rectificat, adeoq́; Officium ſuum præſtat: quod in inſtrumentis artis proprium eſſe ipſe Scioppius definiuit.

Inſtrumenta Logicæ eadem cum præceptis.

Cui

Cui Grammatico in aſſignandis Rhetoricæ quoq; inſtrumentis, Elocutione & Actione, Clariſſimus Rhetor Quintilianus fortè litem moueret, ſi audiretur. Nam is l. 12. Inſtit. c. 5. inter Oratoris inſtrumenta, refert quidem etiam *verborum figuramq; facilem copiam, & actionis gratiam*, verùm initio capitis ità ait: *Hæc ſunt, quæ me redditurum promiſeram inſtrumenta non artis, vt quidam putauerunt, ſed ipſius Oratoris.* Quod ideo dixiſſe videri poteſt, quia hæc aliaq; partes Rhetoricæ eſſe, l. 3. c. 3. ſtatuit. Verùm cum non repugnet eadem eſſe inſtrumenta & partes rei, (artifices enim ipſosq; adeo Rhetores, dum perorant, manibus, brachijs, linguâ, oculis, alijsq; membris ſeu corporis ſui partibus, pro inſtrumentis vti manifeſtum eſt) Scioppium hinc non accuſo: ſed inde, quod Elocutionem ſolùm & Actionem, non autem Inuentionem & Diſpoſitionem, aut memoriam ſaltem, inter inſtrumenta Rhetoricæ numerârit. Cum non minus horum, quam illorum adiumento, ſiue ope Orator præſtet, quæ ſui ſunt officij. Sed hoc proprium eſt tumultuariæ & arbitrariæ doctrinæ, nihil certum ac ſtabile afferre.

Neq; Rhetorica inſtrumenta rectè aſſignat Scioppius.

§. XVII.

Digitized by Google

tum, aut quæſtio dicitur. Quod de quæſtione apertè docet Ariſtoteles l. 1. Topic. c. 3. vbi quatuor genera prædicatorum tradit: *Nemo nos*, ait, *exiſtimet dicere, quod aliquod horum* (proprium, definitio, genus, accidens,) *per ſe prolatum, propoſitio aut problema ſit. Sed quod ex his & problemata, & propoſitiones fiant.* Tam propoſitionem autem, quam problema ſub quæſtione Ariſtoteles compræhendit, & ipſo quærendi modo ibidem diſtinguit. Audi ergo Grammatice Philoſophorum Principem, & diſce ab eo thema ſimplex, ſeu terminum ſimplicem, non eſſe quæſtionem, ſed quæſtionem ex illo fieri.

Argumentationis definitio inepta.

Argumentationis quoq; definitio obſcura & inepta eſt. Ait argumentationem eſſe, cum argumentũ probans collocatur cum themate coniuncto. Quid eſt thema coniunctum? an concluſio? ſed quis ità loquitur? aut quis iſta audit: & non Grammaticis nugis ferulam imprecatur?

Diuiſio Methodi non incongrua.

Methodi diuiſioni non relúctor. Habet ſuam procedendi rationem & diſpoſitionem ars, ac ſuam itidem prudentia: diuerſam quidem, ſi finem & alia ſpectes, non tamen repugnantem. Cum enim pruden-

Digitized by Google

tia arte aliquâ vtitur, & prudens artifex eam tradit, Methodum artis obſeruat: neque eius naturam peruertit, nec falſi quidquam admiſcet. Id verum eſt, prudentiæ leges non permittere, vt omnibus omnes artes aut ſcientię, aut omnes earum partes tradantur, vel permittantur: quia non omnia omnium indoli, ingenio, infirmitati, aut ſtatui conueniunt. Eam ob cauſſam ſacri Canones Clericos & Religioſos à quibuſdam ſcientijs arcent, cap. 1. & vlt. *Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.* Inde etiam ſacrarum litterarum lectio imperitis paſſim non permittitur, ne ſuâ culpâ pharmacum in venenum vertant. Quam prudentiæ cautionem, & ſcientiarum ſeu artium veluti diſpenſationem, ſi Scioppius prudentiæ Methodum appellat, nihil quidem falſi dicit, ſed cauſſæ nihil id prodeſt. Atq; hactenus oſtenſum eſt perſpicuè, niſi fallor, Scioppium Logicum non eſſe, ſed in ipſo ſcientiarum omnium oſtio ac limine, turpiter impegiſſe, adeoq; eius ſuppetias non niſi Pſeudologicus & inanes haberi debere.

CAP. III.

Digitized by Google

CAP. III.

De vera Politices fine, obiecto, officio, inſtrumentis.

§. I.

SVPPETIAE. Finem Politicæ eſſe beatitudinem, ſeu felicitatem ciuilem.

VIdeamus nunc, in quibus artis Politicæ conſtet perfectio, vt de iudicio iſtorum, qui tam inclementer de ſcriptoribus Politicis ſtatuunt, id quod dixi, fiat perſpicuum.

Finis ergo Politicæ eſt Beatitudo, ſeu felicitas ciuilis, quæ αὐτάρκεια definitur, id eſt copia rerum omnium, ad viuendum commodè, & ex ſententiâ neceſſariarum. Nam hæc res eſt, quæ homines impellit, vt in Societate velint viuere, quoniam mutuis iuuamur officijs. Nec quiſquam inuenitur, qui ſolus ſibi præſtare poſſit, quæ vitæ vſus requirit.

§. II.

VINDICIAE. Felicitatem ciuilem à Scioppio in bonis externis conſtitui, & ideò pietatis virtutiſq; doctrinam & curam, alienam à Politicâ iudicari.

SÆpius in ſuâ Pædiâ Scioppius de fine Politicæ loquitur. In Admonitione ad Lectorem, ait eſſe *ſtatus conſeruationem*; paulò ante appellat Politicam, *vtilitatis* *Quis finis Politicæ Scioppio.*

 publi-

publica ſcientiam, ſiue eorum, quibus vti poſſumus ad condendum tuendumq́ ſtatum. Deinde aſſerit Politicam *in tradendis iis totam occupari, quæ vtilia ſunt condendo & conſeruando Imperio aut ſtatui publico. Eius finem eſſe publicam felicitatem. In eâ tractari debere ſalutem, ſeu incolumitatem ſtatus.*

Felicitas ſtatus illi in bonis externis.

Beatitudinem autẽ ſeu felicitatem, & incolumitatem Status ciuilis, collocat dumtaxat in bonis externis, Imperio, gloriâ, potentiâ, opibus, rerumq́; huius vitæ affluentiâ. Quod inde manifeſtum eſt, quia doctrinam de virtute, eiusq́; curam alienam à Politicâ putat, quam maximè propriam eſſe fateri deberet, ſi eam finem Politicæ eſſe agnoſceret.

Eius hâc de re pronuntiata.

Hinc velut ex tripode pronuntiat: in Admonitione ad Lectorem; *quorum nullus ad eam rem vſus eſt, cenſenda eſſe aliena à Politicâ, talia autem eſſe omnia, quamuis vera, quamuis vtilia, ſi ad ſublimiores ſcientias pertineant.* Et paulò poſt: *Politicum quoq́ Principi pietatem præſcribere, non aliter tamen, quàm quia ſit ad conſeruandum ſtatum vtilis &c.* Et: *deterrere hominum animos ab affectandâ, vel tuendâ Tyrannide, ad Ethicam pertinere &c.* Et: *cum Honeſtum & turpe ad Ethicam pertineant, fateri*

teri oportere, de Tyrannidis turpitudine non in Politicâ, ſed in Ethicâ tractari debere. Anima Principis, aut ſalutẽ animæ, non eſſe ſubiectũ Politicæ, ſed Theologiæ. Opinionẽ, ſeu famam pietatis conſeruare imperium, ſicut pietas ſeruat animam: ac propterea, ſicut in acroaſi Theologicâ Princeps, vt animam ſeruet, iubetur eſſe verè pius, item in Politicâ Scholâ, vt Statum ſeruet, doceri exiſtimari pium. Imperium ſiue amore, ſiue reuerentiâ, aut reſpectu ſtabiliri: illa autem non effici virtute, ſed opinione virtutis; ſicut è diuersò odium & contemptum non effici vitiis, ſed opinione vitiorum. Falſi arguendum politicum, ſi dicat principatum maximè communem, & pleriſq; Principum accommodatum, rigidâ iuris & æqui ac fidei conſeruandæ religione conſeruari. Quorum omnium falſitatem, & noxiam fallaciam, ex noſtris hiſce vindicijs cognoſcere licebit.

§. III.

Eſſe hoc primum Pſeudopolitiæ fundamentum; ſed Ariſtotelem clarè aduerſari.

EST verò hoc primum omnis Pſeudopolitiæ fundamentum, Rationem Status bonis externis, ſiue Imperij ſtabili-

tate potentiâ, gloriâ, opibus circumſcribere: animi bona in virtutibus ſita aut negligere, aut excludere, tanquam à Politicis rationibus & arte imperandi aliena.

Pſeudopolitici vtile ab honeſto diuellunt.

Hinc vtile ab honeſto diuellunt, multa enim bonis externis parandis, conſeruandisq́; conducunt, quæ cum honeſtate pugnant; quâ opinione *nullam peſtem maiorem in vitam hominum inuaſiſſe* cum Panætio ſenſit Cicero lib. 3. de officijs. Inde manat peſtilens illa diſtinctio quam ſi non verbis, re certè magna pars imperantium profitetur: dum aliqua non quidem Chriſtiane & Theologicè, attamen Politicè fieri poſſe ac debere exiſtimant, quia conſeruando ſtatui conducunt, quidquid reclamet Theologica & Chriſtiana doctrina; cui Scioppius in Curiâ Politicâ nec locum, nec ſuffragium permittit. Neceſſarium igitur eſt, etſi id alterius maiorisq́; operæ foret, verum Politicæ finem, paucis Lectori explicare: vt rei cardo, & Scioppij apædeuſia, ac quæ deinceps dicenda ſunt, poſſint intelligi.

Illis Autoritas & Ratio aduerſa.

Repugnat hoc Pſeudopolitiæ infelix Principium autoritati & rationi, ſiue naturæ, ſiue fidei & gratiæ lumen ſequamur. Autoritatem Ariſtotelis in primâ acie ſta-

nuo.

Digitized by Google

tuo, eâ enim, ad bonos ſcriptores calumniandos abutitur Scioppius, eiusq; patrocinium ſimulat, ut adeo illam repudiare non poſſit. Ariſtoteles igitur 1. Ethic. c. 2. probat Summum bonum eſſe Politicæ finem. Illud autem non conſiſtere in bonis externis, oſtendit c. 5. 7. 8. 10. vbi Beatitudinem in actionibus virtutis collocat, eiq; bona externa pro inſtrumentis aſſignat. Vnde c. 13. *Videtur* ait, *verè Politicus huic* (virtuti ſcilicet,) *maximam operam impendere: ſtudet enim ciues bonos efficere, legumq; obſeruantes.* Similia habet l. 10. c 6. 7. 8. 9. & l. 1. Magnorum moralium c. 1.

Ariſtoteles inprimis.

Neq; aliud docet in Politicis. Nam l. 1. c. 1. aſſerit communitatem ciuilem ſpectare bonum præcipuum. Ibid. c. 6. quæ ciuitas verè, non nomine tenus appelletur, de virtute inprimis debere eſſe ſollicitam. Et: Ciuitatem non eſſe Societatem loci, nec belli, nec commerciorum, ſed rectè viuendi. Et: finem ciuitatis eſſe beatè viuere. Et: Societatem ciuilem non eſſe conuiuendi, ſed honeſtarum actionum gratiâ, in quibus beatitudinem conſtituit l. 1. & 10. Ethic. Sic l. 7. c. 1. docet Bona externa, diuitias, potentiam, famam eſſe

inſtrumenta, & ad bona animi, tanquam finem referri debere. Ibid. c. 2. probat felicitatem ciuitatis non conſiſtere in dominando alijs. Et, c. 14. addit nec in arte militari & victoriâ, ſitam eſſe.

Finem Politicæ ſtatuit in virtute.

Ex quibus alijsq; ſimilibus locis, manifeſtũ eſt Ariſtotelem finem Politicæ non conſtituiſſe in bonis externis, ſed in Societate beatè viuendi, id eſt ſecundum regulam rectæ rationis, ſeu virtutis: neq; per αὐταρκείαν intellexiſſe primariò ſufficientiam ſiue copiam rerum ad vitam corporis neceſſariarum, ſed ipſas virtutis actiones; in quibus tum ſingulorum hominum, tum Reipublicæ beatitudinem ſitam eſſe cenſuit. Summum enim bonum eſſe aliquid per ſe ſufficiens, ſiue αὔταρκες docet 1. Ethic. c. 7. etſi tum ibi, tum alibi bonorúm externorum adiumenta illi adiungat. Neq; aliâ autoritate nunc nobis opus eſt; ſequuntur enim ſummum iſtum Naturalis veritatis Magiſtrum omnes, quibus veritas & virtus cordi eſt. Sed iam rationis lucem adhibeamus, eamq; priùs, quam natura, tum alteram diuiniorem, quam fides accendit.

§. IV. Fi-

§. IV.

Finem Politicæ proprium, eſſe vitam ſocialem ſecundum regulam rationis & virtutis, bona vero externa eius inſtrumenta, Natura docet.

FInem Politicæ proprium ac præcipuum eſſe vitam ſocialem rectæ rationi & virtuti congruam, Natura, quæ hominem animal ſociale ſiue Politicum fecit, claris argumentis docet.

I. Cuiusque rei finis eſt bonum ipſius præcipuum ac proprium, ad hoc enim reliqua referuntur. Societatis autem humanæ quam conſiderat & dirigit Politica, præcipuũ ac proprium bonũ eſt, vita Socialis ordinata ſecundum rectã rationem & virtutẽ, (hoc enim diſcrimine à Societate belluarũ, eorumq; hominũ, qui belluarũ ritu viuunt, diſcernitur,) ergo hic eſt finis Politicæ præcipuus. Reliqua autẽ, vt Imperij potentia, gloria, ſtabilitas, opes & rerũ omniũ affluentia, inſtrumenta ſunt & adminicula virtutum, quæ humanæ Societatis ſunt propriæ. *Hæc enim animi gratiâ expeti apta ſunt, & oportet omnes expetere, qui rectè ſapiunt, non autem illorum gratiâ animum*, ait Ariſtoteles 7. Politic. c. 1.

Societatis humanæ proprium bonum virtus, adeoq; & finis.

II. Is eſt finis cuiuſque rei, quo obtento

bene habet, nec malè habere poteſt. Atqui bonis omnibus externis ſuppetentibus Reſpublica aut Imperium, niſi virtus accedat, bene non habet: ſed vitijs ſceleribuſque fœdata, in ſummâ licet potentiâ, gloriâ, opulentiâ, malè habet, tantoque peius, quanto maior eſt harum rerum exceſſus. Ergo humanæ Societatis, & Politicæ facultatis finis, non eſt bonorum externorum copia. Ideoque florentiſſima licet potentiſſimaque Barbarorum, Turcarum, & quorumuis Tyrannorum imperia, vituperamus ac deploramus: quia bonorum eiuſmodi putamina, & exanime veluti corpus ſectantes, ſtatus Politici nucleum & animam, juſtitiam dico aliaſque virtutes, aut negligunt, aut contemnunt.

Bona externa ſine virtute nocent.

III. Is eſt finis Politicæ, quem lex naturæ mentibus noſtris inſita, & pro Societate hominum potiſſimum lata reſpicit. Hæc autem non præcipit Imperium ſuum augere, alienum minuere, neque potentiam, & opes immodicè cumulare. Sed alijs facere, quod ſibi quis fieri velit, non facere quæ ſibi fieri nolit, neminem lædere, ſua cuique tribuere & reddere, non eripere; quæ virtutis, juſtitiæ præſertim

Lex naturæ virtutem præcipuè ſpectat.

tim

tim actiones ſunt. Ergo illis finis Politicæ continetur, non bonis externis, quæ natura voluit eſſe adiumenta virtutis, non impedimenta. Eundem finem præ oculis habuerunt, quicunq; legibus bonis Rempublicam aliquam laudabilem fundârunt. Vnde Ariſtoteles 5. Ethic. c. 1. docet Iuſtitiâ legali, quæ leges obſeruat, omnes virtutes contineri, quia legibus omnes virtutes præcipiuntur, & omnia vitia prohibentur. Cuius ea ratio reddi poteſt; quod pleræque virtutes, aut præſtantiſſimæ, vt juſtitia, fortitudo, liberalitas, Caritas ſiue Amicitia, ad vitam ſocialem referantur, in eaque exerceantur; earum ergo cura ac diſciplina, propoſita eſſe præcipue debet Politicæ ac Politico.

Pleræque virtutes Sociales.

IV.. Eandem eſſe felicitatem, ſiue eundem finem ſingulorum hominum, & ciuitatis ſiue Reipublicæ omnes conſentiunt, teſte Ariſtotele 7. Polit. c. 2. ſed manifeſtum eſt felicitatem ac finem ſingulorum hominum conſiſtere in virtute, non in bonis externis, ergo neque felicitas & finis Societatis humanæ ſiue Reipublicæ conſiſtit in iſtis, ſed in virtute, eiuſque actionibus. Neque refert pleroſque homines & pleraſque Reſpublicas ac imperia,

Singulorum hominum finis virtus, ergo & Reipublicæ.

ria, virtutem poſt gloriam, opulentiam, potentiam collocare, & infra hæc æſtimare. Non enim is finis naturæ congruit, quem ſibi plerique præfigunt, ſed quem præfigere deberent. Quare *in illis, qui ſecundum naturam ſe habent, conſiderare oportet, quid natura conueniat: non in iis, qui corrupti ſunt*, ait magnus Ariſtoteles 1. polit. c. 3.

Natura quid conueniat.

§. V.

Idem vera Fides confirmat; & Politicam præterea, ad finem vltimum æternæ Beatitudinis refert.

AD eundem finem bene viuendi, Fides vera Politicos ducit, tum ijſdem rationibus altiori lumine colluſtratis, tum validioribus magiſque proprijs argumentis.

I. Fides Chriſtiana docet perfectam felicitatem non in hâc vitâ mortali, ſed alterâ, eaque æternâ obtineri: vbi *regnum paratum ſibi à conſtitutione mundi* teſte Chriſto Matth. 25. v. 34. *accipient & poſſidebunt*, qui illud obſeruatione præceptorum DEI, & virtutum exercitio, meruerunt. Hæc felicitas, hæc vita æterna, ideoque verè beata: eſt finis vltimus vitæ mor-

Vita æterna finis vltimus hominum, & priuatim, & publicè.

Digitized by Google

mortalis, & ſingulis hominibus, priuatim, & omnibus communiter propoſitus. Ad eam ergo obtinendam referri neceſſe eſt tum priuatam viuendi rationem à ſingulis, tum publicam in Republicâ ab omnibus, & maximè à Principibus, ijſque, qui in imperio ſunt. Ne Societas humana, quam ad beatitudinem facilius aſſequendam Devs inſtituit, fiat ſalutis impedimentum, & exitij occaſio.

Perſpicuum autem eſt non potentiâ, nec gloriâ, nec opibus, & vitæ huius commodis, ſed mandatorum Dei obſeruatione, quæ actibus virtutum continetur, æternam ſalutem ac felicitatem parari, juxta illud: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth. 19. v. 17. Virtus igitur, huius vitæ finis eſt, tum publicè, tum priuatim, per quã peruenitur ad vitam beatam, quæ eſt finis vltimus & non habet finem. Huic fini congruere oportet, veram Politicum & Politicam: ac in eius obſequium redigi, quidquid potentiæ, gloriæ, & cuiuſcunque terrenæ felicitatis, quæritur vel tenetur. *Obtinetur Virtutibus.*

II. Imperia, principatus, Reſpublicas peculiari ratione à Deo prouenire & diſpenſari Sacræ literæ affirmant, Sap. 6. v. 2. & 4. *Imperia & principatus à Deo.*

2. & 4. *Audite ergo reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ, &c. quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſsimo.* Dan. 2. v. 21. *Et ipſe mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque conſtituit.* Idem Daniel c. 4. v. 22. Regi Nabuchodonoſor ait: *Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſq́ erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, ſeptem quoq́ tempora mutabuntur ſuper te: donec ſcias, quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunq́ voluerit, det illud,* quæ repetit ibid. v. 25. & c. 5. v. 21. Adſtipulatur Doctor Gentium ad Rom. 13. v. 1. iubens *omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, non eſt enim poteſtas niſi à Deo.*

Ergo finis illorum non ſunt bona externa.

Vnde ſic colligo. Omnes poteſtates à DEO ordinatæ ſunt teſte S. Paulo, ergo ipſarum finis præcipuus non ſunt bona externa, ſed gubernatio legi diuinæ & virtuti congrua; alioqui à DEO ordinatæ non eſſent. Repugnat enim ſapientiæ & bonitati diuinæ, bonum maius ordinare ad minus, leges nimirum ſuas, & curã virtutis ad imperij potentiã, gloriã, opes. Cum iſta illis ſeruire conueniat, *ſemper enim deterius melioris eſt gratiâ*, ait ſapientiſſimus Ariſtoteles 7. Polit. c. 14.

Cum

Cum adhæc homines naturæ deprauatæ vitio, in eiuſmodi bona immoderatè ferãtur, ipſe Deus vitiorũ ſcelerumq́; neceſſitatem Principibus, ijsq́;, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, videretur impoſuiſſe: ſi pro fine ea bona præfixiſſet, quæ ſine vitijs & ſceleribus nec obtineri, nec retineri, nec augeri poſſunt, niſi ad virtutem & diuinæ legis normam referantur. Quam licet præ oculis habeant, qui volunt glorioſi, potentes, & diuites fieri: facilè tamen *incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, vt ait Apoſtolus 1. Tim. 6. v. 9.

Idem patet ex abſurdo.

III. Reges, Principes, magiſtratus in ſacris litteris miniſtri Dei appellantur, & ad iuſtè iudicandum, bonum ſubditorum procurandum, ac vindictam malorum conſtituti dicuntur. Roman. 13. v. 3. & 4. *Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ, Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſsâ gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sap. 6. v. 4. 5. *Interrogabit* Altiſſimus *opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cum eſſetis mini-*

Principes & Magiſtratus miniſtri Dei.

miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neq; ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & cito apparebit, quoniam iudicium duriſſimum, his qui præſunt fiet.

Similibus comminationibus & increpationibus abundant Prophetæ aduerſus impios Reges ac Principes Iſrael & Iudæ, qui hoc officium neglexerunt. Finis ergo præcipuus imperiorum & Rerumpublicarum, adeoq; & Politicæ, à Deo præfixus, eſt iuſtitiæ aliarumq; virtutum cultus, & vitiorum extirpatio, non bonorum externorum copia & amplitudo; quæ Principibus *quærentibus inprimis regnum Dei & iuſtitiam eius*, vltro *adiiciuntur*.

Finis ergo illorum virtus.

Intellexit hunc Politicæ finem Salomon, ideoq; 3. Reg. 3. v. 9. & 2. Paralip. c. 1. v. 10. nullâ potentiæ, gloriæ, opum curâ tactus, petiuit à Deo, *cor docile, & ſapientiam ac intelligentiam, vt populum ipſius iudicare poſſet, & diſcernere inter bonum & malum.* Quæ optio quia Deo placuit, bona externa non eſſe Principis finem oſtendit; ſi enim finis eſſent, Salomon qui ea neglexit, ob eorum neglectum Deo non placuiſſet. Deus autem non ſolum *ſapientiam & ſcientiam, quam petiuerat, ſed etiam diuitias,* ſub-

Salomon id intellexit.

ſubſtantiam & gloriam, qua non poſtulauerat dedit: ita, vt nullus in regibus, nec ante nec poſt fuerit ipſi ſimilis. Qui cùm hæc peteret, diligebat Dominum *ambulans in præceptis Dauid patris ſui*, ideoque tanto deſiderio iuſtæ gubernationis exarſit. Neque aliter deprauatum eſt cor eius, quam nimiâ felicitate & tranquillitate, bonis externis ad votum & voluptatem fluentibus, quod multis Principibus contingere ſolet. *Bona externa deprauant.*

Sed ſufficiat indicâſſe potius quàm explicâſſe rationes, quibus demonſtratur Politicæ finem eſſe Societatem bene viuendi, ſecundùm virtutem & leges diuinas ac humanas: **bona autem externa inſtrumentorum inſtar, cura ſolùm ſecundariâ procurari & curari debere, neq; aliter, quàm vt iuſtitiæ alijsq; virtutibus famulentur. Atq; hæc eſt vera felicitas ciuilis & Politica, quam Scioppius cum alijs Pſeudopoliticis excluſâ virtutis curâ, corrumpere & euertere conatur.**

§. VI.

SVPPETIAE. Statum eſſe Politicæ Obiectum; Officium eum condere & conſeruare; Inſtrumenta vtilia & publicè noxiè.

MAteria ſubiecta, vel obiectum huius artis eſt ſtatus, aut Reſpublica. Officium partim condere aut inſtituere, partim conſeruare & corrigere Rempublicam. Inſtrumenta ſunt, vtilia & noxia publicè. Nam conditurus aut conſeruaturus Rempublicam, neceſſe habet effugere, quæ ſtatui nocent, præſtare verò, quæ ſtatui conducunt, vt fiat, quod vniuersè Spiritus Sanctus monet: *Qui vult dies videre bonos* (ſiue, cui velut finis propoſita eſt felicitas) *declinet à malo, & faciat bonum.*

§. VII.

VINDICIAE. Statum verè non dici, niſi eam Rempublicam, in quâ Iuſtitia aliaq; Virtutes, ſupremum locum & pretium habent.

REctè dicit ſtatum ſiue Rempublicam eſſe obiectum Politicæ, quod autem ſtatus ſiue Reipublicæ formam ac veluti animam facit imperij potentiam, gloriam, opes, & vitæ huius commoda, ac veram virtutem ipſi adimit, ſolâ eius opinione relictâ, fallit & fallitur, vt ex dictis patet. Quem errorem ipſa ſtatus Nomenclatu-

rare-

ra refutat. Nam ſtatus propriè ſignificat, *ſitum maximè naturalem animalis immoti*, vt ſentit S. Thom. 22 q. 183. a. 1. Sic homo ſtare dicitur, cum capite & toto corpore erecto, pedes in terrâ figit. Cætera animalia quoque ſtant, cum partium diſpoſitionem ſuæ naturæ congruam ſeruant immotam. Simili ratione alia ſtare dicuntur, velut arbores, cum radicibus in terrâ fixis ramos ſurſum erectos habent; & domus, cum fundamentis nixa, ac parietibus ad perpendiculum rectis compacta, tecto ſupernè clauditur. Cum autem animal capite reliquoque corpore humi procumbit, aut arbor proſternitur, aut domus corruit: non amplius ſtare, ſed jacere dicuntur.

Status nomenclatura & natura Scioppium refellit.

Vt ergo ſtatus nomen Reipublicæ conueniat, neceſſe eſt in eâ Iuſtitiam virtuteſque alias ſupremum locum ac pretium habere, reliqua infra illas æſtimari & propter illas; *ſemper enim deterius, eſt melioris gratiâ.* Si verò ordine inuerſo & peruerſo ad potentiam, gloriam, opes, omnia referantur: virtute aut neglectâ, aut non maiori eius ratione habitâ, quàm fortunæ bonis ſeruandis augendiſque conducit, ea Reſpublica ſtatus dici nullo jure poteſt

Reſpublica ſine virtute non eſt Status.

aut debet. Iacet enim omnibus vitijs ſceleribusque oppreſſa, quæ libido dominandi dictauerit. Vnde non rectè Pſeudopolitici Rationem ſtatus ſibi vendicant, & perpetuo in ore habent, cum Ratio ruinæ temporalis & æternæ, ipſis propria ſit & peculiaris.

§. VIII.

Triplex diſcrimen quoad vltimum finem, inter Politicam, & Theologiam, ac poteſtatem Eccleſiaſticam.

QVod verò dicit Officium Politicæ eſſe, *partim condere aut inſtituere, partim conſeruare & corrigere Rempublicam*, ſi ad legitimum finem referatur, quem paulò ante explicauimus, verum eſt; falſum, ſi finis falſus & prauus ſtatuatur; qualem Scioppius alijque Pſeudopolici comminiſcuntur. Vbi illud animaduertendum eſt, quod perperam intellectum multis errandi anſam præbet, nimirum etſi ſcientia Politica, & poteſtas ciuilis finē vltimum, ſeu Beatitudinem alterius vitæ communem habeat cum diſciplinâ Chriſtianâ & Theologicâ, ac poteſtate Eccleſiaſticâ: medijs ac modis eò tendendi, longè ab his diſcrepare.

Nam

Nam I. Politicæ facultatis & poteſtatis finis proximus ſunt virtutes morales iuſtitia maximè: ſine quibus Societas humana rectæ rationi conuenienter conſiſtere & gubernari non poteſt. Finis autem proximus diſciplinæ Chriſtianæ, Theologiæ item & poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſunt Virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas: ſine quibus ſalus æterna non obtinetur, nec ad Societatem beatorum peruenitur. *Diſcrimen primum ex fine proximo.*

II. Politica finem vltimum beatitudinis æternæ proximè non attingit, neque immediatè procurat, ſicuti diſciplina & poteſtas ſpiritualis. Quod diſcrimen ex primo ſequitur. Virtutes enim morales, ſiue ciuiles, vt ad ſalutem æternam conferant, vim & efficaciam à fide, ſpe, & præcipuè charitate, habere debent: quibus acquirendis, conſeruandis, & ſi amiſſæ fuerint, recuperandis, Sacramentorum maximè beneficio, adeoque facultate & poteſtate ſpirituali opus eſt. Cuius finis internus eſt ſalus & beatitudo æterna, Politicæ autem duntaxat externus. Quo pacto habitatio eſt finis Architecturæ, nam etſi ea ad habitationem humanam tota referatur: non eſt tamen Architecti vt archi- *Secundum ex fine interno.* *Simile.*

tectus eſt, domum quam fabricat, inhabitare, niſi alio titulo ſuam faciat. Ita & Politica hominum Societas in hâc vitâ, refertur quidem ad Societatem beatam alterius vitæ: ad eam verò obtinendam non ſufficiunt virtutes morales, ſeu Politicæ, niſi juſtum titulum ac neceſſarium valorem trahant à fide, ſpe, & charitate, quibus proximè ſalutem noſtram obtinemus & conſequimur.

Tertium, ex bonorum exteriorum curâ & neceſſitate.

III. Politicæ eſt bona externa, potentiam, gloriam, rerum copiam, pacem item ac tranquillitatem, in quantum ſunt adiumenta & inſtrumenta neceſſaria Societatis humanæ, ac virtutum moralium ſeu ciuilium, procurare, conſeruare, & amplificare. Diſciplina autem Chriſtiana & Poteſtas Eccleſiaſtica per ſe hæc non attingit, neque his opus habet, etſi ea non excludat. Nam Apoſtolorum & primorum fidelium tempore Eccleſia Chriſti ſolâ fide, ſpe & charitate fundata, ac Sacramentorum & Spiritualis Hierarchiæ communione colligata: nulla temporalis potentiæ aut poteſtatis præſidia habuit. Sed longè poſt à Principibus Chriſtianis ea accepit, quorum beneficio Pontifices & Epiſcopi, multis locis poteſtatem ciuilem

cum

cum Eccleſiaſticâ coniunctam habent.

§. IX.

Inde tria eruuntur, ad officium Politicæ pertinentia. Scioppius in inſtrumentis Politicis ineptit.

EX triplici hoc diſcrimine, tria eruuntur, Politicæ officium magis illuſtrantia.

I. Cum conſtet finem vltimum illius eſſe beatitudinem cœleſtem, quæ ſine verâ fide ac Religione non obtinetur, in omni Politiâ bene conſtitutâ, præcipua debet eſſe veræ religionis cura. Etſi enim eius adminiſtratio ad Eccleſiaſticos & doctrina ad Theologos pertineat; at Politicorum eſt, in rebus ſacris obſequium & debitam venerationem illis deferre, ac in Dei cultu curando conſeruandoq; aſſiſtere. Quam ob cauſſam poteſtas ciuilis *brachium ſeculare* appellatur; & inuocatur, cum poteſtas ſpiritualis, veluti alterum *dextrumq;* Eccleſiæ *brachium*, ad ſui defenſionem, vel improborum coercitionẽ non ſatis virium habet. *Cura Religionis ſit præcipua.*

II. Eadem hæc ſalus & beatitudo æterna, menſura eſſe debet & regula bonorum externorum, ſeu conſiliorum, quæ de ijs *Salus æterna ſit menſura conſiliorum.*

capiuntur. Nihil itaque de imperij amplitudine, potentiâ, gloriâ, opibus ſtatuatur Deo & religioni, eiusq; legibus aduerſum, vnde Princeps aut ſubditi culpam contrahant. Nam vt præclarè dicit Autor opuſculi, de regimine Principum, lib. 2. c. 15. *Cuicunq; incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud, ſicut in finem, hoc debet attendere, vt opus ſuum ſit congruum fini. Sicut faber ſic facit gladium, vt pugnæ conueniat, & ædificator ſic debet domum diſponere, vt ad habitandum ſit apta.* Quod principium lumine naturali notum eſt, nec à quoquam ſanæ mentis in dubium vocari poteſt. Cum ergo Reipublicæ legitimæ finis vltimus, ſit æterna beatitudo, huic repugnare nô debet illius adminiſtratio. Sed præ oculis Politicos ſemper habere oportet illud Chriſti monitum: *Quid enim prodeſt homini,* Principi, Reipublicæ, *ſi mundum vniuerſum*, nedum vrbem, aut prouinciam *lucretur, animæ verò ſuæ*, & ſalutis ſubditorum *detrimentum patiatur?* Matth. 16. v. 26. Marc. 8. v. 36. Luc. 9. v. 25.

Politicis principia III. Etſi doctrina fidei & Theologiæ ad Politicos non pertinet, vt examinanda, explicanda, demonſtranda, oportet tamen

men inde principia in conſilijs & Reipublicæ gubernatione aſſumere, præſertim ex præceptis Dei, & ſecundum ea concludere. Quo pacto omnes facultates & ſcientiæ aſſumunt & ſupponunt principia ex ſcientijs vniuerſalibus, vt Metaphyſicâ & Logicâ. Quod niſi fieret, ſcientiæ eiuſmodi nihil demonſtrare poſſent, vtpote deſtitutæ primis principijs, & doctrinæ ſuæ fundamentis, quæ ex altioribus, aut vniuerſalibus ſcientijs pendent. Cum ergo doctrina Chriſtiana & Theologica, omnium ſit ſuprema & maximè Architectonica: vtpote quæ circa vltimum finem proximè verſatur, ac diuino lumine multa ante obſcura illuſtrauit, aut ignota aperuit: neceſſe eſt non minus Politicum, quam alias ſcientias inde principia & leges accipere, quando de ijs agitur, quæ ſaluti æternæ officere, & Deum offendere poſſunt. Si dubia occurrant, ad Religionis Antiſtites & interpretes Theologos, confugere oportet: more & olim, & nunc Chriſtianis boniſq; Principibus ac Rebuſpublicis vſitato. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Malach. c. 2. v. 7.

& precepta ex fide Chriſtianâ petenda.

Atque hæc de naturâ & Officio Politi-

cæ, ex puriſſimis naturæ & gratiæ fontibus, rectâ ratione, verâ fide, Ariſtotele & Sacrâ Scripturâ delibaſſe ſufficiat: vt ſtatus controuerſiæ, & quæ contra Pſeudopoliticos, ac Scioppium dicenda ſunt, tanto facilius intelligantur.

Gramatici ineptia de Politia inſtrumentis.

Aduertat hoc denique loco Lector, Grammatici huius ineptiam, aſtruentis, Inſtrumenta Politicæ eſſe *vtilia, & noxia publicè.* Etſi enim ſequentia declarent, illum per noxia intelligere eorum fugam, euitationem ac remedia, at modus loquendi abſurdus, & ſecundùm ſe falſus eſt: cum quæ alicui rei noxia ſunt, inſtrumenta eius conſeruandæ eſſe non poſſint. Non rectius igitur Scioppius dixit Politicæ inſtrumenta eſſe vtilia & noxia, quàm ſi quis diceret, inſtrumenta ſanitatis eſſe ſalubria, & inſalubria, aut inſtrumenta ſalutis æternæ, eſſe virtutes & vitia. Quamuis hic Pſeudopolitiæ Magiſter, eâ ratione verum dixiſſe cenſeri poteſt: quia verum eſt Pſeudopolitiam, quam docet, rebus ſaluti & veræ Politiæ noxijs, conſeruari.

CAP. IV.

CAP. IV.

Vitioſas Reipublicæ formas, in Politicâ explicari debere, tanquam errores & vitia artis.

I.

SVPPETIAE. Politicorum Cenſores nolle tractari, quæ ſunt artis propria, vitioſas nimirum Reipublicæ formas.

DVpliciter igitur errant iſti Politicorum Cenſores, cum quod in arte nolunt tractari, quæ ſunt οἰκεῖα, ſiue artis propria: tum quod poſtulant ea tradi, quæ ſunt aliena. De priori hinc exiſtimari poterit. Proprium artis eſſe obiectum, ſiue obiecti tractationem, nemo niſi palàm inſanus negauerit. Reſpublicæ igitur, eiuſque formæ omnes, ſiue ſpecies, quæ Politicæ obiectum ſunt, à Politico tractari debent: ita vt præcipiat, quæ cuique formæ ſint vtilia & noxia, ſiue quæ ſint cauſſæ, ſiue modi inſtituendi, conſeruandi & euertendi ſingulas Reipublicæ ſpecies Atenim iſti vitioſas Reipublicæ formas, præcipuè verò Tyrannidem ab arte excluſam volunt, quod Tyrannidis condendæ, aut conſeruandæ præcepta tradi piaculare cenſeant. *Duplicis erroris innocentes accuſat.*

§. II.

VINDICIAE. Non culpari Politicum, ſi de vitioſis Rebuſpublicis agat, vt de vitiis & erroribus artis: ſecus, ſi eas pro legitimis obtrudat.

Non

NOn errant boni Politicorum cenſores, quorum Scioppius malus cenſor eſt. Propria non excludunt, nec aliena poſtulant. Vltro fatentur ad perfectam ſcientiæ tractationem requiri, vt omnes obiecti ſpecies, earumque etiam oppoſita explicentur: ideoque non cenſent piacularem eſſe, ſed neceſſariam Tyrannidis aliarumque vitioſarum Rerumpublicarum in Politicâ explicationem. Id ſolùm iure ſuo poſtulant, vt vitioſæ Reſpublicæ non pro legitimis obtrudantur, neque animi earum amore imbuantur, ſed odio eaſque emendandi deſiderio. Quod præſtat Politicus, ſi Pſeudopolitiæ vitia, damna ac remedia exponit, & præcipuam curam veræ Politicæ docendæ impendit.

Tyrannidis explicatio neceſſaria in Politicâ.

Quâ ratione Grammatici agunt de Solæciſmo & Barbariſmo, Logici de Sophiſmatibus, Medici de morbis, Theologi de vitijs & peccatis, eâdem lege Politico agendum eſt de Tyrannide alijsque vitioſæ Reipublicæ formis. Vt nemo ferret Grammaticum, qui emendatæ orationis prætextu, Solæciſmos & Barbariſmos doceret; aut Logicum, qui veram diſſerendi doctrinam profeſſus, Sophiſmatum fallaciam

Quâ lege explicari debeant vitioſa Reipublica forma.

ciam pro & præ illâ inſtillaret; aut Medicum qui morbos non curaret, ſed dulcibus venenis accerſeret & foueret; aut Theologum, qui vitia virtutum pallio inuoluta vel excuſaret, vel pro virtutibus obtruderet: ità probi Politici ferendos nõ putant, in Republicâ Chriſtianâ eos Politicos, qui Pſeudolitiam miris artificijs fucatam, pro legitimâ neceſſariâque Reipublicæ formâ tradunt, & commendant. Hanc ob cauſſam iuſtum neceſſariumque bellum cum Macchiauello, alijsque ipſi & Scioppio ſimilibus, boni clarique nominis ſcriptores ſuſceperunt: quorum nemo legitimam Tyrannidis aut alterius Pſeupolitiæ tractationem, vnquam damnauit, aut ex Politicâ proſcripſit.

§. III.

SVPPETIAE. Scioppius autoritate & exemplo Ariſtotelis & S. Thomæ contendit, plus Politico de vitioſis Reipublicæ formis laborandum, easq; magis proprium Politicæ obiectum eſſe, quàm regnum, aliasq; rectas & laudabiles formas.

IN quo quantum eos ratio fugiat, non modò diſputatio, ſed & exemplum Ariſtotelis ac D. Thomæ luculentè demonſtrauerit. Quod ad diſputationem eorum attinet, de Politicæ ſub-

Etiam lupi pellibus ouium ſe veſtiunt.

ſubiecto cum abſolutè, tum comparatè agunt. Abſolutè quidem, dum demonſtrant, Politici eſſe, non tantum de optimâ, ſed etiam de qualicunque Reipublicæ formâ, quamuis deteriori, & vitioſâ præcipere. Comparatè autem, dum Politico plus de vitioſis, quàm de rectis & laudabilibus Reipublicæ formis laborandum eſſe affirmant. Quod nihil eſt aliud dicere, quàm Tyrannidem cæteraſque vitioſas formas eſſe artis Politicæ obiectum, & quidem magis proprium, quàm regnum, aliaſque rectas & laudabiles formas.

De abſolutâ Pſeudopolitia tractatione agit Scioppius.

De priori inueniet Lector principio 4. Politic. accuratam Ariſtotelis, & D. Thomæ in eius libri commentario diſputationem, quâ quod veri Politici munus & officium ſit, quamque parum Plato illud cuſtodierit, operosè demonſtrant. Quatuor porro partibus id deſcribunt. Quarum Prima eſt noſſe, quæ Reipublicæ forma ſit abſolutè ac ſimpliciter optima, maximeque optabilis. Altera noſſe, quæ ſit optima pro conditione rerum copiarumque præſentium; nam quorundam populorum ingenia ad optimam illam minimè ſunt accommodata, ſicut Aſiaticos Ageſilaus in ſeruitute bonos, in libertate peſſimos eſſe aiebat; apud alios verò rerum ad commodè feliciterque viuendum neceſſariarum, inopia, optimam Rempublicam, quæ αὐταρκείαν, id eſt, rerum illarum copiam requirit, inſtitui non patitur. Tertia pars eſt, noſſe Rempublicam quamcunque ſibi oblatam corrigere ad ſalutem, & conſeruare, quod genus Ariſtoteles Rempublicam ex hypotheſi vocat.

cat Poſtrema noſſe, quæ forma Reipublicæ ſit maximè communis, & pleriſque hominibus accommodata.

Ratio huius ſententiæ hæc ab illis affertur, quoniam omnes artes, quæ de genere aliquo tractant: omnes etiam eius generis ſpecies explicare debent, quod Inductione nonnullarum artium probant, ex quibus eſt Medicina. Nam Medicus cum circa valetudinem, quæ genus eſt, occupetur, non vnam modò, ſed omnes valetudinis ſpecies tractare, adeoque non modo, quæ optima ſit valetudo, aut corporis conſtitutio, ſed etiam quæ minus firma, quæque deterrima, quæcunque denique ipſi offeratur, eam noſſe, & reſtituere ac conſeruare debet. Atqui Politica eſt Ars, quæ de genere tractat, nimirum de Republica. Itaque omnes Reipublicæ ſpecies explicare debet, non modò eam, quæ ſimpliciter ſit optima (quæ nunquam fortaſſe nec fuit, nec erit) ſed etiam quæ pro conditione rerum ſit optima, & quæcunque tandem ipſi offeratur, ſcire debet, quomodo ea inſtituta fuerit, quibusq; modis corrigi & conſeruari poſſit. Itaque Platonem erraſſe, nec Politici munere ſatis functum inſimulant, qui tantùm de optimo Reipublicæ ſtatu præceperit, nullum enim eius doctrinæ vſum eſſe, quod conditio rerum humanarum non ferat, vt optimâ Republicâ vtantur: Politicus verò præcipere ea debeat, quæ hominibus vtilitatem afferant.

Probat, quod nemo negat.

Paradoxum.

Verba Ariſtotelis in Platonem ſunt: *Etiamſi cætera præclarè dicat, à rebus tamen vtilibus aberrat; non enim videnda eſt optima tantùm Reipublicæ forma, ſed ea etiam, quæ poteſt eſſe.* Et infra:

infra: *Oportet Politicum etiam iis, quæ iniuſtæ ſunt, Rebuſpublicis mederi, & opitulari poſſe.*

Item ex S. Thomâ, ſed malâ fide.

Sed quoniam multi D. Thomæ verba audire malunt, eorum partem appingemus. *Politicus* inquit, *debet conſiderare Politiam optimam ſimpliciter, & optimam ex ſuppoſitione, & quæ pluribus ciuitatibus congruit. Sicut Medicus non ſolùm conſiderat ſanitatem ſimpliciter, ſed ſanitatem, quæ competit iſti. In hoc autem multi loquentium de Politicâ defecerunt; etſi in aliquibus dicunt bene, tamen in iis Politiis, quæ non quidem ſunt optimæ, opportunæ tamen aliquibus ciuitatibus, defecerunt. Quia Politicus non ſolùm debet conſiderare Politiam ſimpliciter optimam, ſed etiam optimam ex ſuppoſitione, & eam quæ cuique congruit, & quæ poſſibilis eſt. Similiter debet Politicus conſiderare Politiam faciliorem, & communiorem omnibus. Iſti autem ſolùm de optimâ Politiâ determinauerunt, quæ multis indiget, ad quam pauci pertingere poſſunt. Et ideò ſolùm de illâ, quæ vix aut nunquam eſſe poteſt, conſiderauerunt. Et ideo manifeſtum eſt, quod errauerunt.*

Inſignis in Ariſtotele producendo fraus.

Iam quod vitioſas & imperfectas Reipublicæ formas, plus quam rectas, ad Politici curam pertinere docuerint, hic Ariſtotelis locus 6. Politic. c. 6. argumento eſſe poteſt: *Ea* inquit, *Oligarchia, quæ Tyrannidi ſimillima, vt nequiſſima eſt, ita maiorem curam & cautionem deſiderat. Quemadmodum enim corpora bene conſtituta, & ad bonam valetudinem probè conformata, ſimiliter autem & nauigia ad nauigationem opportuna, bonisq; nautis inſtructa, plura incommoda ſine*

ſine læſione vel interitu ſuſtinent: corpora verò morboſa, ac nauigia fatiſcentia, maliſque inſtructa nautis, ne parua quidem incommoda ferre poſſunt, ità & peſſima quæq; Reipublicæ forma, plurimam cautionem deſiderat.

Porrò D. Thomæ in huius Ariſtotelici loci explanatione verba ſunt: *Sicut corpora animalium, quæ bene diſpoſita ſunt ad ſanitatem, propter bonam ad inuicem primorum compoſitionem, vel proportionem: & naues, quæ bene compaginatæ ſunt in ordine ad nauigationem, poſſunt ſuſtinere plures errores, vt puta ictus, vel paſſiones ab extrinſecis, ità vt non facilè corrumpantur propter illa. Illa autem corpora animalium, quæ malè diſpoſita ſunt propter malam diſpoſitionem humorum: & naues non bene compaginatæ, ſed quaſi reſolutæ, habentes prauos nautas, non poſſunt ſuſtinere etiam modicos errores: imò corpora animalium talium, à modicis paſſionibus corrumpuntur, naues verò huiuſmodi ad modicum impulſum venti, vel vnda, ad ictum rupis franguntur; ità eſt de Rebuſpublicis. Illæ, quæ optimè ordinatæ ſunt ſecundum rationem, multos impulſus & magnos ſuſtinere poſſunt. Malè autem ordinatæ, à modicis corrumpuntur, & ideo maiori indigent cautelâ.*

Item in S. Thomâ.

Quàm denique exemplo etiàm ſuo, Ariſtoteles & D. Thomas, hanc ſuam de Politicæ ſubiecto doctrinam, ſtabiliuerint: nemini qui librum quintum Politicorum, in eumque D. Thomæ commentarium legerit, obſcurum eſſe poteſt. Ibi enim de vitioſis Reipublicæ formis, earumq; conſeruandi modis, accuratiſſimè præcipitur.

Exemplum vtriuſque falsò & fallaciter adducit.

Digitized by Google

Et capite quidem 11. de modis conſeruandi regni, ſeu boni Principatus paucis verbis diſputationem abſoluunt, ſed in præſcribendis modis, quibus Tyrannis conſeruari debeat, longè ſunt copioſiſſimi: ità vt ſi quis verſus numeret, quos in docendâ vtriusq; formæ conſeruatione expleuerunt, duodecies tantum, & eo plus, Tyrannidi quàm Regno, ab eis impenſum eſſe comperiat.

Et adhuc quidem ſatis planùm feciſſe videor, eos qui tam iniqui ſunt ſcriptorum Politicorum iudices, contrà quàm Ratio, ac Methodi leges ferunt, in arte Politicâ ea, quæ artis propria ſunt, tradi nolle. Reliquum eſt, vt eoſdem ἀλλότρια, ſiue aliena tractari velle, ſimiliter demonſtrem.

§. IV.

Non in tractandis, ſed emendandis vitioſis Rebuſpublicis plus laborandum eſſe Politico; neque eas ideo magis proprium obiectum Politicæ eſſe; neque id Ariſtotelem & S. Thomam ſenſiſſe, aut Platonem idcircò reprahendiſſe.

NOuum non eſt errorum fraudumq; architectos, à veritatis, virtutiſque Magiſtris, autoritatẽ ſibi teſtimoniumq; arrogare. Idem Scioppius hic facit, ſed quia ſupra oſtendimus illum Ariſtotelis autoritate fædè abuſum, eo præiudicio meruit, vt nec in Ariſtotele, nec in S. Thomâ

mâ ei fides haberi debeat; quam nemo cordatus poſthac illi adhibebit, ſi cognouerit, quàm malignâ falſitate etiam hìc tantos teſtes adducat. Quod inprimis dicit, *de Politicæ ſubiecto eos cum abſolutè agere tum comparatè, Abſolutè quidem, cum demonſtrant; Politici eſſe nō tantùm de optimâ, ſed etiam de qualicunq; Reipublicæ formâ quamuis deteriori & vitiosâ præcipere,* hoc jam ſupra conceſſimus. Etſi vocis *præcipere* ambiguitas cauenda eſt. Aliter enim probus Politicus præcipere debet, de vitiosâ Republicâ, aliter de legitimâ: de illâ vt fugiendâ, aut emendandâ, de iſtâ, vt amplectendâ. Quia autem Scioppius Pſeudopoliticos defendendos ſuſcepit, qui non de ſceleribus fugiendis, ſed faciendis præcipiunt, meditatæ & improbæ ambiguitatis ſuſpectum ſe facit.

De Politicæ ſubiecto tū abſolutè, tum comparatè agi poteſt.

Quod verò de comparatâ tractatione illis imponit, fallax & falſum eſt. Nam cum Ariſtoteles & S. Thomas dicunt Politico plus de vitioſis, quàm de rectis Reipublicæ formis laborandum eſſe, non intelligunt plus de vitioſis explicandis, inſtituendis, aut conſeruandis, ſed fugiendis aut emendandis laborandum eſſe. Hoc enim labore, aut non indigent legitimæ Reſ-

De Pſeudopolitiâ quomodo plus laborandum.

Digitized by Google

publicæ, aut ſi vitij aliquid contrahunt, leuiori operâ emendantur. Hoc autem nullo modo eſt dicere, vitioſas formas eſſe artis Politicæ obiectum magis propriũ, quàm regnum, aliaſque rectas & laudabiles formas. Quod tam falſum eſt, vt his veritatis Duumuiris, nec in mentem venire potuerit.

Non eſt Politica obiectum magis proprium.

Nam vt Ariſtoteles 1. Ethic. c. 1. & ſæpe alibi docet, *Ars omnis, & omnis diſciplina, item actio & electio, bonum aliquod appetunt*, tanquam finem & obiectum ſuum proprium. Atqui in Politicâ, praua Reipublicæ forma eſt malum quoddam, & error artis, ſiue ſcientiæ, non minus, quam Barbariſmus & Solæciſmus in Grammaticâ, ſophiſma in Logicâ, monſtrum in rebus naturalibus, peccatum in Theologiâ, non ergo eſt finis, neque obiectum proprium, aut propriè dictum Politicæ. Hæc enim intendit Politicam rectam, vitioſam autem auerſatur.

Pſeudopolitia tractanda, vt vitia artis.

Vnde ſequitur vitioſas Reipublicæ formas, perinde vt vitia & errores in alijs artibus, poſſe ſolùm dici obiectum conſiderationis ſiue contemplationis: non autem actionis, ſeu operationis Politicæ, & artificioſæ, quia à regulis artis deuiant, Cumque

que ſcientiæ practicæ & artes ad actionem præcipuè referantur, magis proprium illorum obiectum eſſe apparet, quod facere docent, quàm quod fugere: etſi vtrumq; conſiderent, ideoque etiam in practicis oppoſitorum eſſe eandem ſcientiam, omnes conſentiant.

Non ſolùm verò in hâc comparatâ tractatione, fallit Scioppius, ſed in referendâ quoque diſputatione Ariſtotelis & S. Thomæ de officio veri Politici, ex lib. 4. politic. c. 1. cum affirmat illos, *quàm parum Plato illud cuſtodierit, operosè demonſtrare.* Neuter enim Platonem nominat, neque aduersùs ipſum eos diſputare, inde liquet, quod illos redarguunt, qui de optimâ ſolùm Republicâ tractant, quoſq; Ariſtoteles ait *rectè quidem dicere, ſed à rebus vtilibus aberrare.* *Alia fraus in Ariſtotele & S. Thoma citando.*

Platonis autem Rempublicam, valde vitioſam eſſe docuit l. 2. polit. c. 1. 2. 3. 4. non ergo inter eos eſt, quos rectè de optimâ Republica diſputâſſe hic dicit, cum tot ipſius errores ibi commemoret, & operosè refellat. Sed Scioppius imperitiam fraude cumulat, nam quæ Ariſtoteles numero plurali ſcripſit: καὶ οἱ τἄλλα λέγουσι καλῶς, τῶν δέ γε χρησίμων διαμαρτάνουσιν,

 ipſe

ipſe vt in Platonem dicta credantur, in ſingulari ita reddit: *Etiamſi cætera præclarè dicat, à rebus tamen vtilibus aberrat.* Vnde rurſus apparet, quid fidei hic homo mercatur.

§. V.

Quæ Ariſtoteles principio libri IV. Politicorum à Politico exigit, non rectè à Scioppio explicari; nec omnes Reſpublicas imperfectas, & vitioſas eſſe.

QVatuor illa, quæ à Politico Ariſtoteles exigit, lubricè itidem, nec candidè adnumerat, quam ob cauſſam, tum etiam ob ea, quæ poſtea ſequentur, aliqua monenda ſunt.

Quæ Reſpublica ſit legitima.

I. Non ſolum ea Reſpublica, quæ ſimpliciter optima eſt & maximè optabilis, legitima eſt: verum etiam illa, quæ pro conditione hominũ, locorum, aliarumq; rerum optimè conſtituta eſt, etſi melius conſtitui potuiſſet, ſi maiora animi fortunæque bona, eiuſmodi hominibus contigiſſent. Huc etiam eæ Reſpublicæ pertinent, quarum inſtitutio non quidem optima, bona tamen eſt, non vitioſa. Non enim optima duntaxat, ſed bona quoque, legitima, & à vitijs aliena ſunt.

II. Rem-

II. Rempublicam ex hypotheſi, non rectè interpretatur Scioppius *quamuis oblatam*, ſic enim omnes Reſpublicæ non ſimpliciter optimæ, ex hypotheſi vocari poſſent. Sed intelligit Ariſtoteles, vt exemplum oſtendit, Rempublicam vitioſam, quæ nec pro conditione hominum, nec aliarum rerum, rectè ordinata; nec ex natura veræ Politiæ, ſed arbitrio inſtituentium talis eſt. Ideoque meritò Reſpublica ex hypotheſi, ſiue ſuppoſitione talis finis, aut inſtitutionis, non ex naturá rei dicitur; nihil enim vitioſum ſecundum naturam aut artem eſt.

Reſpublica ex hypotheſi, vitioſa.

Quamuis verò Ariſtoteles eius ſolùm Reipublicæ exemplum ponat, quæ nec pro conditione ſuâ rectè conſtituta eſt, nec ob defectum aliquarum rerum optima ſimpliciter eſſe poteſt, nos tamen omnes vitioſas formas huc reuocamus. Et ſimul monemus, etiã Reſpublicas pro rerum conditione legitimè inſtitutas, ab Ariſtotele eod. l. 4. polit. c. 11. ex hypotheſi appellari, quia non ſimpliciter, ſed poſito tali rerum ſtatu, vel optimæ ſunt, vel bonæ.

III. Eius quoque Politiæ forma, quæ ab Ariſtotele omnibus ciuitatibus maxi-

Politiæ forma cõmunis legitima

Digitized by Google

mè congrua, facilior item & communior dicitur, legitima, non vitioſa eſt. Quod ex c. 11. ciuſdem libri 4. perſpicuum fit, vbi eam Rempublicam prolixè deſcribit, & in mediocritate ciuium ac fortunarum conſtituit. *Si enim* ait, *rectè in Ethicis dictum eſt, beatam vitam eſſe ex virtute non impeditâ, virtutem verò eſſe mediocritatem: neceſſe eſt vitam optimam, eſſe mediocrem, eâ mediocritate, quæ ſingulis poteſt contingere.* Hoc autem inde probat, quod homines mediocres alieni ſint à vitijs, quibus communiter indulgent, valde ſublimes & opulenti, aut admodum viles & pauperes. Etſi enim in quâcunque fortunâ, virtutis mediocritas locum habeat, facilius tamen eſt eam tenere, cum ipsâ rerum mediocritate, animus ad æquilibriũ ducitur.

In mediocritate conſiſtit.

Quare rectè concludit Ariſtoteles, Societatem ciuilem eam optimam eſſe, quæ eſt ex mediocribus, quia nimirum ratione materiæ ſeu hominum, maximè idonea eſt ad virtutem; & quia vbique pars hominum mediocrium, maxima eſt, hinc eiuſmodi Reſpublica, plurimis communis eſſe poteſt. Quod obſeruari neceſſe eſt aduerſus Scioppium, qui ſub finė

Reſpublica ex mediocribus quare optima.

Pædiæ

Pædiæ capitalem fraudē committit, dum aſſerit Politiæ formam maximè communem & pleriſque Principibus accommodatam vitioſam eſſe: ideoque velut autoritate Ariſtotelis excuſat eos, qui in eâ docendâ toti occupantur.

IV. Reſpublicæ aliæ vitioſæ ſunt ex formâ, ſeu vitioſis legibus, aliæ ex bonarũ legum tranſgreſſione vitia contrahunt; quæ ſi puniantur, & emendentur, ſimpliciter vitioſæ, dici non poſſunt; non enim vitia, ſine quibus vita humana non degitur, ſed eorum impunitas malam Politiam arguit. Ideoque laborandum eſt, vt quod culpa corrumpit, pœna ac cautela reſarciat; eâque ratione bonas Reſpublicas conſeruare eſt boni Politici. Quæ autem ex formâ malæ ſunt, vt Tyrannis, aut euertendæ ſunt, aut in bonas vertendæ: nec de ijs conſeruandis laborare eſt boni politici. *Reſpublicæ vitioſæ ſunt ex legibus, aut earum tranſgreſſione.*

Quare fallit Scioppius, cum iubet Politicum Reſpublicas ex hypotheſi, quas vitioſas eſſe diximus, conſeruare, & helleboro indiget, cum aſſerit *Medicum quamuis valetudinem etiam deterrimam, noſſe & reſtituere, ac conſeruare debere.* Aliud eſt noſſe, quibus modis conſeruetur, ſeu alatur Tyrannis aut febris, aliud eam conſer- *Scioppii fraus.*

Digitized by Google

uare & alere, vt diu duret, illud eſt boni Politici ac Medici, iſtud hominis ſcelerati aut inſani. Eligat quod vult Scioppius, aut ſi malit, vtrumq; fateatur.

Tyrannis, Oligarchia, Democratia, non vniuerſim vitioſæ.

V. Etſi Ariſtoteles 5. Politic. c. 5. & alibi Tyrannidem, Oligarchiam & Democratiam, vniuerſim ſtatuat eſſe παρεκβάσεις, ſiue tranſgreſſiones, aut aberrationes à rectâ Reipublicæ formâ, & de Oligarchiâ ac Democratiâ, multa diſputet lib. 4. 5. 6. nuſquam tamen aſſerit eſſe ſimpliciter, & vniuerſim iniuſtas aut vitioſas. Sed l. 3. c 10. & l. 7. c. 7. docet Barbaros, præſertim eos, qui Aſiam incolunt, naturâ aptos eſſe ad ſeruiendum, ideoque ferre volentes regnum Tyrannidi ſimile, non tamen iniuſtum, cum ſit ſecundum leges, & non in inuitos, quod repetit l. 4. c. 10. Ac poſtea c. 12. cenſet multitudinem hominũ mediocrium maximè idoneam eſſe ſtatui populari; cui eidem valde idoneos judicat agricolas, & poſt hos paſtores, l. 6. c. 4.

Legitimæ, ſi abſit ius & iniuria.

Quare ſtatus eiuſmodi abſque vi & injuriâ, ex populorum conſenſu, & accommodatè ad indolem illorum inſtituti, aut iure belli legitimi introducti, minus quidem perfecti ſunt, non autem proprie vitioſi.

tioſi. Nam quod ij qui imperant, commodum ſuum potius ſpectant, quàm ſubditorum, aut certè magis illud, quàm iſtud: ſi id absq; iniuriâ faciant, præſertim erga homines ſeruiles, vitioſum ſimpliciter non eſt; etſi à perfectione Regni, Status optimatum, & Reipublicæ, in quibus commodum ſubditorum præcipue ſpectatur, aberret. Quâ ratione cætera animalia comparatione hominis imperfecta æſtimantur, licet ſui generis perfectionem quandam absq; vitio habeant.

Atque has omnes Reipublicæ formas ab eo, qui perfectam Politicæ tractationem profitetur, ſeu legitimas, ſeu vitioſas, explicari debere fatemur, eamq; Ariſtotelis & S. Thomæ mentem eſſe non negamus. Sed locum S. Thomæ Scioppius integrè non retulit; omiſit enim, iſta verba: *Alij conſiderauerunt Politiam magis communem, & nihil de optimâ dixerunt. Vnde reprobabant quaſdam Politias Laconicorum, & ſi qua alia eſt, quæ approbanda eſt, & quam laudamus.* Poſt quæ S. Thomas demum ſubiungit: *& ideò manifeſtum eſt, quod errauerunt.* Hæc verba Scioppius omiſſis intermedijs, de Republicâ optimâ & Laconicorum, fraudulenter cum ſuperioribus contexuit,

Omnes Reipublicæ formæ tractandæ.

Scioppius S. Thomam fraudulenter allegat.

xuit, ne cogatur fateri ex mente S. Thomæ manifeſtum eſſe, quod errauerint Macchiauellus, aliique Pſeudopolitici, qui nihil de optimâ Republicâ dixerunt, & reprobant Politias rectas, quæ reprobandæ ſunt, quaſque S. Thomas & boni Politici laudant. Fallit ergo Scioppius non ſolùm in Ariſtotele, ſed etiam S. Thoma allegando, & toties fallax, oſtendit ſe fraudum Magiſtros, fraudibus defendere.

Quæ verò ex l. 6. Polit. c. 6. affert, vt oſtendat vitioſas & imperfectas Reipublicæ formas plus, quàm rectas ad Politici curam pertinere, nobis non repugnant, & ex ijs, quæ ſuprà de comparatâ tractatione reſpondimus, intelliguntur. Modo obſerues Grammaticum fraudulenter à curâ & emendatione Reipublicæ vitioſæ, quâ maiori opus habet, quàm recta: tranſire ad tractationem & conſeruationem, quæ præcipuè ac propriè ad Politiam rectam, referri debet.

§. VI.

Exemplum Ariſtotelis & S. Thomæ, à Scioppio falsò & fallaciter allegari.

NEq; magis exemplum, quam doctrina Ariſtotelis & S. Thomæ, Scioppio patroci-

patrocinantur, ſed æquè illud, atque iſta doli mali illum conuincit. Ad lib. 5. Politicorum nos vocat, eiusq; caput 11. vbi ait Ariſtotelem & S. Thomam *de modis conſeruandi regni ſeu boni Principatus, paucis verbis diſputationem abſoluere, ſed in præſcribendis modis, quibus Tyrannis conſeruari debeat, longè eſſe copioſiſsimos: ità vt, ſi quis verſus numeret, quos in docendâ vtriuſque formæ conſeruatione expleuerunt, duodecies tantum, & eo plus Tyrannidi, quàm Regno ab eis impenſum eſſe comperiat.*

Non tantùm Grammaticus, etiam Arithmeticus eſt Scioppius, ita verſus accuratè numerat. Sed iubeo ego illum numerare non verſus, ſed libros Politicorum Ariſtotelis. Et affirmo, nec vnum reperturum, in cuius potiori parte de Rebuſpublicis vitioſis conſeruandis agat. Imò fallaciam demonſtro. Ariſtoteles & Sanctus Thomas pauciſſimis, ſi ea cum totis Politicorum libris conferas, conſeruationem Reipublicæ vitioſæ ob plenitudinem doctrinæ explicant, & tam hæc ipſa quam reliqua Politicis, ac Ethicis libris comprehenſa, ad legitimam Politiam referunt; ergo exemplo ſuo oſtendunt eam eſſe proprium Politicæ obiectum.

Ariſtoteles & S. Thomas de Pſeudopolitiá, præcipuè non agunt.

Neque

Ex toto opere iudicandum de materiâ.

Neque ex vno capite, ſed toto opere, quid potiſſimum ſcriptor aliquis tractandum ſumpſerit, judicandum eſt. Alioqui dicendum erit, *conſilia & cogitationes impiorum, aduerſus iuſtum,* eſſe magis propriam Sacrarum literarum materiam, quàm Fidei myſteria, & virtutum præcepta, quia totum caput, 2. Sapientiæ, ſi paucas lineas dempſeris, conſumitur ijs, quæ *dixerunt impij, cogitantes apud ſe non rectè,* recenſendis. Fallacia hæc eſt à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter; veluti, ſi ex eo, quod quis dentes nigros habet, eſſe Æthiopem concludas.

Vnde rurſus apparet Scioppium non Logicum, ſed Sophiſtam eſſe, neque planum feciſſe, quod æquiſſimi Pſeudopoliticorum judices, quæ artis propria ſunt, tradi nolint: ſed quod ipſe, quæ Politicæ propria ſint ignoret, & alijs quoque ignorantiæ fraudumq; nebulas offundat.

CAP. V.

CAP. V.

Quæ ad Ethicam, ſeu Philoſophiam moralem pertinent, à Politicâ aliena non eſſe.

§. I.

SVPPETIAE. Tyrannidis turpitudinem deſcribi in Ethicâ debere, non in Politicâ.

CVm igitur ſupra aliud genere, aliud loco alienum eſſe oſtenderim, quorum illud ſemper methodo artis ac doctrinæ, alterum etiam Prudentiæ methodo aduerſatur, vtriuſque generis Alienum ab iſtis requiri videmus. Primùm enim hoc nomine Politicos ſcriptores grauiter accuſant, quod non occupentur in deſcribendâ Tyrannidis fœditate ſeu turpitudine, vt ab eâ vel occupandâ, vel retinendâ hominum animos deterreant. Hoc autem à Scholâ Politicâ alieniſſimum eſſe, & ad Ethicam vel Moralem pertinere, etſi nemini verè Philoſopho poteſt eſſe dubium, tamen propter eos, quibus diſciplinarum fines non æquè noti ſunt, diſtinctius probare volo. *Calumnia.*

§. II.

VINDICIAE. Vitia artis declarare, cuiuſuis artificis, adeoq; etiam Politici proprium eſſe.

NOn rectè Scioppium duplex Alienum, vnum genere, alterum loco, aſſignaſſe ſupra oſtenſum eſt. Pſeudopoliticos

coſ ſcriptores à probis Politicis grauiter accuſari, quod vitioſæ Reipublicæ fœditatem non exponant, nec ab eâ deterreant, verum eſt, nec iniquum.

Boni artificis eſt errores artis noſſe, & detegere.

Eſt enim cuiuſuis boni artificis, peccata ſiue errores artis noſſe ac detegere, quod dum facit, turpitudinem eorum in receſſu à regulis artis ſitam, eo ipſo declarat. Neque opus eſt Oratorijs declamationibus aut inuectiuis. Vt Grammaticus ſolœciſmos & Barbariſmos, Logicus ſophiſmata, Theologus peccata cauere ex officio docet, ità Politici officium eſt oſtendere Tyrannidem, aliasq; vitioſas Reſpublicas cauendas, aut corrigendas eſſe.

Hoc Scholæ Politicæ proprium eſſe, nemo verè Philoſophus dubitare poteſt. Neque enim eſt ab eâ alienum, quod cuiuis arti proprium eſt, aut quod ad Ethicam, ſeu Philoſophiam moralem pertinet, quæ aut eſt ipſa Politica, aut nobiliorem eâ partem non habet. Fines diſciplinarum legitimos Scioppius fruſtra promittit, cum fines veritatis tam audacter tranſiliat.

Sed quâ patientiâ illum in Logicâ audiuimus, etiam in Ethicâ audiamus.

§. III.

§. III.

SVPPETIAE. Variæ Ethicæ, ſeu Philoſophiæ moralis diuiſiones.

ETHica, ſeu moralis Philoſophia, quæ *ars bene viuendi* definitur, partim Regularis eſt, partim Exemplaris; & illa quidem vel Dogmatica, vel Parænetica ſeu Pædagogica; hæc autem vel Characteriſtica, vel Hiſtorica, vel Fabularis. Non minus enim quàm cæteræ artes, Moralis partim regulis, partim exemplis docetur. Regulæ verò ſunt vel generales, vel ſpeciales. Illæ dogmata ſeu decreta, hæc Præcepta vocantur, vel Paræneſes aut cohortationes. *Diuiſiones Ethicæ Scioppiana.*

Decreta ſunt generales ſententiæ, quæ non ad certum aliquam, ſed ad omnem vitæ partem diriguntur, & vniuersè hominis animum informant: ac partim in tradendo fine hominis, ſeu ſummo bono, partim in ijs, quorum adiumento finem conſequimur; in eorumque contrarijs occupantur. Cuius generis ſunt, quid ſit Felicitas hominis, quid miſeria, quid bonum, quot ſint virtutes, ſeparatæne ſint, an connexæ: vt qui vnam habeat, & cæteras habeat. Atque hoc ferè librorum Moralium Ariſtotelis argumentum eſt. *Decreta.*

Præcepta ſingulis vitæ partibus inſeruiunt, & cum Actiones hominis, quæ officia vocantur, ſecundùm temporum ac locorum varietatem ordinant ac diſponunt: tum Paſſiones, ſiue affectus, aut perturbationes moderari, & vel excludere, vel corrigere docent. Ex hâc nota *Præcepta.*

Digitized by Google

ſunt, quid facere debeat qui vitam beatam traducere, qui metu vacare, qui cupiditate, ſpe, amore, inuidiâ, omninoque ijs, quæ mala ſunt, animum liberare velit: quid pater filio, filius patri, vir vxori, vxor viro, ſeruus domino, dominus ſeruo, ciuis ciui præſtare debeat.

Ciceronis Moralia.

Atque hæc Philoſophiæ moralis pars à Cicerone in libris de officijs, & Tuſculanarum diſputationem vberrimè pertractatur, quorum illi regulas Actionum tradunt, hi verò paſſionum, ſiue affectuum regimen, id eſt, quomodo vitioſos animi affectus medicari vel moderari oporteat. Quod quidem *Internum* officium diſtinctionis gratiâ vocare poſſumus, ſicut *externum* illud, quod DEUM & homines ſpectat. Libri verò de Finibus bonorum & malornm ſunt Dogmatici, & in tradendis Deccretis occupantur.

Plutarchi & aliorum.

Plutarchi etiam Moràlia opuſcula, maximam partem præceptis vitam hominis ordinant, quemadmodum & Theognidis, Phocylidis, quæq; Pythagoræ vocantur, aurea carmina, & Diſticha Catonis nomen præferentiæ. Seneca Philoſophus etiam, ipſe Præceptiuam Moralis partem potiſſimum coluit, planeque in eâ regnat, cui proximus eſt Epitectus ſtoicus.

Officium perfectum, & medium.

Cum autem officium ſit vel perfectum, quod κατόρθωμα vocant, vel Medium, quod καθῆκον perhibetur: quorum illud eſt actio vel conſtituens Heroïcam virtutem, vel ab eâ proficiſcens, hoc autem in communi ac velut ordinariâ hominum virtute ſpectatur: apud Gentiles à Chriſtianâ doctrinâ remotos, (Epicteto & Seneca

necâ exceptis) vix vllam perfecti officij regulam inueneris. Itaque ſi quis virtutis perfectionem adamet, ſacrarum literarum ac librorum verè κατορθωματικῶν lectioni dedere ſe neceſſe habet, qui à Theologis Practicis, quorum alij Caſiſtæ, alij Spirituales vulgò dicuntur, magno numero ſunt editi.

Exemplaris ſeu Paradigmatica Philoſophiæ moralis pars, faciendum fugiendorumq; exempla ſuppeditat. Nec enim tantum, quomodo quidque faciendum, ſed etiam quomodo non faciendum ſit, exemplo rectiſſimè docemur. *Tam hæc cogitanda ſunt exempla, quæ vites, quàm illa è contrario, quæ ſequaris.* Sic Iſmeniam clari nominis tibicinem Plutarchus autor eſt, cum diſcipulis ſuis non eos modò, qui bene, ſed etiam qui ſecus tibijs canerent, oſtendiſſet, monere eos ſolebat: *Ità canendum eſt*, &, *ita canendum non eſt.* Et Horatius 1. Satyr. 4. ſe à Patre ſuo proponendis virtutum ac vitiorum exemplis, quid in vitâ agendâ fugere, quidque facere deberet, edoctum fuiſſe, pereleganter narrat: quem quidem locum hiſce verbis concludit.

Exemplaris Ethica.

----- auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat, mortiſq; metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitiis.

Cum autem exempla vel vera ſint, vel ficta, & vera vel in genere omnium, vel in ſpecie huius aut illius, ſiue ſingulorum: eò fit, vt pars iſta Philoſophiæ, quæ exemplis docet, ſit partim Characteriſtica, partim Hiſtorica, partim Fabularis.

Digitized by Google

Characteriſtica. Characteriſtica eſt, quæ in genere homines virtutibus ac vitijs præditos, dictis ac factis ſuis quotidianis, velut ſignis ac notis quibuſdam deſcribit, *quæ res* (ait Seneca) *eandem vim habet, quam præcipere. Nam qui præcipit, dicit:* Illa facies, ſi voles Temperans eſſe: *qui deſcribit, ait*: Temperans eſt qui facit illa, qui illis abſtinet. Similiter qui præcipit: illa ne feceris, ait, ſi non vis eſſe Intemperans; Sed qui deſcribit: Intemperans eſt, qui facit illa, qui non abſtinet ab illis,

Sic Zachariæ cap. II. qualem deceat eſſe bonum Pontificem, ſiue Eccleſiæ Paſtorem, Charactere, ſeu notatione Paſtoris ſtulti docemur: *Paſtor ſtultus, ſiue paſtor & idolum, derelinquit gregem. derelicta non viſitat, diſperſum non quærit, contritum non ſanat, id quod ſtat non enutrit, ſed carnes pinguium comedit, & vngulas eorum diſſoluit.* Iſta Characteriſtica, ſeu deſcriptiua docendi ratio eandem habet vim, ac ſi præciperetur, quid fugere Pontifex, quidque facere debeat. Hanc porro Philoſophiæ partem Theophraſtus Ariſtotelis auditor & ſucceſſor, peculiari libro complexus fuerat, cuius hodie fragmenta extant, quæ Characteres morum inſcribuntur.

Hiſtorica. Hiſtorica eſt, quæ vera aliorum exempla ſic narrat, vt ex eorum, quæ rectè ac ſecus facta ſunt euentis, gloriâ puta, & infamiâ, vtilitate ac damno, quid faciendum fugiendumque ſit, addiſci queat. Nam qui verbi gratiâ, ebrietatem Alexandri, gloriam eius obſcuraſſe, ac multorum ei malorum cauſſam fuiſſe narrat, is

Prin-

Principibus, vt ebrietatem fugiant, præcipere cenſendus eſt. Ità qui Scipioni Africano continentiam, quâ in captâ virgine illuſtri, ſponſo ſuo reddendâ vſus eſt, cum glorioſam fuiſſe, tum animos hoſtium conciliâſſe, & Hiſpaniam ad eius imperium adiunxiſſe narrat: eâdem operâ ijs, qui cum imperio ſunt, præcipit, vt ab ijs ſe inuoluptatibus contineant, animoque imperare velint.

Atque hæc cauſſa eſt, cur Hiſtoriam Tullius non modò *teſtē temporum* ſed etiam *Vitæ Magiſtram* vocauit. Nimirum non modò, quid quoque tempore contigerit, narrare; ſed etiam rectè factis laudem impertiri, ſceleribus maculam adſpergere, ſic denique inſtituere narrationem debet, vt ex eâ vitam ſuam Lectores rectè moderari diſcant.

Fabularis eſt, quæ fictis exemplis hominum actiones dirigit, ſiue illa ſint hominum, vt in narrationibus Mileſijs, quarum ſoluta eſt Oratio, vt Apuleij, Heliodori, Bocaccij, tum in poeſi Epicâ & Scenicâ: ſiue belluarum aliarumque rerum, quibus ratio, ſenſus & Oratio affingitur, vt in Æſopi mythologiâ. Epicæ quanta vis ſit ad docendam moralem Philoſophiam, non vno loco Ariſtoteles, Strabo, Plutarchus, ex profeſſo autem Horatius 1. Epiſt. 2. vtriuſque Homerici Poematis exemplo declarant; nam ex Iliade præcipuè militares, ex Odyſſeâ pacis artes haurire licet. Scenica, præcipueque Comica nihil aliud, quàm vitæ imaginem velut in ſpeculo exhibet, in quod inſpicientes diſcere queant, ſibi quid ex vſu ſit: ſicut *Fabularis.*

ex diuerſo Tragœdia Regum Principumq́ue actiones & affectus ordinat, adeoq́ue ineptè & intempeſtiuè populo ſpectante agitur. Mythologia denique, ſiue Apologi, & Fabulæ Æſopicæ, quid facere priuatim ac publicè, quidq́ue cauere conueniat, ad popularem captum accommodatiſſimè, minimâque cum cuiuſquam offensâ & inuidiâ præmonſtrant.

§. IV.

Eaſdem diuiſiones conuenire Politicæ; argumentum Ethicorum Ariſtotelis, diuiſionem Officiis in medium & perfectum, malè explicari à Scioppio, & complura alia abſonè dici.

NOn operæ pretium eſt ſingula ad trutinam vocare, quæ de Ethicæ diuiſionibus Grammaticus tradit, ſufficiet præcipua abſurda, obiter indicare.

Diuiſio Scioppii nō eſt Ethicæ propria.

I. Nec diuiſum nec membra diuidentia ſunt propria Ethicæ. Statuit enim Ethicam eſſe eandem cum Philoſophiâ morali, quam definit *artem bene viuendi*; atqui ſicut eſt ars quædam *bene viuendi priuatim*, quæ per Antonomaſiam Ethica dicitur, ita alia eſt ars *bene viuendi publicè*, quam Politicam nuncupamus. Non ergo Ethica cum Philoſophiâ morali eadem eſt, niſi pro tota doctrina morum ſumatur, quod vſus loquendi non habet: ſecundum quem Philoſophia moralis genus eſt

Ethica pars Philoſophiæ moralis.

Ethicæ & Politicæ. Sicut autem Ethica, ità & Politica diſtingui poteſt in Regularem & Exemplarem, aliaque membra Scioppiana. Quare Scioppius nolens volens, probat eſſe proprium Politicæ, quod ſtatuerat probare eſſe alienum.

II. Argumentum Moralium Ariſtotelis non rectè recènſet. Nuſquam diſputat ille de numero virtutun, nec prolixè de earundem connexione. Singulas virtutes accuratè explicat, earumque plures vnà cum continentiâ, in moderaandis reprimendiſque animi paſſionibus verſari oſtendit l. 3. 4. & 6. De amicitiâ & amicorum officijs ac generibus, duobus libris 8. & 9. diuinè diſputat: vt cauſſa nulla ſit, cur iſta potius Ciceroni tribuantur, quàm Ariſtoteli, *Quo minor eſt, quiſquis maximus eſt hominum*, qui natura duce, de Moralibus ſcripſerunt. *Argumentum Moralium Ariſtotelis falſum.*

III. Incongruè officium externum vocat, quod Deum & homines ſpectat. An enim id eo externum eſt, quia Deus & homines extra nos ſunt? Atqui *diligendo Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & omnibus viribus, & proximum ſicut nos ipſos*, officium iſtud implemus; quid autem magis internum eſt homini, quam amor, & *Officium externum non rectè explicatū.*

 quid-

quidquid in corde & anima peragitur, & quàm ipſe Deus? Sed diuitiæ quoque & pericula extra hominem ſunt, neque tamen officium externum eſſe putat Scioppius, cupiditatem in illis, timorem in iſtis moderari. Non ergo externum eſt, quod intus eſt: etſi id, quò refertur, foris ſit.

Officii diuiſio malè intellecta.

IV. Diuiſionem officij in medium & perfectum, non ad mentem Ciceronis, ex cuius l. 1. de officijs deſumpta eſt, explicat. *Perfectum autem* ait Cicero, *officium, rectum opinor vocemus, quod Græci κατόρθωμα; hoc autem commune, quod ϰαθῆκον vocant. Atque ea ſic definiunt, vt rectum quod ſit, id perfectum officium eſſe dicant: medium autem officium, id eſſe dicant, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poßit.* Nulla hic heroicæ virtutis mentio eſt, poteſt autem aliquid eſſe rectum & perfectũ, etſi non ſit à virtute Heroicâ, quæ res magnas & arduas gerit, & ab Ariſtotele 7. Ethic. c. 1. diuina dicitur, quod ex hominibus veluti Deos efficiat.

Virtutes Chriſtianæ Heroicæ.

Equidem virtutes Chriſtianæ, cum diuinum aliquid habeant, heroicæ dici poſſunt: ſed non ſolent, niſi cum ardua quædam & magna aguntur, aut ſuſtinentur. Ità S. Auguſt. l. 10. de ciuit. Dei c. 21. cenſuit

ſuit Martyres appellari poſſe Chriſtianorum Heroes, ſi profano nomine vti velimus. Κατόρθωμα ergo à Cicerone id inintelligitur, vt ipſe ſatis explicat initio libri 3. de officijs, quod omnes honeſtatis numeros implet, & omni vitio vacat; καθῆκον autem, quod benefactum probabili ratione putatur, etſi aliquid ſiniſtri affectus, aut vitij adiunctum habeat. Cumque ſolenne ſit hominibus, aliquid vitij, aut culpæ virtutum actionibus aſpergere, rectè eiuſmodi officium commune appellatur, defæcatæ enim, & puræ putæ virtutum actiones, admodum raræ ſunt.

Κατόρθωμα quid Ciceroni.

Καθῆκον. quid.

Neque ſanè apud Gentiles vlla perfecti officij regula inuenitur, quod Deo vſquequaq; placeat, *cui ſine Fide impoßibile eſt placere.* Eâ cum Epictetus quoque & Seneca caruerint, malè illos excipit Scioppius. Si de virtutibus moralibus, quatenus ſine verâ fide haberi & exerceri poſſunt, præclarius ſcripſerunt: longè eâ ipsâ in re non quidem Grammaticorum, at Theologorum aliorumq; ſapientum iudicio, ab Ariſtotele ſuperantur.

V. Ariſtoteli quoque & ſenſui communi repugnat, cum Virtutum ac Vitiorum characteres ſiue notas & ſigna, quæ

Vitiorum Characteres exempla non ſunt.

ex actionibus ferè deſumuntur, Exempla vocat, & Ethicæ Exemplari adſcribit: Exemplum enim iuxta Ariſtotelem 2. Rethoric. c. 20. *ſingulare aliquid ex vno, aut perpaucis ſimilibus confirmat*; quæ autem toti alicui generi, ſiue ſpeciei conueniunt, non de vno, ſed de omnibus ſingularibus fidem faciunt; neq; inter exempla, ſed proprietates referri debent.

Obſcæni Fabulatores à Scioppio laudati.

VI. Suum in Ethicis iudicium ſuſpectum reddit, cum Ethicæ fabularis, quæ fictis exemplis hominum actiones dirigit, Magiſtros & veluti corypheos producit, Apuleium, Heliodorum, Boccacium, rerum verborumq; obſcœnitate & noxijs illecebris infames; qui ſi de bonis moribus aliqua afferunt, tanti eſſe non poſſunt, vt ex fimeto colligantur: cum aliunde ſincera, & nullis ſordibus inquinata eadem, multoq; plura petere liceat. Atque talia ſunt ſpecimina, quæ Scioppius edidit, vt credamus licet iniurato, non eſſe magis Ethicæ, quàm Logicæ peritum; quod magis deinceps apparebit.

§. V.

SVPPETIAE. In parte Ethicæ præceptiuâ, deterreſi homines à Tyrannide, in dogmaticâ eius turpitudinem deſcribi.

Ex

EX his facilè eſt intellectu, quàm ſit Ethicæ proprium, & à Politicâ alienum, quod Cenſores iſti à Politicis tractari poſtulant. Nam deterrere hominum animos ab affectandâ vel tuendâ Tyrannide, ad Partem Ethicæ Pareneticam, ſeu præceptiuam pertinet: Tyrannidis verò turpitudinem deſcribere, ad partem Dogmaticam, cuius eſt de honeſto & Turpi diſputare, quæ ſunt forma, ac velut anima virtutis & vitij.

Partes Ethica Paranetica, & Dogmatica.

Cum enim v. g. vterque in alienandâ re familiari verſetur, Liberalis & Prodigus, ſicut viciſſim in eâdem non alienandâ, ſeu quęrendâ aut retinendâ, Frugalis & Auarus: honeſtas & turpitudo facit, vt Liberalitas ſit virtus, Prodigentia ſiue Effuſio vitium, virtus etiam ſit Frugalitas ſeu Parſimonia, vitium verò auaritia. Nam Liberalis alienat, quoniam honeſtum eſt alienare, turpe verò retinere. Prodigus contrà alienat, vbi turpe eſt alienare, honeſtum verò retinere. Auarus contra, ſeu ſordidus retinet etiam, vbi dare honeſtum eſt, turpe verò retinere.

§. VI.

VINDICIAE. Quæ propria ſunt Ethicæ, æquè conuenire Politicæ; hâc enim iuxta Ariſtotelem totam Philoſophiam moralem contineri; eiuſq; partem eſſe Ethicam.

ARiſtoteles Ethicam à Politicâ non diſtinguit, tanquam ſcientiam totalem, ſed partem Politicæ facit. Neque hactenus reperi ſcientiam moralem, Ethicæ nomine ab

Ariſtoteles Ethicam pro Philoſophiâ morali non vſurpat

ab ipſo appellatam. Politica ex mente ipſius totam Philoſophiam moralem complectitur. Hinc initio Ethicorum ad Nicomachum, nullâ alterius ſcientiæ mentione factâ Politicam ſe tractare profitetur, eique cap. 3. pro obiecto ſummum bonum, ſiue finem vltimum aſſignat, reliquas verò ſcientias ei ſubijcit tanquam Principali ac architectonicæ; vbi enumeratis præcipuis ſcientijs Ethicam non tacuiſſet, ſi aliam agnouiſſet extra Politicam. Cuius partem l. 10. c. 9. doctrinam quoq; de ferendis legibus & Republicâ, libris Politicorũ comprehenſam facit. Et de eâ ibidem, non vt de nouâ ſcientiâ, ſed eius, quam in libris Ethicorum tradidit, parte præfatur.

Neq; hanc à Politicâ diſtinguit.

Idem manifeſtum eſt, ex tribus viuendi generibus, quæ aſſignat l. 1. Ethic. c. ad Nicom. c. 5. & l. 1. Eudem c. 1. & cap. 2. ita explicat: *Cum ad vitam beatam, ordinata ſint tria, quæ prius dicta ſunt, velut potiſſima bona, Virtus, & Sapientia, & Voluptas: videmus tres eſſe vitas, quas cuncti ſui compotes degere eligunt, Politicam, Philoſophiam, Voluptuariam. Ex his Philoſophus expetit ſapientiam & contemplationem veritatis, Politicus actiones honeſtas, (hæ enim ſunt, quæ à virtute proueniunt) voluptuarius vero vo-*

Politicus actiones ho-

rò voluptates corporis. Non ſolùm ergo Ariſtotelis ſententiâ, virtus eiusq; actiones ad Politicam & Politicos, verùm etiam ad nullam aliam facultatem pertinent: ideoque nullum aliud viuendi genus virtuti aſſignauit, quam Politicum. *neſtas expetit.*

Quod ipſum luce meridianâ clarius elucet ex principio lib. 1. Magnorum Moralium cap. 1. *Quia* inquit, *conſtituimus dicere de moribus, primùm conſiderandum eſt, cuiuſnam* facultatis *pars, ſit mos. Vt igitur breuiter dicam, videtur non alterius, quàm Politicæ pars eſſe. Non enim poteſt in Politicis quidquam effici, niſi quis qualis ſit: qualem autem dico probum. Probum verò eſſe, eſt virtutes habere. Oportet igitur eum, qui Politica geret, moribus probum eſſe. Quare pars eſt, vti videtur, & principium Politicæ Tractatio de moribus. Totam verò appellationem rectè videtur habere, hæc tractatio non moralem* ſeu Ethicam, *ſed Politicam.* Secundùm Ariſtotelem igitur, nulla alia eſt Philoſophia moralis, quam Politica, ad quam vulgo dicta Ethica ſe habet, ſicut doctrina de terminis ſimplicibus & Enuntiatione ad Logicam; & ſicut Analytica ſiue doctrina de Syllogiſmo & demonſtratione, eſt pars Principalis Logicæ, ita

Mores Politica Ariſtoteles aſſignat,

doctri-

doctrina de legibus & Republicâ eſt principalis pars Politicæ, eiuſque nomen veluti per Antonomaſiam retinet.

Nō eſt alienum à ſciētiâ, quod pertinet ad partem illius.

Vnde contra Scioppium concludo. Quod pertinet ad partem ſcientiæ, id à ſcientiâ alienum non eſt; ſed deterrere hominnm animos, ab affectandâ vel tuendâ Tyrannide, eiuſque turpitudinem deſcribere proprium eſt Ethicæ, teſte Scioppio, eaque eſt pars Politicæ, autore Ariſtotele; ergo non eſt alienum à Politicâ, ſicut non eſt alienum à Logicâ, quod tractatur in libris Perihermenias. Imò Ariſtoteles ità Ethicam putat pertinere ad Politicam, vt illam appellatione Politicæ compræhendi velit.

Cur Ariſtoteles Philoſophiam moralem, Politicam appellârit.

Cuius ſententiæ duplicem cauſſam videtur præcipuè habuiſſe. Vnam quia homo naturâ eſt animal ciuile, vt docet l. 1. polit. c. 2. & alibi ſæpe; vnde conſequens eſt mores humanos & pleraſque virtutes ad Societatem ciuilem referri, in eâque exerceri & perfici. Alteram, quia ſine legibus & Republicâ, mores ad virtutem non facile formari, neque vitia coerceri poſſunt, vt tradit l. 10. Ethic. c. 9.

§. VII.

§. VII.

Politica etiam, vt vulgo ſumitur pro parte Philoſophiæ moralis, proprium eſſe Pſeudopolitica vitia & turpitudinem explicare.

Oſtendi non eſſe alienum à Politicâ, quod alienum cum Pſeudopoliticis credit Scioppius, ſi ea iuxta mentem Ariſtotelis ſumatur pro ſcientiâ integrâ, complectente duas pręcipuè partes: vnam de vita priuatâ, quâ etiam Oeconomicam compræhendo, cum nec ipſa limites priuatos ſecundum ſe egrediatur, alteram de legibus & Republicâ. Nunc idem de eâdem demonſtrabo, vt vulgo diſtinguitur ab Ethicâ, ſiue ſint plures ſcientiæ totales, ſiue quod mihi veriſimilius eſt, vnius ſcientiæ partes, Philoſophiæ inquam Moralis: quam eandem eſſe cum Politica ſapienter ac verè Ariſtoteles cenſuit. Cuius de Politicis ſenſum ac verba, vtinam noſtra ætas denuo tandem amplectatur! Sed pergo.

Politica non eſt aliter tractare Pſeudopolitica, quam vt vitanda.

I. Politica, prout eſt ſpecialis facultas conſtituendi, conſeruandi & gerendi Rempublicam, eſt vera ars & ſcientia practica, eaque præſtantiſſima; ergo propriū ipſi eſt vitioſæ Reipublicæ turpitudinē & defe-

defectus oſtendere. Cum enim ars ſit *recta ratio operis alicuius efficiendi*, ſequitur malum artificium non eſſe opus artis, ſed contra artem, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 57. a. 3. ad 1. adeoque non poſſe aliter de eo tractari, quàm vt vitetur aut corrigatur, neque enim aliter eſt obiectum artis. Reſpublica autem vitioſa, eſt malum artificium, ergo artis Politicæ proprium eſt tractare de illius malitiâ, & receſſu à Regulis veræ Politiæ, in quo ſita eſt ipſius turpitudo.

II. Politica vel eſt ipſa Philoſophia moralis, vt loquitur ac ſentit Ariſtoteles, vel certè, vt omnes fatentur, pars eius altera. Quæ dirigit mores humanos in ordine ad bonum commune, ſicut Ethica ad bonum vniuſcuiuſq;, quamuis idipſum ad bonum commune referri debeat. Vt enim l. 8. Politic. c. 1. præclarè ait Ariſtoteles, *Nequaquam oportet exiſtimare aliquem ciuium eſſe ſui ipſius, ſed omnes ciuitatis; pars enim quiſq; eſt ciuitatis. Cura autem cuiuſuis partis, naturâ ſuâ reſpicere debet ad curam totius.* Ergo ſicut conſiderare turpitudinem generatim & in vitijs priuatis Ethicæ, ità conſiderare in Republicâ vitioſâ proprium eſt Politicæ; adeò quidem, vt id

Eiuſdem proprium eſt conſiderare vitia Reſpublica.

id alienum ſit ab Ethicâ. Nam vt idem Ariſtoteles docet, 4. met. c. 2. t. 16. *eiuſdem* facultatis *eſt oppoſita contemplari*, ſed Ethica non contemplatur, Rempublicam legitimam, ergo neque oppoſitam vitioſam. Non eſt enim eius facultatis conſiderare priuationem, cuius non eſt conſiderare formam oppoſitam.

III. Politica ſcientia & Prudentia, quæ non ſuum dumtaxat, ſed commune etiam bonum curat, circa eadem verſantur. Ideoque Ariſtoteles lib. 6. c. 8. Politicam & hanc prudentiam affirmat eſſe *eundem habitum*, obiecto videlicet: vterque enim Rempublicam conſiderat. Sed addit *eſſentiam earum eandem non eſſe*, quia Prudentia Politica agit, quæ agenda eſſe ſcit, ideoque virtus eſt: ſcientiam autem Politicam etiam ij habent, qui non agunt, quæ agenda eſſe ſciunt. Quare idem Ariſtoteles lib. 5. Politic. c. 9. ſapienter in ſummis magiſtratibus, præter amorem Reipublicæ, & facultatem eam gerendi, virtutem requirit, quâ faciant, quæ facienda eſſe ſciunt. *Politica & Prudentia communis, eſt idem obiectum.*

Vnde rurſus contra Scioppium colligo. Prudentia Politica eſt habitus *cum verâ ratione actiuus, circa ea, quæ non ſolum vnicuique* *Prudẽtia eſt detert e à Pſeudopoli-*

cemur, omnis quæſtio, aut diſputatio eius artis propria eſt, cuius fuerit Prædicatum, ſiue Attributum: vt hæc quæſtio, *ſitne Auaritia Liberalitati contraria?* non eſt Ethicæ, ſed Dialecticæ. Nam quid ſit contrarium ex Dialectica, diſcitur, quamuis ſubiecta ſint Ethica. Docet autem Dialectica eſſe contraria illa, *quæ ſub eodem genere poſita plurimùm diſsident.*

§. IX.

VINDICIAE. Malitiam, Vitium, Turpitudinem, non eſſe adiuncta, ſed rationem formalem Pſeudopolitiæ; neque hanc in Politicâ rectè tractari, niſi illa explicentur.

PLurimum momenti habet, quod à veris Politicis ac Philoſophis contradicitur. Malitia enim Vitium, Turpitudo non ſunt adiuncta Tyrannidis, ſed eius eſſentia & ratio formalis, ſicut cæcitas oculi aut hominis cæci. Nam ſicut legitima Reſpublica, eſt bene diſpoſita ſecundum regulam rectæ rationis, ita vitioſa eſt malè diſpoſita contra eandem regulam; eàque ratione diſtinguitur ab illa; neque aliter poteſt tractari in Politicâ. Vbi aduerte vitia & errores artis, non eſſe propriè ſpecies obiecti efficiendi, ſeu quod ars intendit & efficit: ars enim ſeu ſcientia practica, eſt *habitus cum verâ ratione factiuus*, vt docet Ariſtoteles 2. Ethicor. repugnat ergo vitioſum, ſeu malum artificium

Vitia artis non ſunt ſpecies obiecti efficiendi.

eſſe opus artis, cum à verâ ratione ſiue regulis artis deficiat.

Pſeudopolitia, quomodo ſit ſpecies Politiæ.

Vnde ſequitur Tyrannidem aliaſque Pſeudopolitias non aliter eſſe ſpeciem Politiæ, quàm Syllogiſmus Sophiſticus & Pſeudographus, ſunt ſpecies Syllogiſmi aut modi diſſerendi, qui pro obiecto Logicæ aſſignari ſolet. Sunt ergo ſpecies obiecti analogicè aut æquiuocè ſumpti, quo pacto animal pictum poteſt dici ſpecies animalis: ideóque ſolùm ad contemplationem, non ad operationem artis ſpectant, niſi quatenus per eam corrigi poſſunt, vt ſuprà quoq; explicatum eſt. Certè Syllogiſmus Sophiſticus non eſt verus Syllogiſmus, ſed apparens & vitioſus: eodemque modo Pſeudopolitia non eſt vera Politia, ſed apparens & vitioſa.

Quare ſicut impoſtor, foret & errorum Magiſter, qui Sophiſmata doceret, non oſtendendo eorum vitia, ac ſolutiones: ſic eandem notam meretur, qui Tyrannidem aut alias Pſeudopolitias ita tradit, vt vitioſas eſſe non oſtendat, ſed potius tanquam vtiles ac neceſſarias artes commendet, quod ſanè egiſſe Macchiauellum palam eſt.

Notanda eſt deinde hominis fraudulen-

tia & imperitia. Negat Politicum tractare debere, de turpitudine, velut adiuncto Tyrannidis. Et probat inde, quia quid ſit contrarium ad Dialecticam ſcilicet, ſpectat. Atqui de turpitudine quæritur; non eſt autem idem aliquid turpe & contrarium eſſe; nam etiam virtus contraria eſt vitio, non ergo contrarietas per ſe habet turpitudinem. Probare igitur Scioppius debuit de turpitudine, eam non ſpectare ad Politicum. Sed extra chorum ſaltat Grammaticus, & in hoc ipſo ſaltu fœdè aberrat.

Scioppius imperitè, turpe & contrarium confundit.

§. X.

Iuxta Scioppium, peccatum originale ad Logicum, Myſterium SS. Trinitatis & numerum Sacramentorum pertinere ad Arithmeticam, aliaque abſurda ſequi; quæſtionem igitur ei ſcientiæ attribui debere, cuius fuerit ſubiectum.

ASſerit enim hanc quæſtionem, ſitne *Auaritia liberalitati contraria?* non eſſe Ethicæ, ſed Dialecticæ, ſic enim *Methodi magiſtros docere.* Certè non alij id docent, quàm iſte ipſe, vel ipſi ſimiles, qui Magiſterium ijs in rebus vſurpant, quas nunquàm, aut non rectè didicerunt: & quorum propria Methodus eſt falli, aut fallere. Si illa quæſtio eſt Dialectica; ergo

Digitized by Google

Paradoxa Scioppiana. & iſta, *an & cur caro aduerſetur ſpiritui, eiq; ſit contraria?* de quâ S. Paulus ad Galat. 6. & alibi diſputat. Scilicet Dialectici eſt explicare modum & cauſſas rebellionis, quam ex originali labe traximus. Simili modo has quæſtiones; *An Deus ſit trinus & vnus? An Sacramenta ſint ſeptem? An partes pœnitentiæ tres?* ad Arithmeticam Scioppius amandare cogitur; quia prædicata ſunt numeralia; numerus verò eſt obiectum Arithmeticæ. Eodem Magiſtro, *An eſſe æternum, immenſum infinitum, omnipotentem ſit Deo proprium?* non Theologus, ſed Logicus diſputabit, quia proprij naturam explicat.

Prædicati explicatio & definitio ſæpe ex aliâ ſcientiâ petitur. Paradoxum itaque eſt & falſum, quæſtionem ad eam artem pertinere, cuius fuerit prædicatum. Id verum eſt, prædicati explicationem aut definitionem, frequenter ab aliquâ facultate peti, & pro principio aſſumi, ad quæſtionem aut concluſionem alterius ſcientiæ diſceptandam, vel probandam. Quod contingit, cum prædicatum pluribus rebus ac ſcientijs commune eſt, ideoque per principia communium ſcientiarum probari debet, vti ſupra docuimus ex Ariſtotele. Qui l. 1. poſter. cap. 8. fruſtra in ſcientijs principia com-

communia ac propria diſtinxiſſet: ſi quæſtio aut concluſio, cuius prædicatũ commune eſt, & in communi aut ſuperiori ſcientiâ explicatur, ad illam, non verò ad inferiorem, ſeu particularem ſcientiam, cuius ſubiectum proprium eſt, pertineret.

Sic definitionem contrariorum ex Logicâ, ſeu potius Metaphyſicâ, vbi latè de iis agit Ariſtoteles l. 10. aſſumit Ethicus, eâque ſuppoſitâ, ex natura virtutis & vitij, liberalitatis & Auaritiæ, earumque proprietatibus, (quarum conſiderationem manifeſtum eſt ad Ethicam, non Logicam pertinere,) demonſtrat virtutem vitio, & liberalitatem Auaritiæ eſſe contrariam. Atque eadem eſt ratio in cæteris.

Definitionẽ contrariorũ ex Logicâ aſſumit Ethicus.

§. XI.

SVPPETIAE. Auaritiam & liberalitatem, non eſſe ſub eodem genere, ſed illam ſub habitu alienandi, iſtam ſub habitu non alienandi.

IAm verò Auaritiam Ethicus ſub alio genere ponit, ſub alio Liberalitatem. Nam Liberalitas eſt ſub habitu alienandi, ſeu largiendi, Auaritia ſub habitu non alienandi, ſed acquirendi aut conſeruandi. Liberalitati ergo contrario nomine opponitur Effuſio, Auaritiæ parcimonia. Cum enim liberalitas & Effuſio ſint ſub eodem genere, ſub habitu nempe largien-

Digitized by Google

di, plurimum inter ſe diſſident, quoniam illa honeſta eſt, hæc verò turpis. Similiter Auaritia & parcimonia ſub eodem habitu, non largiendi, ſed retinendi plurimum inter ſe diſſident. Nam parcus non dat, ſed retinet, quia turpe eſt dare, honeſtum verò retinere. Auarus autem retinet, etiam vbi turpe eſt retinere, honeſtum verò largiri.

§. XII.

VINDICIAE. Scioppio aduerſari Ariſtotelem; ab eo habitum alienandi, & non alienandi non diſtingui, nec Parcimoniam à Liberalitate.

Ariſtotelis de liberalitate, & vitiis oppoſitis ſententia.

ETHicorum Princeps Ariſtoteles, quem in doctrinâ morali ſequuntur Philoſophi & Theologi, vnam virtutem & duo vitia ei oppoſita: liberalitatem videlicet, Auaritiam & Prodigalitatem, circa communem vſum pecuniarum aſſignat l. 4. Ethic. c. 1. Quorum genus eſſe neceſſe eſt, habitum vtentem pecunijs in communi. Hunc autem proximè diuidere licet in eum, qui rectè pecunijs vtitur, nec diuerſus eſt à Liberalitate: & in habitum oppoſitum, qui pecunijs abutitur. Hic (cum abuſus duplex ſit, vnus in exceſſu, alter in defectu,) in duo vitia ſpeciei infimæ ſubdiuiditur: Prodigalitatem, quæ in dando excedit, & Auaritiam, quæ deficit. Neque præterea aliud vitium, aut aliam

aliam virtutem præter liberalitatem, circa communem vſum pecuniarum Ariſtoteles conſtituit. Vnde habitum alienandi, ſub quo Scioppius Liberalitatem & Prodigalitatem ponit, habitum item acquirendi, ſub quo Auaritiam & Parcimoniã collocat, vna cum ipsâ Parcimoniâ, commentum Scioppij eſſe meritò pronuntiamus. *Habitus alienandi, item acquirendi, & Parcimonia Scioppij commenta.*

Equidem habitum alienandi ſeu largiendi, diſtinctum ab habitu acquirendi ſeu conſeruandi, Ariſtoteli ignotum fuiſſe, hinc patet; quia c. 4. Ethic. c. 1. eiuſdem habitus docet eſſe dare & accipere, ſiue acquirere: & vtrumque Liberalitati tribuit, etſi magis illud quàm iſtud. *At enim* ait, *vſus diuitiarum in ſumptibus, & expenſis conſiſtere videtur, acceptio verò & cuſtodia magis ad poſſeſſionem pertinet. Quocirca liberalis potius eſt dare, quibus oportet, quàm accipere vnde oportet, aut non accipere, vnde non oportet.* Cuſtodiam quoque, ſiue conſeruationem eidem paulò poſt tribuit. *Neque* ait, *ſua negliget, qui vult inde alijs opem ferre. Neque quibuſuis dabit, vt poßit dare, quibus oportet, & quando, & vbi honeſtum eſt.* *Liberalitatis eſt dare, accipere, & acquirere; magis tamẽ dare.*

Digitized by Google

Vtrumque etiam vitiis oppoſitis Ariſtoteles tribuit.

Vtrumq; item in vitijs oppoſitis agnoſcit. *Prodigalitas igitur*, inquit, *dando & non accipiendo excedit*, *accipiendo deficit*. *Illiberalitas* (ſiue Auaritia) *dando quidem deficit, ſed accipiendo excedit*. Repugnante igitur Ariſtotele. Scioppius Liberalitatem, ſub habitu alienandi conſtituit, & ab habitu acquirendi excludit. Vnus eſt idemq́, genere habitus, dandi & accipiendi, quem tres illæ ſpecies ſingulæ aliquatenus participant. Nam etiam Auaritia, dat, licet non vti oportet. Prodigalitati quoque non repugnat, accipere, & ſua conſeruare, licet non accipiat vti oportet, & quantum oportet, neque ſua conſeruet, vti oportet. Experimur ſæpe prodigos multa accipere, & quædam etiam conſeruare.

Auaritia non repugnat accipere nec prodigalitati.

Parcimonia à liberalitate non diuerſa.

Vnde illud quoq; ſequitur, nec Parcimoniam eſſe diuerſam à Liberalitate, præter illam enim nullam aliam virtutem, circa communem vſum pecuniarum (Magnificentia enim cum vitijs oppoſitis, circa magnas & extraordinarias impenſas verſantur) aſſignauit Ariſtoteles, tum l. c.4. Ethic. c. 1. & 2. tum l. 2. c.7. Quem cum alijs Philoſophis & Theologis ſequitur

S. Thom.

Digitized by Google

S. Thom. ibid. in commentario, & 22. q. 117. 118. 119. 134. 135.

Suffragatur ratio aperta. Nam Liberalitas moderatur vſum pecuniarum, qui rectus non eſt, niſi quis det quibus, & quæ, & quando oportet, reſque ſuas ità curet, vt habeat, vnde det. Ipſa ergo, Liberalitas retinet, cum retinere honeſtum eſt, adeoq; Parcimonia Scioppiana ſuperuacanea eſt, aut certè non niſi partem, & officium aliquod Liberalitatis ſignificat. Quæ virtus nomen ſuum inde præcipuè videtur accepiſſe, quod teſte S. Thom. 22. q. 177. a. 1. c. liberalis animum ſuum ab affectu inordinato pecuniarum, liberum eſſe oſtendit, dando & accipiendo ac retinendo, vti oportet; etſi magis ei proprium ſit dare, magisq; id nomen Liberalitatis & liberalis præ ſe ferat. *Nomen liberalitatis vnde.*

§. XIII.

SVPPETIAE. Sitné virtus mediocritas, in Metaphyſicâ rectiùs tractari; vnum vni tantum eſſe contrarium, ideoq; virtutem inter duo contraria nequaquam eſſe poſitam.

SImiliter, quæſtio hæc, *ſitné virtus mediocritas*, ſiue *in medio duorum vitiorum poſita*? rectiùs in Logicâ, aut Metaphyſicâ, quam in Ethicâ tractatur. Primùm enim ex Metaphyſicis diſci- *Quæ certiſſima ſunt, oppugnat Scioppius.*

Digitized by Google

diſcimus, *Vnum Vni tantùm eſſe contrarium.* Ariſtoteles 10. met. 4. verba ſunt: *planum eſt fieri non poſſe, Vt Vni plura ſint contraria.* Et cap. proximo, *Vnum Vni contrarium eſt, &c.* Philoponus ſimiliter 3. Phyſic. 3. *Abſurdum eſt* inquit, *Vt duo Vni eidem ſint contraria.* Sed & prius Plato, Alcibiad. 2. *Duo Vni rei contraria nullo modo eſſe poſſunt.* Et in Protagorâ. *Vnicuiq; contrariorum Vnum ſolum eſt contrarium.*

Fortaßis autem ſuperuacuum & περίεργον fuerit ſcientiam hanc autoritatibus ſtabilire, cum perſpicuè Spiritus S. affirmet Eccleſ. 33. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem Vita: ſic & contra Virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altißimi. Duo contra duo & Vnum contra Vnum.* Igitur Metaphyſicæ doctrinæ conſentaneum eſt, virtutem inter duo vitia nequaquam eſſe poſitam. Aliter duo ei vitia eſſent contraria, cum ſemper virtus & vitium ſint contraria.

§. XIV.

VINDICIAE. De Virtutis mediocritate Ariſtotelem in Ethicâ diſputare; eiuſdem, omniumq; Theologorum & Philoſophorum ſententiâ, Virtutem in mediocritate, & inter duo Vitia ſitam eſſe.

EX eodem errore hic mediocritatem virtutis ad Logicam vel Metaphyſicam reijcit, quo ſupra contraria eodem reiecit. Eſt quidem principium Metaphyſicum: *in omni re continuâ, & qua partes habet, plus & minus, & aquale reperiri; id-*

que

que ſecundum rem, vel quoad nos; AEquale verò eſſe medium inter exceſſum & defectum. Vtrum verò in medio, ſiue mediocritate virtus conſiſtat, Ethici eſt conſiderare, cuius obiectum eſt virtus. Ideoq; Ariſtoteles ex illo principio id probat l. 2. Ethic. c. 6. eiuſque libri magnam partem inſumit in demonſtrandâ generatim virtutis mediocritate, vitiorum verò exceſſu atq; defectu; quod ſingillatim libris ſequentibus facit. Vnde alienum ab Ethico inſtituto id dici non poteſt, niſi Ariſtotelem in maximâ librorum Ethicorum parte, aliena tractâſſe in gratiam Grammatici credere velimus.

Mediocritas virtutis ad Ethicam pertinet, Ariſtotele teſte.

Cuius probatio imperitiæ, & erroris plurimùm continet. Primò quidem, quia negat virtutem inter duo vitia eſſe poſitam, & duo vitia ei eſſe contraria. Quod repugnat autoritati & rationi. Nam Ariſtoteles l. c. *Virtutem* definit eſſe *habitum, quo eligimus mediocritatem quoad nos, à ratione determinatam, prout prudens determinauerit. Mediocritas verò* ait, *inter duo vitia conſiſtit, vnum quidem in exceſſu, alterum in defectu ſitum.* Quod pluribus argumentis ibi probat, & de ſingulis virtutibus moralibus cap. 7. aſſerit; denique in

Scioppius repugnat autoritati & rationi. Ariſtoteles illi contrarius.

in explicatione earum præcipuè l. 3. & 4. Ethic. accuratè demonſtrat.

Item S. Th. Quem ſequitur S. Thomas ibidem in commentario, & 1. 2. q. 64. a. 1. vbi id confirmat ex eo, quia menſura & regula actionum humanarum eſt recta ratio. *Bonum autem* ait, *cuiuslibet menſurati & regulati conſiſtit in hoc; quod conformetur ſuæ regulæ: ſicut bonum in artificiatis eſt, vt ſequatur regulam artis. Malum autem per conſequens in huiuſmodi eſt per hoc, quod aliquid diſcordat à ſuâ regulâ, vel menſurâ. Quod quidem contingit vel per hoc, quod ſuperexcedit menſuram, vel per hoc, quod deficit ab eâ. Sicut maniſeſtè apparet in omnibus regulatis & menſuratis; & ideo patet, quod bonum virtutis moralis conſiſtit in adæquatione ad menſuram rationis. Manifeſtum eſt autem, quod inter exceſſum & defectum medium eſt æqualitas, ſiue conformitas. Vnde manifeſtè apparet, quod virtus moralis in medio conſiſtit.* A quâ certiſſimâ Philoſophorum Theologorumq; doctrinâ qui diſſentiat, præter hunc Grammaticum, noui neminem: cuius voluſianas chartas, tam apertę veritati ogganientes, tamdiu toleratas fuiſſe mirum eſt.

§. XV.

§. XV.

Vnum non eſſe pluribus contrarium, eodem reſpectu, & perfectè

NEque vllius momenti eſt, quod ex Ariſtotele & alijs, ipſiſq; adeo ſacris literis affert, *vni non eſſe niſi vnum contrarium.* Id enim vel eodem dumtaxat reſpectu verum eſt, ita vt diuerſo reſpectu eidem plura contraria eſſe poſſint: virtuti nimirum duo vitia, vnum reſpectu exceſſus, alterum reſpectu defectus; vt ſignificat S. Thom. 1.2. q. 71. a. 1. ad. 1.

Plura vni contraria diuerſo reſpectu.

Vel quod menti Ariſtotelis non minus conforme eſt, accipi debet de ſolis contrarijs perfectis, vt ex eodem loco perſpicuè colligitur. *Cum autem* ait, l. c. t. 14. *multipliciter dicantur contraria, ſic ea ſequitur, quod perfectum eſt, ſicut eis competit eſſe contraria. His autem poſitis manifeſtum eſt, quod non contingit vni plura contraria eſſe: neque enim vltimo vlterius eſt aliquid, neque vnius diſtantiæ plura ſunt, quam duo extrema. Et vniuerſim, ſi contrarietas eſt differentia. differentia autem duorum eſt, ergo & ipſa perfecta. Sed neceſſe eſt etiam alias definitiones contrariorum veras eſſe.*

Vnum non niſi vni perfectè contrarium, iuxta Ariſtotelem.

Quibus verbis ſignificat id quod dictum eſt, ſolis contrarijs perfectis, quæ ſub eo-

dem

Varia contrariorum ſpecies.

dem genere plurimum diſtant conuenire. Præter quæ, alia contraria, ſiue alias contrariorum differentias, enumerat tum ibidem, tum lib. 5. met. c. 10. t. 16. vbi ait, *contraria dici & ea, quæ ſimul eidem ineſſe non poſſunt, cum genere differant; & quæ plurimùm differunt ex ijs, quæ ſunt eiuſdem generis; & quæ plurimùm differunt in eodem ſubiecto; & quæ plùrimùm differunt ex ijs, quæ ſub eandem potentiam cadunt; & quorum differentia eſt maxima, aut ſimpliciter, aut ſecundum genus, aut ſecundum ſpeciem.*

Vitia quomodo ſint virtuti contraria.

Etſi verò duo vitia non plurimùm diſtent à virtute ſub eodem genere, rectè tamen ei dicuntur contraria alijs modis, quia in ratione boni & mali genus commune non habent, neque eidem ineſſe ſimul poſſunt. Ideoque Ariſtoteles 2. Ethic. c. 8. & ſæpe alibi aſſerit, *Habitus extremos, & medio habitui, & ſibi contrarios eſſe, & medium extremis; maiorem item eſſe extremorum inter ſe, quàm cum medio repugnantiam, longius enim à ſe mutuo, quam à medio diſtant.* In Categorijs cap. de oppoſitis docet, *Malo quidem & bonum eſſe contrarium, & malum. Defectui enim, qui malus eſt, contrarius eſt exceſſus*

malus

malus, ſimiliter verò mediocritas vtriq́ contraria, bona eſt.

Cuius rationem pulchram affert 2. Ethic. c. 6. *Peccare* ait, *multis modis (malum enim, vt Pythagorei exiſtimabant infinitum, bonum finitum eſt,) rectè autem agere, non niſi vno modo contingit. Quare illud facile, hoc difficile eſt: quippe & à ſcopo aberrare facile eſt, illum tangere difficile. Ideoq́ exceſſus & defectus vitij eſt, mediocritas virtutis.* Quæ conuincunt Ariſtotelem conſtanter ſenſiſſe, Virtutem eſſe in medio duorum vitiorum, eaque virtuti eſſe verè contraria, etſi non habeant omnimodam & perfectiſſimam contrarietatem, qualem deſcribit, 10. met. Neque aliter in tam clarâ rectæ rationis luce, ſentire licet: aduerſus quam dum loquitur Scioppius, quod actum eſt, & quod iniquum agit.

Cur Virtuti plura Vitia contraria.

§. XVI.

SVPPETIAE. Vitia in defectu ſita, cum non ſint circa idem, non eſſe Virtutibus contraria, niſi per accidens, propter obiecta inter ſe pugnantia.

DEinde ex Dialecticâ diſcimus, contraria, vt & reliqua Oppoſita, dici ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore ac loco, cui conſequens eſt, vitia illa, quæ vulgò defectus perhibentur virtutum, nequaquam eſſe Virtu-

Temeraria inſcitiæ ſpecimen.

tibus contraria, cùm ſecundùm idem minimè dici, ſatis conſtet. Exempli cauſsâ, Auaritia non eſt defectus, neque oppoſitum Liberalitatis, quoniam reuera non circa idem internum, ſeu *formale*, vt ſic dicam, obiectum verſantur. Nam formale & internum Liberalitatis obiectum, eſt alienare rem familiarem, Auaritiæ verò non alienare, ſed retinere. *Formale* voco, vt habitus iſtos circa rem familiarem materialiter tantùm occupari ſignificem, & formam vel formalitatem habitus, ab obiecti formalitate ſecerno.

Ex euentu tamen, ſeu per accidens Liberalitas, & Auaritia contraria dici poſſunt, quoniam ipſa eorum obiecta, alienare & non alienare inter ſe pugnant. Sed eodem modo per accidens vitium in medio duarum virtutum ſpectatur, velut alterius *nimiũ*, ſiue *exceſſus*, alterius *parum*, ſeu *defectus*. Nam auaritia inter Liberalitatem, & Parcimoniam media eſt, & à modo quidem Liberalitatis deficit, Parcimoniæ verò modum ſuperat. Sic effuſio in earundem Virtutum medio collocatur, velut Liberalitatis exceſſus, & defectus Parcimoniæ.

§. XVII.

VINDICIAE. Scioppium communi ſenſui repugnare; contraria dici ſecundum idem, illud autem, in quo opponuntur, non eſſe idem. Alia Grammatici *abſurda.*

Vitia tam quæ in defectu, quam quæ in exceſſu conſiſtunt, virtutibus eſſe contraria, atque adeò Auaritiam eſſe de-

fectum

Digitized by Google

fectum & oppoſitum Liberalitatis, oſtendimus docuiſſe Ariſtotelem & S. Thomã, in quorum ſententiam claræ veritatis argumentis perſuaſi, animis pedibuſque eunt Philoſophi omnes atque Theologi, vt indignum ſit quenquam contrà diſſerentem audire, aut rem certam in quæſtionem vocare. Sed iuuat errores Grammatici, & inſcitiam, etiam in hâc eius probatione aperire

Negat Auaritiam eſſe contrariam Liberalitati, quod *obiectum formale illius ſit non alienare, iſtius alienare, contraria autem dicantur ſecundùm idem.* Facit ſanè Scioppius, vt intelligendo nihil intelligat. Dicuntur oppoſita contraria ſecundùm idem, & ad idem; illud autem in quo opponuntur, nec debet, nec poteſt eſſe idem. Sic album & nigrum dicuntur contraria, reſpectu eiuſdem ſubiecti, in quo ſimul eſſe non poſſunt: ipſa autem eorum eſſentia, ratione cuius non poſſunt eſſe ſimul, eſt neceſſariò diuerſa.

In quo opponuntur contraria, non eſt idẽ.

Simili ergo ratione Auaritia & Liberalitas habent idem genere obiectum, diuitias ſeu pecunias earumque vſum, non item ſpecie: nam illa moderatè dat & accipit, iſta dando deficit, accipiendo excedit,

dit, vt ſuprà ex Ariſtotele diximus. Vnde neceſſarium eſt obiectum formale eſſe diuerſum, quæ formalitas obiecti in formalitatem habitus & actuum redundat, neque vna ab altera ſecerni aut ſeparari poteſt; habitus enim & actus ab obiectis eſſentiam deſumunt, vt Philoſophi loquuntur.

Cõtrariorũ habituum obiectum gẽere idem, ſpecie diuerſum.

Habituum igitur & actuum contrariorum obiectum, neceſſe eſt genere eſſe idem, vt ſub eodem genere ponantur: ſpecie autem differre, vt contraria eſſe poſſint. Quod Scioppius videre debuit, cum definitionem contrariorum tam accuratè examinauit. Nam habitus & actus ex obiecto formali contrarietatem trahunt, ratione cuius in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt. Itáque amor & odium Dei, eundem Deum pro obiecto materiali habent, obiectum autem formale amoris eſt bonitas diuina, odij ſeueritas, vel aliquid ſimile: quos actus cum ſuis habitibus eſſe rigidè & per ſe contrarios, nemo ſanus dubitat.

Neque ſolum vitia in defectu, verùm etiam in exceſſu ſita, de quibus tacuit Scioppius, obiectum formale diuerſum habent, ab obiecto formali virtutis. Sic enim libe-

liberalitatis obiectum formale, eſt datio & acceptio moderata, Prodigalitatis datio nimia & acceptio neglecta. Vt adeò nulla in habitibus & actibus contraria relicturus ſit Scioppius, ſi idem eſſe velit obiectum formale, ſeu ſpecificum, quod eſt radix oppoſitionis contrariæ; cuius reſpectu obiectum genericum materiale vocari poteſt, quamuis ſuo etiam modo formale ſit, quatenus genus ſuum habitus & actus inde deſumunt.

Obiectum formale idem non eſt in contrariis.

Sed hinc inſcitiam Scioppius prodit, quod dicit *ex euentu, ſeu per accidens Liberalitatem & Auaritiam contraria dici poſſe, quoniam ipſa eorum obiecta, alienare & non alienare inter ſe pugnant.* Cum enim paulò ante dixerit alienare auaritiæ, & non alienare Liberalitatis eſſe obiectum formale, (quamquam id verùm non ſit, vt oſtenſum eſt) contrarietatem, quam inde iſti habitus trahunt, per ſe, non per accidens illis conuenire neceſſe eſt, quia eſſentiam ſuam ab illis deſumunt, quatenus ſunt contraria.

Contraria ex obiecto, per ſe talia ſunt.

Inſigni denique abſurdo Ethicam ſuam doctrinam claudit, cum ait: *eodem modo per accidens vitium in medio duarum virtutum ſpectari, velut alterius nimium ſiue exceſ-*

Inſigne Scioppii abſurdum.

exceſſum, alterius parum ſeu defectum; ſic auaritiam, & effuſionem itidem inter liberalitatem & parcimoniam mediam eſſe. Vbi non repeto, quod ſupra probaui, parcimoniam diſtinctam virtutem non eſſe, ſed vel nullam, vel Liberalitatis partem, ex quo capite, vitium nullum inter eam & Liberalitatem medium eſſe poteſt. Illud nunc dico, repugnantiam in eo eſſe, quod Scioppius dicit. *Nullo enim modo in exceſſu & defectu eſt mediocritas, neque in mediocritate exceſſus & defectus,* ait Ariſtoteles, 2. Ethic. c. 6. Exceſſus enim & defectus extrema ſunt: extrema autem medium, aut in medio eſſe repugnat, ergo & vitia; conſiſtunt namq; in exceſſu & defectu. Sed ait Scioppius, *ſtatui poſſe in medio, & ibi ſpectari.* Poſſunt ſanè. Vt ſi quis homini cor è medio corpore euellat, & caput amputet, aut pedes, tum verò cor ſupra ceruices, caput infra genua, pedes loco cordis reponat, ſpectabuntur tum quidem pedes in medio cordis, & capitis, ſed vos

In exceſſu & defectu non eſt mediocritas.

Spectatum admiſſi, riſum teneatis amici.

aut iuſtam potius indignationem, aduerſus hunc naturæ & doctrinæ perturbatorem concipite.

§. XVIII.

§. XVIII.

SVPPETIAE. Tyrannidis turpitudinem, iuxta Methodum artis, ad Ethicam pertinere.

SEd de his aliàs; nunc ad propoſitum ex diuerticulo reuerti res monet. Cum honeſtum & Turpe ad Ethicam pertineant, fateri oportet de Tyrannidis turpitudine non in Politicâ, ſed in Ethicâ tractari oportere, vt pareatur legibus, quas Methodus artis ac doctrinæ præſcribit. *Concluſum eſt; ſed contra veritatem.*

§. XIX.

VINDICIAE. Scioppium multa extra cauſſam dixiſſe; & immeritò veros Politicos, de neglectâ artis Methodo accuſari.

PLuſquam ſatis in Logicis, Ethicis, & Metaphyſicis imperitiam demonſtrauit Scioppius, non eſt opus, vt aliàs idem faciat. Quod ipſe fatetur hæc ſe per diuerticulum attuliſſe, rectè facit & oſtendit ſe non cupere ibi viuere, vbi *lex probibet aliquid extra cauſſam dicere*, quod multis locis olim lege vetitum fuiſſe, aſſerit Ariſtoteles l. 1. Rhetoric. cap. 1. Mihi verò ignoſcet lector, quod Scioppium in diuerticulis errantem, diutius inſecutus fuerim; plerumq; fera eò trahit venatorem, quò vltro non perueniret.

Veri Politici aliena non poſtulant.

Atque ex his puto confici, veros Politicos, quos immeritò inſectatur Scioppius, propria, non aliena poſtulare. Alienum verò eſſe à Politicâ, vitioſas Reſpublicas tractare, vitijs earum & remedijs non oſtenſis, perinde ac ſi legitimæ forent; aut præ, ac pro legitimis illas commendare, quod facere non eſt boni artificis, ſed Magiſtri errorum ac impoſtoris. Hæc eſt vera Methodus doctrinæ Politicæ, diſputare inprimis de verâ Politiâ, eius leges principia, cauſſas explicare: & tum, quia *oppoſitorum eſt eadem ſcientia*, Pſeudopolitias quoque tradere, ac earum vitia, falſas rationes, & remedia demonſtrare. Quod quia agunt Ariſtotelis exemplo, Scriptores verè Politici, negligunt autem Pſeudopolitici, non illi, ſed iſti contra Methodum doctrinæ delinquunt.

VIN-

Digitized by Google

VINDICIARVM POLITICARVM

LIBER SECVNDVS.

Pſeudopoliticorum, & Macchiauelli inprimis præcepta, à verâ Politicâ aliena eſſe, eique aduerſa.

Cap. I.

De Ariſtotelis & S. Thomæ, in vitioſis Reipublicæ formis tractandis innocentiâ, Pſeudopoliticis nequaquam patrocinante.

§. I.

SVPPETIAE. Prudentia Methodum exigere, vt in Politicâ turpitudo Tyrannidis deſcribatur.

Reliquum eſt, vt de Prudentiæ Methodo videamus, cui non tam veritas, quàm certa quædam hominum vtilitas eſt propoſita. Hanc vltro fateor non modo permittere, ſed etiam exigere, vt in Politicâ tradendâ, etiam deformitas, ſeu turpitudo Tyrannidis deſcribatur, ad eamq; auerſandam verba conferantur. Cum enim rerum hominumq; vſus comprobet, eam *Suo ſe gladio iugulat Scioppius.*

 in ani-

in animis plerorumque prauitatem eſſe, vt cum quid ad illud conſequendum, quod alioquin eis allubeſcit, vtile eſſe audiunt, clauſis oculis, omniq; impetu illuc ferantur: prudentis Politici eſt prouidere, ne quid ex doctrinâ ſuâ, quamuis verâ, homines tam corrupti & ad nequitiam proni detrimenti capiant.

Verum dicit non ſolius.

Nam ſine controuerſiâ, omnis Politici diſputatio non alio conſilio veritatem exponit, quàm vt multum inde vtilitatis ad alios redeat. Vt enim prædixi, Politicæ artis finis eſt publica felicitas. A publicâ verò felicitate alieniſſimum videtur ea præcipere, quæ neque eorum, qui imperant gloriæ, neque ſubiectorum vtilitatibus conducant: quod ij facere exiſtimantur, qui Tyrannidis condendæ & conſeruandæ vias ac modos ſubtiliter exſequuntur. Nam neque felix eſſe poteſt, qui Tyrannidem tenet (quippe qui vi, aut dolo vtatur, & in perpetuo metu viuere neceſſe habeat) neque qui ſub Tyrannide viuunt, cum vix vnquam eis deſit, quod doleant aut formident.

§. II.

VINDICIAE. Imprudenter accuſari eos, qui prudentia Methodum obſeruant; neque eam Methodo artis repugnare.

Sibi repugnat Scioppius.

SIbi ipſi repugnat Scioppius, cum vera dicit, falſis aſſuetus. Nam ſi prudentiæ Methodus exigit, vt Politicus Pſeudopolitiæ deformitatem ac turpitudinem deſcribat: ergo imprudenter eos accuſat, qui

eam

Digitized by Google

eam Methodum obſeruant, & imprudenter illos excuſat, qui eandem violant.

Falſum deinde eſt Methodum artis repugnare, Methodo Prudentiæ, & veram artis doctrinam hominibus detrimentum afferre; vt ſentit Scioppius, aſſerens Methodum Prudentiæ exigere, vt turpitudo Pſeudopolitiæ deſcribatur, quod tamen repugnare Methodo artis ſupra contenderat. Bona eſt omnis ars, & rectæ rationi congrua, niſi abuſu vitietur, non ergo repugnat artis Methodus, vtilitati hominum, cuius cauſſâ artes repertæ ſunt, & quam ſpectat Prudentia. Id fatendum eſt, ſi vitia & corruptelæ artis doceantur, pro veris artificijs, non oſtensâ earum turpitudine & aberratione à regulis artis: plurimum illud obeſſe, eoq; magis, quo plures illecebras ars habet: veluti Politica imperium, gloriam, opes, quibus homines corrupti, & ad nequitiam proni facilè abutuntur.

Artis Methodus innoxia.

Sed talis tractatio non minùs Methodo artis, quam prudentiæ repugnat, & propria eſt Methodo fallendi. Ex quâ Scioppius illud etiam protulit, *Prudentiæ non tam veritatem, quàm vtilitatem eſſe propoſitam.* Nam etſi Prudentia in rebus agendis

gendis frequentius bonâ fide ac ratione probabili, quam exploratâ veritate nitatur, nunquam tamen ſciens fallit aut falſum dicit; neque artium regulis certis & infallibilibus quidquam detrahi patitur, aut falſum admiſceri. Hoc ſolum ſibi ſumit, vt non quaſuis artes quibuſuis tradat aut permittat, quia vel capaces earum non ſunt, vel ijs abutuntur, vt ſupra quoque diximus.

Subtilitas Pſeudopolitica.

Quod denique de publicâ felicitate addit *alieniſſimum ab eâ videri Tyrannidis, aut alterius Pſeudopoli ia condendæ & conſeruandæ rationes ac vias ſubtiliter exequi*, veriſſimum eſt de eâ ſubtilitate, quâ Macchiauellus alijque Pſeudopolitici vtuntur, cum ſine vllâ honeſtatis curâ, aut turpitudinis reprehenſione iſta tractant. Sed quâ ſubtilitate Scioppius hos felicitatis publicæ hoſtes defendat audiamus, etſi nihil ſolidum & conſtans ab eo ſperare poſſimus, qui felicitatem Politicam, cum ijs quos defendit, in externis ſolùm bonis conſtituit: ijs bonis excluſis, quæ ſola veram felicitatem afferunt, & ſine quibus omnis alia felicitas infelix eſt.

§. III.

§. III.

SVPPETIAE. Tyrannidis explicationem eius impediendæ & emendandæ vim habere; non eſſe lubricam vitio ſcriptoris, ſed lectoris, ſi modus loquendi apertè vel occultè ſit hypotheticus, non abſolutus; aut ſi Scriptor alicubi turpem & fugiendam dixerit; vel intentionem generalem bonam eſſe appareat; ſic Ariſtotelem & S. Thomam docere ſimulationem, periuria, crudelitatem; nec aliter excuſari poſſe.

SI tamen verum quærimus, ac ſubtilius rem totã limamus, longè ratio eos fugit, qui diſputationẽ de Tyrannidis conſeruandæ modis neque ad Tyrannidis, neque ad ſubiectorũ vtilitatem quicquam momenti facere perſuaſum habent. Cum enim duos Politici modos tradant, quibus imperium conſeruare Tyrannus poſſit, quorum priorem D. Thomas *Intenſionem* vocat, cum videlicet Tyrannis intenditur & augetur, ità vt nihil ſæuitiæ & aſperitatis in eâ fiat reliquum; alterum *Remiſsionem*, cum remittitur, & humanitate clementiáq; mitigatur: neutrius modi tractatio ſingulari fructu publico caret. Nam prioris modi tractatio Tyrannidem impedit, alterius verò emendat, & tolerabiliorem reddit Nec enim eſt dubium impediendæ Tyrannidis vim habere, quicquid non modò nihil Tyranno ſuppeditat, quod ei ad votorum ſummam ſit vſui: ſed alijs etiam ſimul cum Tyrannidis odio, notitiam artium Tyrannicarum inſtillat, vt in ſeruitutem à Tyranno redigi, nec velint, nec facilè poſſint.

Tyrannidis conſeruanda modos, rectè tradere expedit.

Duplex modus.

Intenſio Tyrannidis pertinet ad impediendum.

Ta-

Talia porro ſunt, quæ Politici de augendâ, ſiue intendendâ Tyrannide præcipiunt: nam partim vim, ſiue crudelitatem, partim Fraudem & perfidiam præmonſtrant, nullo cuiusquam Tyranni vſu. Nam qui Tyrannidem concupiſcit, ei ſuâ ſponte nemine monente eadem in mentem veniunt; cuius rei argumento eſt, quod pleriq; Tyrannorum fuere à literis remotiſſimi, neque eos Politicorum lectio, ſed improba regnandi libido modos edocuit, quibus Tyrannidem conſequerentur, ſiue retinerent. Atque haud ſcio, an vel indoctiſſimus maximeq; Barbarus Tyrannus, ipſi etiam Ariſtoteli, Politicorum ſine controuerſiâ Principi, eam in rem præcepta dictare poſſit. Hoc quidem planum eſt, Philoſophos Politicos obſeruatis, quas vel viderant ipſi, vel legendo audiendóue cognouerant, Tyrannorum actionibus, ſuas de Tyrannidis tuendæ modis regulas confeciſſe..

Remiſſio vero ad emendandum.

Iam eum, qui remittendæ, ſiue emendandæ Tyrannidis viam præmonſtrat, perſpicuum eſt bene quidem in rem Tyrañi conſulere, ſed multo magis ſubiectorum vtilitatem procurare. Si enim Tyrannus non palàm ſit improbus, ſed ſtudio habeat diſſimulare ſua vitia, virtutes autem ſimulare, & ad boni Principis ſimilitudinem quàm proximè accedere, minus eum contemni, minuſq; odio habere continget: quanto autem minùs contemnitur, minuſq; exoſus eſt Princeps, tanto ſtabilius ac ſecurius eſt eius imperium, cum odium & contemptus Principes imperiorum euertendorum cauſſæ ſint.

Subditorum porro longè tolerabilior eſt conditio, ſi pareant Principi, qui caueat videri improbus,

probus, ſtudeat autem videri bonus, quàm ſi ſub eius ditione ſint, qui ſe ſceleratum exiſtimari nihili faciat. Sic apparet, ne à prudentiæ quidē Methodo, alienam in Politicis iudicari poſſe præceptionem de modis, quibus Tyrannis, ſimiliter autem & reliquæ vitioſæ Rerumpublicarum formæ conſeruari poſſint, cum tantum inde vtilitatis humano generi oſtendatur.

Cautela ſalutaris, ſed à Pſeudopoliticis neglecta.

Nihilominus repræhenſioni locum eſſe fateor, ſi non cauit Politicus, ne Oratio ſua eſſet Lubrica, hoc eſt eius notæ, vt ex eâ facilis in errorem, aut falſam opinionem lapſus ſit, ac iudicium de faciendis fugiendiſque deprauetur. Nam à Deo maledictus eſt, *qui ponit offendiculum cæco:* multò igitur magis, qui præceptis ſuis efficit, vt homines imperiti in errorem incidant, ſeq; rectè facere ac laudem mereri cenſeant: ſi modis illis vtantur, quibus Tyrannidem cæteraſq; vitioſas imperiorum formas ſtabiliri audiunt.

Eorum præcepta lubrica ſunt vitio ſcriptoris.

Verùm diſtinguere oportet Lubrica vitio ſcriptoris, ab ijs quæ culpâ lectoris ſunt lubrica. Vſu enim venire poteſt, vt quæ Politicus dextra præbet, ſiniſtra lector accipiat, & ex bene dictis corruptelam hauriat, quoniam videlicet aut oſcitat, aliaſq; res agit, nec condignam tantis rebus diligentiam adhibet: aut ad Politicam acroaſin malitiam, inprimiſq; regnandi libidinem domo ſecum attulit, ſtatimq; ea arripit, quæ cupiditati ſuæ habenas laxare exiſtimat.

Maligna eorum deſenſio.

Sed propter huius generis lubrica nullo iure Politicus, repræhenditur, cum neque ſpiritus Sancti doctrina, ſacrarum volumine literarum

com-

Digitized by Google

comprehenſa, non poſſit ab ijs, qui iam animo corrupti ſunt, ad comprobandas impias ſententias torqueri. Teſtatur hoc S. Petrus in verbis iſtis: *Frater noſte. Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit epiſtolas, in quibus ſunt quadam difficila intellectu, qua indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cateras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur cuſtodite, ne inſipientium errore traducti, excidatis à propriâ firmitate.* Si quis iam S. Paulum repræhenderet, quod cum eſſet *debitor factus non ſolùm ſapientibus, ſed etiam inſipientibus*, non ità ſcripſerit, vt ne inſipientes in verbis eius intelligendis errare, & alios minus cautos in erroris ſocietatem abducere poſſent: ei rectè reſponderetur, S. Paulum ſatis cauiſſe corruptelam, & inſipientibus conſuluiſſe, cum digitum illuc eis intendit, vnde veram verborum ſuorum ſententiam diſcere queant, nimirum ad Eccleſiam, eiuſq; legitimos paſtores & doctores.

Verba S. Petri non integrè relata.

Nam 1. Tim. 4. Eccleſiam vocat *domum Dei, columnam & firmamentum veritatis*, & Epheſ. 4. docet, *Chriſtum ab aſcenſu ſuo in cælum, vſque ad conſummationem dare Eccleſia ſua paſtores & doctores in opus miniſterii, vt ne ſimus paruuli, qui circumferamur omni vento doctrina.* Si quis ergo iam ſuo more & modo Pauli verba intelligere, neque veram eorum ſententiam ab Eccleſiæ paſtoribus & doctoribus diſcere velit, labetur ille quidem in errorem, ſed ſuâ non Pauli culpâ. Non enim Paulus offendiculum cæco poſuit, cum obſcurius ſcripſit, ſed ſuperbi iſti de induſtriâ oculos clauſerunt, ne videant. Suopte

Nec S. Pauli.

igitur

Digitized by Google

igitur vitio labuntur: neque lubrica ſunt Pauli verba, ſed ipſi ſuperbi.

Similiter nec Politicum officio defuiſſe exiſtimandum eſt, ſi homines ſuopte ingenio improbi ex doctrinâ Rationis arti, præcipueque Methodi legibus conſentaneâ, corruptelam hauriunt: modo ipſe quod in ſe eſt fecerit, ac ne quis niſi volens & ſciens, doctrinâ ſuâ deprauari poſſit, ſedulò cauerit.

Cautionis autem duo ſumma ſunt genera. Vnum eſt loquendi modus non abſolutus, ſimplex aut Categoricus, ſed hypotheticus, ſiue cum exceptione aut conditione, v. g. *Duplex Cautio, Vna modus loquendi hypotheticus.*

Tyrannus, ſi quouis modo imperium retinere velit, debet interficere Sapientes, & magnoanimo præditos.

Tyrannus ſtatum ſuũ conſeruat ſimulandâ religione, caſtitate, aliiſque virtutibus, diſſimulandâ autem impietate, cæteriſq; vitijs.

Bonum eſt ad conſeruandum Tyrannidem alere factiones & diſſidia inter ciues.

Malè ſiue imprudenter facit Tyrannus, qui non interficit homines nobiles & locupletes, quibus inuiſum eſt eius imperium.

Iſta præcepta omnia ſunt hypothetica, & conditionem hanc, ſiue apertam, ſiue occultam habent: *ſi velit retinere*, ſeu *conſeruare Tyrannidem*. Si quis jam eas pro Categoricis habeat, & rectè ſe facere ſtatuat occidendis ſapientibus, magnanimis, locupletibus & nobilibus, ſimulandâ religione, alijſque virtutibus, alendis denique factionibus, nempe culpâ vacat Politicus, qui modo loquendi hypothetico ſatis ca-

Digitized by Google

uit, ne quis niſi ſciens prudens ex verbis eius in errorem præcipitari poſſet.

Altera Cautio, ſententiæ explicatio.

Alterum Cautionis genus eſt ſuæ ſententiæ explanatio, ſi nimirum ea præſtitit Politicus, ex quibus, quid reuera de bene ſecuſué factis judicârit, homini non oſcitanter legenti obſcurum eſſe nequeat. Talis autem explanatio eſt vel directa & apertior, vel obliqua & occultior.

Directa.

Directa fit aut hoc agendo, ſiue ex profeſſo: videlicet Adiunctis Tyrannidis declarandis, id eſt, fatendo eam eſſe turpem, injuſtã, & velis remiſque fugiendam: aut aliud agendo, id eſt, explicandis cauſſis & effectis Tyrannidis, ex quibus eam turpem & fugiendam eſſe quiuis ſtatim agnoſcat.

Cauſſæ porro Tyrannidis ſunt vis & fraus, belluâ, non homine digna. Nam vis Leonis eſt, fraus vulpeculæ, ſicut jus hominis, Effecta verò ſunt infamia perpetua, odium populare, eiuſque comes metus aſſiduus & ſolicitudo. Si ergo dicat Politicus, Tyrannum eſſe ſemihominem, & ſemibelluam, ex Leone puta & Vulpe compoſitum: & viuere in perpetuo metu, ac poſt obitum æternam ei paratam eſſe infamiã, cenſendus eſt clarè ſatis fateri, turpem eſſe Tyrannidem, meritoque fugiendam.

Indirecta.

Obliquè ſententiam ſuam explanat Politicus, ſi promptum habeat ſuum conſilium, ſiue propoſitum aut intentionem, ita vt conijcere facilè ſit, quod eius fuerit in præcipiendo conſilium, ſiue quid eum, vt iſta doceret, impulerit. Huiuſmodi verò Intentio aut Generalis eſt, aut ſpecialis. Generalis eſt operis totius ſcopus,

ſiue

ſiue id, quod opere toto ſcriptor ſpectauit. Hoc ſi honeſtum eſſe & ad vtilitatem humani generis dirigi apparet, non eſt vllo modo credibile, ſcriptorem ea tradere voluiſſe, quæ judicium Principis de rectè ac malè factis deprauare queant, quod nihil eâ re ſit turpius ac magis vtilitati publicæ repugnet.

Sic apparet generalem operis intentionem, eſſe velut normam aut regulam, ad quam ſpecialis intentio debeat examinari: ità, vt qui explorato ſcire velit, quæ ſcriptoris in hoc aut illo loco fuerit ſententia, ad totius operis propoſitum reſpicere debeat. Illi enim conſentire debet, quicquid quâcunque operis eiuſdem parte ſcriptum eſt. Atque hoc examen tum vel maximè requirit diligentiam, ſi ſcriptor ſibi metum aliquem obſtare præ ſe tulit, quo minus promptum haberet, quod ſentiebat. *Intentio generalis norma intentionis ſpecialis.*

Verbi gratiâ. Conatus ſcriptoris eſt certum aliquem Tyrannum patriæ infeſtum deſcribere, eoque pacto partim populare odium in eum commouere, partim artes eius detegere, quod eſt Tyrannidem eius impedire. Hoc autem periculo nequaquam vacare intelligit. Ad hunc igitur modum de Tyrannide diſputat, vt exiſtimari poſſit Tyranni vtilitatibus ſeruire velle, cum ei tuendi imperij rationes præmonſtrat. Alicubi tamen ſibi, quo minus ſententiam ſuam dicat apertius, periculi metum obſtare ſignificat. Hic oportet nos ad id reſpicere, quod opere toto fuit ei propoſitum, & ſpecialis huius intentionis rectitudinem ex generali conijcere. Nam niſi hoc faciamus, nullo modo ne illi quidem à juſtiſſimâ repræhenſione abfuerint, quos *Offucia mera.*

Digitized by Google

Politicam rectiſſimè ac ſine omni vitio docuiſſe, non temerè quiſquam negauerit. Non longè abiero.

Iniuria in Ariſtotelem & S. Thom. quod ſtatus conſeruandi cauſſâ, doceant ſimulare & peierare.

Ariſtoteles 5. Politic. c. 9. & D. Thomas in eius capitis explanatione, extremâ lectione ſeptimâ, vbi Oligarchiæ conſeruandæ modos præcipiunt (id eſt, eius ſtatus, vbi pauci nobilitate & opibus excellentes ex ſuâ libidine, ſuæque vtilitatis cauſsâ dominantur) ſophiſmate Politico Oligarchas vti, ac ſtatus, conſeruandi cauſsâ, beneuolentiam erga plebeios ſimulare, eique ſimulationi jurejurando ſolenni fidem facere docent. Ariſtotelis verba ſunt:

Oportet Oligarchas videri ſemper plebis cauſſam defendere, & aliter iurare, quam nunc ſolent. Nunc enim in quibuſdam Oligarchiis cum ad imperium admittuntur, ità iurant: ero plebi inimicus, & quicquid mali potero, faciam. Atqui oportet eos præſeferre ac ſimulare contrariũ, ità conceptis verbis iurantes: Plebem non afficiam iniuriâ. D. Thomæ, quæ ſequuntur.

Si debeat ſaluari paucorum potentia, oportet eam videri facere pro populo, & facere OPORTET iuramenta contraria iis, quæ faciunt. Conſueuerunt enim Oligarchæ, cum in principatu inſtituuntur, iurando dicere: Iuro, quod populum odio habebo, & conſilio annitar, vt malè habeat. Hoc autem non eſt faciendum, ſed oportet opinari contrarium eſſe faciendum, & inſinuare in iuramento oportet, quod Oligarchæ non facient iniuriam populo.

Rectè excuſantur iſti,

Si quis nunc Ariſtoteli ac D. Thomæ inuidiam hinc facere conetur, quod ſtatus causâ ſimula-

mulationem ac periurium doceant, nempe ijs, quas modò expoſui rationibus, omni eos culpâ vacare demonſtrabitur. Primùm nihil contrà docuerunt, quàm artis ac doctrinæ Methodus poſtulet: nam nec falſum, nec genere aut loco alienum eſt, quod hìc præcipiunt. Deinde etiam Prudentiæ Methodo paruerunt, cum ſatis cauerunt, ne quis niſi aut valde oſcitans, aut ab ingenio improbus, hâc eorum doctrinâ deprauari poſſit. *ſed non Pſeudopolitici.*

Primùm enim modus loquendi non abſolutus eſt, aut Categoricus, ſed cum conditione, apud D. Thomam apertiſſimâ, apud Ariſtotelem ſatis ſignificatâ: *Si debeat ſaluari Oligarchia, oportet beneuolentiam erga plebem ſimulare ac peierare.* Siue, quod eandem vim habet: *Simulatio beneuolentia erga plebem, iureiurando confirmata, eſt cauſa conſeruans ſtatus paucorum.* Atque hoc loco oportunè Lectorem velim monitum, vt quandocunque effecti alicuius cauſa traditur, conditionem ineſſe meminerit. Si enim dicam, *Ortus ſolis dies cauſſa eſt, peccatum mortis,* non aliud audis, quam hypotheſes iſtas, *ſi ortus eſt ſol, dies eſt: ſi peccaſti, morieris.* Quoties igitur Politici cauſas, ſiue modos tradunt conſeruandi ſtatus, ſeu boni, ſeu vitioſi, toties hypotheticè loqui cenſendi ſunt. *Monitum friuolum.*

Præterea ſuam Ariſtoteles & D. Thomas ſententiam de Oligarchæ ſimulatione, ac periurio ſatis explanârunt, ità vt ſi quis non oſcitanter eos legat, nec ſuâ ſponte corruptus ſit, nullum ei ex hoc præcepto corruptelæ impendeat periculum. Nam inter vitioſas Reipubli-

Digitized by Google

cæ formas & iniuſtas Oligarchiam numerant, & Tyrannidi proximam faciunt, quo ipſo turpem ac fugiendam eſſe docent.

Si quis contradicat hoc ſaltem loco nihil de Oligarchiæ iniuſtitiâ, ac turpitudine ab eis aſſerri, adeoq́ue lubricam eorum eſſe doctrinam: ei reſpondebitur, non modò Artis, ſed neque Prudentiæ Methodum ea, quæ loco aliena ſunt, tolerare. Nam quiduis quocunque loco dicere confuſionem parit, idem verò ſæpius iterare tædium. Politicus etiam, cum hominum minus acriter intelligentium vtilitati præcipuè conſulit, alio loco de adiunctis, alio rurſum de cauſis conſeruantibus Oligarchiæ, & Tyrannidis loquitur, eâque in re Methodi leges cuſtodit, ne quod prius dicendum erat, dicat poſterius, aut vice versâ: nec ſæpius eadem dicendo, lectoribus ſit faſtidio. Cum igitur alio loco Ariſtoteles & D. Thomas adiuncta Oligarchiæ perſpicuè tradiderint, hoc loco, quo cauſas, ſiue modos eiuſdem conſeruandæ exſequuntur, eadem iterare minimè debuerunt.

Perſpicuum eſt Scioppiũ fallere.

Ex quo perſpicuum fit, quod ſuprà me demonſtraturum receperam, imperitos illos & iniquos Politicorum Ariſtarchos contra Logicæ artis leges, non modo, quæ Genere, ſed etiam quæ loco aliena ſunt, à Politicis tractari velle.

Defenſio innocentũ, non prodeſt nocentibus.

Quod ſi quis hoc amplius generalem & ſpecialem Ariſtotelis & D. Thomæ intentionem inſpiciat, id eſt, ſi conſideret, quid eis, cum in toto opere Politico, tum verò in hac ipſâ eius parte, quâ ſimulationem & periurium præſcribunt,

bunt, fuerit propoſitum: nihil eos, quod ipſorum potius, quàm lectorum vitio lubricum, aut deprauando de faciendis fugiendiſque judicio idoneum exiſtimari debeat, præcepiſſe depræhendit. Nam quod operis totius propoſitum attinet, eos Methodi lege de omnibus Reipublicæ formis, earumque conſeruandi rationibus præcipere debuiſſe comperit, etiam de vitioſis ac deprauatis, quas non niſi vitioſis modis conſeruari poſſe, ſponte ſuâ quiuis ſanus intelligit.

Sin autem conſilium ipſorum expendat, quod in hâc operis parte ſecuti ſunt, eis vtilia ad conſeruandam Oligarchiam, nullâ honeſtatis ratione habitâ, præcipere propoſitum fuiſſe animaduertit. Atqui eam ad rem vtile eſt ſimulare & falſum iurare, quod nemo niſi prorſus rerum imperitiſſimus negauerit. Meritò igitur hunc quoque conſeruandæ Oligarchiæ modum præſcripſerunt. Non aliâ ratione patrocinium ijs commodari queat, quę idem Ariſtoteles & D. Thomas Tyranno Imperium conſeruare cupienti 5. Politic. 11. præcipiunt, quorum alia ſæuitiæ & immanitatis habent plurimùm, alia fraudibus & ſimulatione, ac diſſimulatione ferè abſoluuntur. De priore genere hæc D. Thomæ lectione XI. verba ſunt.

Improba fallacia.

Ad ſaluationem Tyrannidis expedit excellentes in potentiâ, vel diuitiis interficere, quia tales per potentiam, quàm habent, poſſunt inſurgere contra Tyrannum. Iterum expedit interficere ſapientes. Tales enim per ſapientiam ſuam poſſunt inuenire vias ad expellendam Tyrannidem. Nec ſcholas, nec alias congregationes, per quas

Hæc S. Thomas more à Pſeudopoliticorum nō probat, nec licita putat.

 conti-

contingit vacare circa ſapientiam, permittendũ eſt. Sapientes enim ad magna inclinantur, & ideo magnanimi ſunt, & tales de facili inſurgunt. Ad ſaluandam Tyrannidem oportet, quod Tyrannus procuret, vt ſubditi imponant ſibi inuicem crimina, & turbent ſeipſos, vt amicus amicum, & populus contra diuites, & diuites inter ſe diſſentiant. Sic enim minus poterunt inſurgere, propter eorum diuiſionem. Oportet etiam ſubditos facere pauperes. Sic enim minus poterunt inſurgere contra Tyrannum. Procuranda ſunt vectigalia, hoc eſt exactiones multa, & magna. Sic enim citò poterunt, depauperari ſubditi. Tyrannus debet procurare bella inter ſubditos, vel etiam ad extraneos, ità vt non poſſint vacare ad aliquid tractandum contra Tyrannum. Regnũ ſaluatur per amicos. Tyrannus autẽ ad ſaluandã Tyrannidẽ nõ debet confidere in amicis.

Ariſtoteles & S. Thomas vitia oſtendunt, non docent.

Ad poſteriorem modum hæc Ariſtotelis eodem cap. verba pertinent: *Tyrannus videri debet ſupplicia quidem, animo paterno conſtituere, non per contemptum; adoleſcentum vero congreſſibus vti ex cauſſâ amoris, non ex imperio ac poteſtate.* Hoc eſt pueris & adoleſcentibus ad nefariam libidinem ità vti debet, vt illi id eum amoris, non contumeliæ causâ, nec pro imperij licentiâ facere exiſtiment.

Et hæc D. Thomæ Lectione XII. *Expedit Tyranno ad ſaluandam Tyrannidem, quod non appareat ſubditis ſæuus ſeu crudelis; nam ſi appareat ſæuus, reddit ſe odioſum. Ex hoc autem faciliùs inſurgunt in eum, ſed debet ſe reddere reuerendum propter excellentiam alicuius boni excellentis. Reuerentia enim debetur bono excellenti.*

lenti. Et ſi non habeat illud bonum excellens, DEBET SIMVLARE *ſe habere illud. Tyrannus debet ſe reddere talem, vt videatur ſubditis ipſum excellere in aliquo bono excellenti, in quo ipſi deficiunt, ex quo eum revereantur. Si non habeat virtutes ſecundùm veritatem, faciat vt opinentur ipſum habere eas. Tyrannus debet aut moderatus eſſe circa voluptates aut delectationes corporales; aut ſi non ſit, tamen ſe debet talem exhibere, vt videatur fugere eas, &c.*

Iſta ſi quis eâ diligentiâ, & integritate legat, quæ virum bonum, & politica diſcere paratum decet, nullum omnino periculum eſt, ne in errorem labatur, aut quicquam horum, quæ præcipiuntur, ſibi faciendum putet. Nam primùm ſatis cauent modo loquendi hypothetico, velut paulò priùs oſtendi; nec enim aliud dicunt, quàm ſi quis velit ſeruare Tyrannidem, debet aut vſque eò ſæuitiâ in ſubditos graſſari, vt vltra nequeat, aut virtutibus ſimulandis, & diſſimulandis vitijs, bono Principi ſimilis effici. Dein ſuâ ipſi ſententiâ ſic varijs modis explanant, vt niſi quis legendi laborem fugiat, aut alioquin animo ægrotet, ſit extra omne deprauationis periculũ. Primum enim 5. Politic. 10. Tyrannidẽ ſubiectis populis pernicioſiſſimã eſſe hoc probant argumẽto, quoniam ex peſſimo tã Oligarchiæ, quàm Democratiæ genere ſit conflata, & vtriuſque vitia ac mala in ſe contineat. Et 4. Politic. 2. hoc afferunt argumentum, quoniam optimæ ac diuiniſſimæ Reipublicæ formæ, regno puta, maximè aduerſetur. D. Thomas præterea hoc ipſo capite ſuam & Ariſtotelis mentem totidem verbis interpretatur:

Nullum ab illis periculum.

Aliâ mens & ſententia eſt Pſeudopoliticorum.

Iſta & ſimilia ſunt Tyrannica, & ſaluant principatum. Sunt mala ſecundùm ſeipſa, bona tamen ad ſaluationem Tyrannidis. Non ſunt facienda ſimpliciter homini; ſed ei qui voluerit ſaluare Tyrannidem, quæ ſecundùm ſe mala eſt. Et iterum: *Quamuis hoc* (præceptum de ſimulandâ virtute, quam non hâbet) *non ſit in ſe bonum, ad hoc tamen bonum eſt, vt Tyrannus non ſit facilè contemptibilis.* His ſatis perſpicuè docet, iſtam conſeruandæ Tyrannidis rationem abſolutè ac per ſe malam, ſed certo quodam reſpectu bonam; hoc eſt vtilem, non honeſtam eſſe.

[illegible]

Itaque ſi quis iam Princeps his D. Thomæ verbis ad nequitiam abducatur, aut deprauetur, non eò contingere id dicendum eſt, quod Thomæ verba ſint lubrica ac legentibus periculoſa; ſed quoniam talis Princeps animum ad impietatem, voluptates, fraudes ac dolos propenſum, domo ſecum ad lectionem attulerit; & Honeſtate olim valere iuſsâ, ad ea modò, quæ vtilia videntur, toto animi impetu feratur.

Adhæc Generalem Ariſtotelis & D. Thomæ in toto libro Politico intentionem eſſe apparet, vt Methodi legibus obſecuti, Rempublicam & omnes eius formas, ſuis cauſis efficientibus, conſeruantibus & euertentibus explicent. Cui propoſito conueniens eſt etiam de Tyrannide diſputare, quibuſq; ea modis durabilis præſtari ſeu conſeruari debeat, præcipere. Specialis verò intentio eſt, tradendis Tyranno vtilibus, vel impedire Tyrannidem, vel emendare & tolerabiliorem reddere; quorum vtrum-

que

Digitized by Google

que cum ſit ex vſu generis humani, non modo nihil eos contra Artem, ſed neque contra prudentiam feciſſe, ac propterea ſine perſpicuá imperitiâ & iniquitate repræhendi nequaquam poſſe, ſatis iam omnibus patere arbitror.

§. IV.

VINDICIAE. Nullam eſſe Ariſtotelis & S. Thomæ conuentionem cum Pſeudopoliticis; neque eos, præcipuè Macchiauellum, vllá ratione defendi poſſe.

Cauſſa perorata eſt; ſed non ità, vt æquus iudex reum poſſit abſoluere. Defendit Scioppius hâc prolixâ fallaciq́ue Apologiâ eos, quos accuſare nemini bono in mentem venit, & quibus aduocato tali opus non eſt. S.Paulus, S.Thomas, Ariſtoteles hiſce argumentis rectè defenduntur, non item Macchiauellus, alijq́ue Politicæ corruptores. Nihil illi vitio ſuo lubricum ſcripſerunt; ſi quæ talia Lectoribus videntur, lubrica faciunt, non inueniunt. Apud hos contrà nihil ſincerum, nihil ſanum, nihil omni ex parte ſolidum eſt: pleraq; aut præcipua fraudibus & erroribus ſcatent, ac in fraudem & errorem inducunt bonas etiam mentes. *Defendit Scioppius eos, quos nemo accuſat.*

Nullæ conditiones aut hypotheſes, nullæ explanationes ſeu directæ, ſeu obliquæ aut verius curuæ, nulla Generalis aut Specialis *Nihil id iuuat Macchiauellum.*

cialis intentio Macchiauellum excuſare potest. Finem enim totius Politicæ excluſâ virtute deprauat, media abſolutè mala præſcribit, in veram Religionem grauiter iniurius eſt, Principatus & Principes multis modis iniurios & infames laudat, bonam Politiam veluti fictitiam ſuggillat, & omnia probitatis fundamenta aut apertè, aut per cuniculos conuellit.

Hæc infra ex ipſius verbis & ſententijs, vbi perſpicua fecero, nullam eſſe *participationem iuſtitiæ cum iniquitate*, nullam *ſocietatem luci veræ ſapientiæ ad tenebras* Pſeudopolitiæ, *nullam conuentionem Chriſti*, eiusq; Apoſtoli *ad Belial*, nullam *partem fideli* & Angelico Doctori *cum infideli*, aut malè Chriſtiano Macchiauello, iudex non iniquus ſine ambiguitate pronuntiabit; ſimulq; Scioppium damnabit, quod Satanam in Angelum lucis transformare conatus fuerit. Sed nunc, quæ in ipsâ defenſionis huius tractatione peccet, videamus.

§. V.

Ex Tyrannidis etiam legitimâ tractatione, Tyrannos plus peritia referre.

I. ASſerit, quę ad Tyrannidē intendendam pertinent, *nullo cuiuſquam Tyran-*

Tyranni vſu à Politicis tractari, cum eis ſuâ ſponte, nemine monente eadem in mentem veniant. Quâ in re, etſi verum ſit Politicos obſeruatis Tyrannorum actionibus, ſuas de Tyrannidis tuendæ modis regulas confeciſſe, prout omnes artes ex obſeruatione & experientiâ prodierunt: nihil tamen Tyrannos ex eiuſmodi, quantumuis legitimâ tractatione, maioris peritiæ referre falſum eſt.

Artis enim obſeruationes, ex plurimorum hominum factis inter ſe collatis, & longo ſeculorum vſu deſumptæ ac perfectæ ſunt: fieri ergo non poteſt, vni homini omnia ea in mentem pauculis annis venire, quæ tot ætatibus innumeri alij excogitârunt, egerunt, obſeruârunt. Quare dubium non eſt Tyrannum ex vitijs ac erroribus Politiæ, accuratè ſecundum Methodum artis explicatis nequitiam acuere poſſe, ſuâ, non artis aut tractatoris culpâ. *Politica Tyrannos facit peritiores.*

§. VI.

Odium & contemptum non eſſe Principes imperiorum euertendi cauſſas.

II. Falſum eſt odium & contemptum eſſe Principes imperiorum euertendi cauſſas, quod idem docet Macchiauellus

uellus cap. 19. Principis, cenſens Principem, *ſi hæc duo declinauerit, partes ſuas planè abſoluiſſe*, quaſi in his duobus vniuerſa Politicorum *lex pendeat & Propheta*, & non potiùs in Politicâ ad dilectionem Dei & proximorum, ſeu ſubditorum referendâ; quæ duo non minus Principibus, quàm alijs hominibus Chriſtus præſcripſit. Odium & contemptum eſſe plerumq;, cauſſas proximas perdendi imperiũ nõ negauerim; ſed ex alijs cauſſis principalibus eæ oriuntur, vitijs inquam & peccatis, quę tum ſuâpte naturâ, tum iuſto Dei iudicio, Principes exoſos & contemptos faciunt, iuxta illud Iob. 12. v. 21. *Effundit deſpectionem ſuper Principes, eos qui oppreſſi ab eis fuerant, releuans.*

Odium & contemptus, plerumque cauſſa proxima.

§. VII.

Verba S. Petri, & S. Pauli, non integrè à Scioppio referri, & malè patrocinium Macchiauello inde quæri.

III. VErba ex 1. S. Petri 3. v. 15. & 16. non ex fide refert, ita enim habent: *Frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit* VOBIS, SICVT ET IN OMNIBVS EPISTOLIS, LOQVENS IN EIS DE HIS, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depra-*

depravant, *ſicut & cæteras ſcripturas*, *ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur* Fratres Præscientes *cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propriâ firmitate.* Falſo ergo dicit ſe afferre verba S. Petri, cum aliquid in ijs mutârit, aliqua omiſerit.

S. Paulus appellat Eccleſiam *Domum Dei*, *columnam & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. non 4. vti Scioppius citat. Qui verba quoque, & ſenſum eiuſdem Apoſtoli ex cap. 4. ad Epheſ. v. 10. 11. 12. 13. 14. non integrè refert, vt Lector facilè aduertet; merito tumultuariam arrogantiam damnaturus & multò magis audaciam, quâ auſus eſt ex S. Pauli Epiſtolis patrocinium quærere Macchiauello: non difficilia intellectu, ſed palàm impia & ſacrilega ſcribenti, & quam parui Eccleſiam fecerit, doctrinâ S. Paulo, veræq; Religioni aduersâ, imò & ignominiosâ demonſtranti.

§. VIII.

Scioppium de Tyrannidis turpitudine à Politico declarandâ, ſibi contradicere.

IV. Aſſerit Politicum Directam cautionem adhibere, Adiunctis Tyrannidis declarandis, id eſt, *fatendo eam eſſe*

eſſe turpem, iniuſtam, & velis remiſq; fugiendam:& alio loco de adiunctis, alio rurſus de cauſsis conſeruantibus Oligarchia & Tyrannidis loqui, quod idem fere infra repetit. Sed hæc clarè contradicunt ijs, quæ ſupra operoſâ falſitate diſputauit, de Adiunctis Politiæ, honeſtate inquam & turpitudine: vbi vtriuſq; tractationem ex Politicâ proſcriptam, in Ethicam velut exilium ablegauit. Quod ſi rectè fecit, malè hic id cautionis genus, quo expreſsè Tyrannidis turpitudo deſcribitur, Politico conceſſit: cum deterrere hominum animos à Tyrannide, alienum eſſe à Politicâ, & proprium Ethicæ Parænéticæ ſuprà ſtatuerit.

Hic admittit, quæ ſupra reiecerat.

§. IX.

Vim non belluæ ſolùm, ſed homini quoque conuenire.

V. CAuſſas Tyrannidis duas aſſignat *vim & fraudem, belluâ non homine dignam, nam vim* ait, *Leonis eſſe, fraudem vulpeculæ, ſicut Ius hominis.* Quod ipſum docuit Macchiauellus c. 18. principis, vbi ponit *duo genera decertandi, vnum iure legum, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc bellluarum,* con-

Digitized by Google

confugiendum eſſe monet ad poſterius. ſi non ſatis eſt vti ſuperiori. Fraudem vulpeculæ poſtea ſubiungit, etſi illa quoque initio poni debuerat, & triplex genus decertandi aſſignari, vnum iure legum, alterum per vim, tertium per fraudem.

Sed errat cum Magiſtro diſcipulus, cũ reo aduocatus. Eſt etiam vis homini propria eaq; iuſta, quam leges diuinæ ac humanæ non ſolum permittunt, verum etiam præcipiunt adhiberi, impijs hominibus puniendis & coercendis: qui mala & ipſi patrant, & alijs per nefas inferunt, non enim Princeps *ſine cauſſâ gladium portat*, *Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit.* Rom. 13. v. 4. Falſum ergo eſt, vim vniuerſim belluarum eſſe; eſt enim homini Principibusq; maximè propria, cum mala vindicandi, vel propulſandi officium, aut neceſſitas illam poſtulat. *Vis iuſta homini propria.*

§. X.

Tyrannum, cum ex vulpe & leone compoſitus dicitur, non ideo reprahendi; vtriusq; bellua vſum à Macchiauello neceſſarium & praclarum cenſeri.

VI. NEquiter vulpinatur, in his verbis: *Si dicat Politicus, Tyrannum*

M *eſſe*

eſſe ſemihominem & ſemibelluam, ex leone puta & vulpe compoſitum, & viuere in perpetuo metu, ac poſt obitum æternam ei paratam eſſe infamiam, cenſendus eſt clarè ſatis fateri, Turpem eſſe Tyrannidem, meritóq; fugiendam.

Hominem non vituperat, qui animantibus aliis comparat.

Lego in ſcripturis Sanctis, Prophetæ Ezechieli cap. 1. viſa eſſe quatuor animalia, *quatuor facies vni, hominis, leonis, bouis, aquilæ; quatuor item pennas vni; pedes eorum pedes rectos, & plantam pedis eorum, quaſi plantam pedis vituli fuiſſe.* Lego Chriſtum vocari Leonem de tribu Iuda, agnum Dei, ovem. Lego ipſum monentem: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Scio autem nec viſionem ſimilitudinis gloriæ Domini, quam vidit Ezechiel, fœdam fuiſſe, nec ſpecioſum præ filijs hominum leoni, agno, ovi aſſimilatum turpem eſſe, aut turpe aliquid meritóq; fugiendum præcipere; non ergo argumentum eſt turpitudinis aut repræhenſionis, humanis moribus, animantium naturas adiungere & comparare: niſi qui id agit, vitia hominum vitijs belluarum manifeſtè redarguat, quod non egiſſe Macchiauellum manifeſtum eſt.

Niſi vitia vitiis redarguat, quod nō facit Macchiauellus.

Is enim c. 18. Principis diſertè docet,

Prin-

Principi neceſſarium eſſe vtriuſq; naturæ vſum; cumq; magni referat eum belluinũ ingeniũ ſcitè induere, ei tum vulpis, tum leonis mores aſſumendos eſſe. Cap. 18. aſſerit *Seueri Imperatoris res geſtas præclaras fuiſſe, ſeq; oſtenſurũ, quã pulchrè vulpeculæ perſonam & leonis, in vſum ſuum induerit, eorumq; ingenia, & naturam Principi imitanda ſe exiſtimare.*

Quid tu adhæc Scioppi? An is clarè fatetur, Leonis & vulpis naturam turpem meritòq; fugiendam eſſe, qui eius vſum neceſſarium & præclarum, moreſq; tales Principi aſſumendos eſſe, tam ſeriò contendit? An hinc te euaſurum ſperas, quod Macchiauellus Tyrannidis magiſterium & Tyranni inſtitutionem profiteatur, eóque ipſo, ex genere eam turpem eſſe fateatur? Atqui Tyranni mentionem non facit, & infra patebit, verum bonumq; Principem, veramque Politiam ipſum explicandam ſuſcepiſſe, etſi re ipsâ Tyrannos inſtituat, & Pſeudopolitiam doceat; quod omnibus errorũ fraudumq; Magiſtris ſolenne eſt, vt fumos nempe & venena pro artificijs vendant. *Effugium præcluditur.*

Neque iuuat, quod alicubi Tyrannidem deteſtari, & perpetuo metu ac infamiâ no-

tare videtur, nam totis reliquis libris, tum Tyrannidem tum alias Pſeudopolitias, miris coloribus pictas, & mille fraudibus palliatas, pro legitimâ Politiâ obtrudit. Non rarò tamen laruâ ſeu detractâ, ſeu delapsâ, Tyrannidem apertè ſuadet, vt cum ſæuitiæ nomen parui ducere, aliaq; ſimilia præcipit, quæ infra afferemus. Ex quibus vides Lector, quam malè Scioppius cauſſam malam agat.

§. XI.

Generalis intentionis bonitate, aut metu, errores ſcriptores non excuſari.

VII. Falſum eſt, ſi Generalis operis totius ſcopus honeſtus ſit, exiſtimandum eſſe, illi conſentire, quicquid quâcunque operis eiuſdem parte ſcriptum eſt. Poſſunt enim & ſolent optimis etiam ſcriptoribus errores quidam ſubrepere, quibus etſi bona mens ac intentio veniam apud bonos facilè impetret, non ideo tamen errores approbari aut defendi debent. Si quæ verò ambigua ſunt, non apertè falſa aut mala, illis æquum eſt intentionis ſeu cauſæ bonitatem, ac ſcriptoris præſertim probitatem, eouſq; ſuffragari, vt in meliorem partem dicta ſcriptaque credantur.

Optimi quoque ſcriptores errant.

Ambigua benignè interpretanda.

At-

Digitized by Google

Atqui Macchiauelli neque Generalis intentio honeſta eſt, cum à verò Politicæ fine & legitimis medijs Politicos abducat; neque ſi Generalis intentio proba foret, ſpecialis doctrina ideò illi conſentiret, cum doceat mala ad bonum finem rectè referri, ac inde excuſari; neque ambigua eſt doctrinæ ipſius improbitas, ſed aperta, vt poſtea apparebit. *Macchiauelli intentio Generalis non proba.*

Quod verò Scioppius ſignificat de ſcriptore aliquo mitius pronuntiandum eſſe, *ſi metum ſibi aliquem obſtare præ ſe tulit, quo minus promptum haberet, quod ſentiebat*, in ambiguis ad benigniorem interpretationem valere debet, non ad veniam in ijs, quæ apertè mala aut falſa ſunt; nam vt mala ex metu facienda non ſunt, ità nec ſuadenda, aut docenda. Neque Macchiauellus eiuſmodi timoris ſignificationem de ſe præbet, qui ſi illum timuiſſet, qui *poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*. Matth. 10. v. 28. aut ſiluiſſet, aut gehennæ ſupplicijs digna non ſcripſiſſet. *Metus malam doctrinam non excuſat.*

§. XII.

Ariſtotelis & S. Thomæ Politica, à Scioppio laudari non poſſe, ſed neceſſariò vituperari.

VIII. S. Thomam & Ariſtotelem inter eos quidem refert, *quos Politicam rectiſſimè ac ſine omni vitio docuiſſe, non temere quiſquam negauerit*, ſed ſi conſentire ſecum velit, hoc vel maximè negare cogitur. Nam vitium in Politicis grauiſſimum eſſe ſtatuit, *tranſire de genere in genus*, hoc autem illis impingit, qui in Politicâ tractant de virtutis ac veræ Politiæ honeſtate, de Tyrannidis & cuiuſuis Pſeudopolitiæ turpitudine. Cum ergo Ariſtoteles & S. Thomas Politicam ad virtutem præcipue referant, & de legitimæ Reipublicæ honeſtate, illegitimę improbitate ac turpitudine, ipſo Scioppio fatente diſputent: neceſſe eſt ex eius ſententiâ eorum doctrinam grauiſſimo alieni vitio laborare, & ea, quæ Ethicæ propria ſunt, inuadere.

Ariſtoteles & S. Thomas vitio alieni peccant, iuxta Scioppium.

Adhæc eos à vitio excuſare non poteſt, qui *ſtatus conſeruandi cauſſa docent ſimulare & peierare*, quod Ariſtoteli & S. Thomæ infamis Grammaticus ad marginem ideò imponit, quia 5. Politic. 9. docent Oligarchiam ſimulatione & perjurio conſeruari. Sed dicit, eos modo loquendi hypothetico excuſari, non enim abſolutè id docent ſed cum conditione, *ſi debeat*

beat ſaluari paucorum potentia, vt ait S. Thomas. At enim nemini abſolutè imponi debet illud, quod hypotheticè aſſeruit. Periurij & ſimulationis doctrina abſolutè mala eſt, & diuinis humaniſque legibus contraria, harum præuaricatores facit Scioppius S. Thomam & Ariſtotelem: cum illos hæc docere improbè mentitur.

Non abſolutè aſſerit, qui hypotheticè loquitur.

An Paſchaſius Groſippus æquo animo feret, ſi quis dixerit eum Solæciſmos docere, quia in Grammaticâ ſua varios ſolæciſmorum modos explicat? An Theologum injuſtitiæ, libidinis, hæreſis doctorē appellabimus, quia horum aliorumque ſcelerum naturam, variaſque ea patrandi rationes, accuratè exſequitur? An Logicum Sophiſtam eſſe conuitiabimur, quia varias ſophiſmatum fallacias exponit? An denique Chriſtum ipſum iniquitatis Magiſtrum eſſe blaſphemabimus, quia *Villicum iniquitatis laudauit* Luc. 16. v. 8. quod *filius huius ſæculi, prudentior filiis lucis*, idoneum rebus ſuis remedium adhibuerit?

Solæciſmos explicare, non eſt eos docere.

Hoc ſcilicet eſt ſuppetias ferre Macchiauello, ſcientiarum Principibus: & ipſi adeò rectæ rationi clariſſimæque veritati

belli mouere. Aliud eſt docere vitia, aliud dedocere; aliud præcipere, vt fiant, aliud ea explicare, ne fiant; hoc artis eſt, illud improbitatis. Non ergo docent ſimulare & peierare S. Thomas & Ariſtoteles, ſed dedocent, & abſolutè vetant, quod ex hypotheſi Oligarchiæ neceſſarium, ac vtile eſſe cenſent: quia inter vitioſas fugiendaſq; Reipublicæ formas eam reponunt, ipſo fatente Scioppio, qui Politicæ turpiſſimus leno, immeritò Ariſtarchorum nomen ac culpam, Pſeudopoliticorum æquiſſimis cenſoribus affingit.

§. XIII.

In referendis Ariſtotelis & S. Thomæ verbis Scioppium more ſuo fallacem eſſe.

IX. IN referendis Ariſtotelis & S. Thomæ verbis ex 5. Politic. 9. denuo fallit. Ait eſſe verba illorum, quæ incredibili licentiâ alijs omiſſis, alijs mutatis ità effinxit, vt à verbis Ariſtotelis & S. Thomæ plurimùm diſſentiant, neque ſenſum integrè reddant. Nos ea fideliter adnumerabimus. Cum igitur Ariſtoteles docuiſſet, quædam popularia videri, aut paucorum potentiæ accommodata, quæ popularem Rem-

Rempublicam, aut paucorum potentiam euertunt, eò quod hanc aut illam nimis intendant, ita inquit: *Errant autem & in popularibus Rebuſpublicis, & in paucorum potentiis. In popularibus quidem Rebuſpublicis populi ductores, vbi multitudo domina eſt legum. Duas enim ſemper efficiunt ciuitates, certantes cum diuitibus. At contrà oportet, ſemper videri loqui pro diuitibus; in paucorum autem potentiis pro populo, eos qui paucorum potentiæ ſtudent; & iuramenta contraria, quam nunc, iurare. Nunc equidem in quibuſdam* (paucorum potentijs) *iurant: Ero populo inimicus, & conſulam, quidquid habuero mali. Oportet vero præſeferre verbis & ſimulare contrarium, id ſignificantes in iuramentis: quod plebem non afficiam iniuriâ.* *Verba Ariſtotelis.*

Sancti Thomæ verba hæc ſunt: *Peccant ductores populi in ſtatu populari, ſiue in quo tota multitudo, velut monarchia quâdam dominatur; non ſecundùm legem. Ductores enim pugnantes contra diuites, diuidunt ciuitatem in duo; adulantes enim multitudini mouent eam contra diuites. Hoc autem non eſt faciendum, ſi debeat popularis ſtatus ſaluari; ſed multitudo pro diuitibus debet videri facere, quod volunt; ſic e-* *Verba S. Thomæ.*

nim ſaluari poterunt. In paucorum ſtatu ſimiliter peccat paucorum potentia, opprimens multitudinem, ex quo contingit corruptio paucorum ſtatus. Et ideo ſi debeat ſaluari, oportet paucorum potentiam videri facere pro populo, & facere iuramenta contraria eis, quæ faciunt. Conſueuerunt enim paucorum ſtatus potentia cum inſtituuntur in principatibus, iurando dicere: Iuro quod populum odio habebo, & conſilio annitar, vt male habeat. Similiter in populari ſtatu, iurat populus, malignus ero diuitibus, & conſulam, quæ illi mala eſſe ſciam. Hoc autem non eſt faciendum, ſed oportet opinari contrarium eſſe faciendum, & inſinuare in iuramento, quod potentia paucorum non facient iniuſtum populo. Et populus debet iurare, quod non iniuſtè aget contra diuites.

Scioppius verba Ariſtotelis & S. Thom. cōſarcinat, variat, trūcat.

Confer amice Lector verba hæc, cum ijs quæ Scioppius ponit, & reperies non eſſe Ariſtotelis & S. Thomæ, ſed audacis Grammatici, qui ea ex Ariſtotele & S. Thomâ temerè conſarcinata, variata, truncata, pro eorum verbis falsò obtrudit. Qui verba alterius ſcriptoris ſe proferre aſſerit, ſingula ad numerare debet, prout alter ſcripſit: id niſi facit, falſum eſt eſſe ea verba illius ſcriptoris, ſunt enim alle-

allegantis, cui non verba, ſed ſenſum alterius afferre placuit; neque id vitio vertitur, ſi ſententiam non peruertat.

Quod ipſum hìc non integrè obſeruauit Scioppius, nam omiſit mentionem Rerumpublicarum popularium, quarum error aduerſus diuites, errorem in paucorum potentijs aduerſus plebem committi ſolitum, veluti per Antitheſin clarius illuſtrat. Quam autem audaciam in verbis & ſententijs aliorum ſcriptorum, eandem in ſacris ſcripturis allegandis plagiarius iſte ſibi ſumit, veluti ſupra vidimus; idq; in ipſius libris frequens eſt, vbi paſſim loca ſcripturæ aliorumq; autorum, non talia qualia ſunt, proferri, ſæpe cum graui fraude reperies. *Idq; ex more ſuo.*

§. XIV.

Ex cauſſa Efficientis hypotheſi omnem effectum pendere; inſtrumenta autem Pſeudopolitiæ, non niſi ex ſuppoſitione finis, Vera autem Politia, abſolutè bona & Vtilia eſſe.

X. LEctorem monet, vt *quandocunq; effecti alicuius cauſſa traditur, conditionem ineſſe meminerit.* Si *enim dicas, Ortus ſolis diei cauſſa eſt, peccatum mortis; non aliud audis, quàm hypotheſes iſtas; ſi ortus eſt*

tius eſt ſol, dies eſt; ſi peccaſti morieris. Quoties igitur Politici cauſſas ſiue modos tradunt conſeruandi ſtatus, ſeu boni, ſeu vitioſi, toties hypotheticè loqui cenſendi ſunt. Euertit hoc monitum ſuperiorem Grammatici doctrinam, quâ in explicandis modis conſeruandi vitioſas Reipublicæ formas, primum Cautionis genus eſſe dixit, *loquendi modum non abſolutum, ſimplicem, aut Categoricum, ſed Hypotheticum, ſiue cum exceptione aut conditione.*

Si enim Politici tam de boni, quam vitioſi ſtatus cauſſis, hypotheticè loqui cenſendi ſunt, ergo fictitia eſt Cautio adhibendi ſenſus hypothetici & nō Categorici, in diſſerendo de vitioſis Rebuſpublicis. Quandocunque enim effecti alicuius, ſiue boni ſiue mali, cauſſa ſiue bona ſiue mala traditur, conditionem ineſſe monet Scioppius. Nullum ergo relinquit ſenſum Categoricum, cum ſemper cenſeat Politicos loqui hypotheticè.

Scioppius tollit ſenſum Categoricum,

Non ſanè intelligit Scioppius, aliam eſſe *hypotheſin ſiue ſuppoſitionem Cauſſæ Efficientis*, aliam *Finis*. Ex priori, poſitâ cauſsâ efficiente in actu, ſequitur effectum fieri aut eſſe; ex poſteriori ea, quæ propoſito aliquo fine neceſſaria ſunt, vel idonea ad eius

Alia hypotheſis cauſſæ Efficientis, alia Finis.

eius adeptionem, habent rationem boni vtilis ſiue ſecundum quid, ex ſuppoſitione talis finis. Etſi fortè nec iſte, nec illa ſint bona ſecundum ſe & abſolutè, ſed ſimpliciter mala; vt cum quis imperij potiundi cauſsâ, legitimum Principem dolo malo occidit: ea cædes abſolutè mala eſt & noxia, etſi ſecundum quid ſit vtilis, ad talem finem.

Prioris ergo generis hypotheſin ſeu conditionem, quandocunque effecti alicuius cauſſa traditur, ineſſe verum eſt, neque in hoc diſcrimen eſſe poteſt inter explicationem Reipublicæ legitimę & vitioſæ. Vt enim, cum proprium commodum, injuſtitia, crudelitas, fraus, dolus, aliæq; cauſſæ conſtituentes aut conſeruantes Rempublicam vitioſam vigent, neceſſe eſt Rempublicam vitioſam eſſe: ità cum alicubi virtus, juſtitia, pietas aliaque Rempublicam legitimam efficientia & conſeruantia adſunt, ſequitur eiuſmodi Rempublicam rectè conſtitutam eſſe. *Prior communis eſt Reipublicæ vitioſæ, & legitimæ.*

Poſterioris verò hypotheſis, quam *ſuppoſitionem finis* dicimus, longe diſpar ratio eſt. Hæc enim non ad exiſtentiam effectus pertinet, ſed ad bonitatem ſeu vtilitatem medij, quo finis obtinetur. Cum igitur *Poſterioris diſpar ratio eſt.*

§. XV.

Methodum non eſſe finem ſcientiarum, ſed inſtrumentum, Vitia Reipublicæ ab Ariſtotele & S. Thomâ non doceri; Scioppium grauiter in eos iniurium eſſe.

XI. FAlſum eſt S. Thomæ & Ariſtotelis in Politicis, operis totius propoſitum, ſeu generalem intentionem eſſe, ſecundum Methodi leges de omnibus Reipublicæ formis etiam vitioſis tractare. Nam Methodus, quam Logica ſuppeditat, inſtrumentum eſt ſcientiarum, non finis & ſcopus, ideoque Logicam philoſophi ſcientiam inſtrumentalem, & organum ſcientiarum appellant. Etſi verò ad obſeruationem Methodi, intentio eorum quoque refertur, non eſt tamen is finis proprius & præcipuus: ſed legitimæ Reipublicæ & ſpecierum eius, ſecundum regulam rectæ rationis, ſeu virtutis explicatio & conſtitutio. Cui ſecundariò vitioſarum Rerumpublicarum, ſeu vitiorum & errorum artis Politicæ, tractationem coniungunt, fine & modo longè diuerſo, vti jam ſæpe dictum eſt; veram enim legitimamque Politicam docent conſtituere & conſeruare, Pſeudopolitiã fugere & corrigere. Quare tam falſum eſt ab

Methodus inſtrumentum eſt, non finis.

Pſeudopolitiam ſecundariò explicant Politici.

eſt ab Ariſtotele & S. Thomâ alijsque veris Politicis, Pſeudopolitiam, aut eius conſeruandæ modos doceri, quam falſum eſt vllum alium bonum artificem, artis cuiuſcumque vitia ſeu errores docere.

Nemo rectè vitia artis docet.

Quod ipſa vocis proprietas conuincit; docere enim in practicis ad opus refertur, non ad ſolam cognitionem, vt in ſpeculatiuis. Nullus autem probus aut ſapiens Magiſter, vitia & errores artis explicat, vt diſcipuli eos diſcant facere, ſed vitare & corrigere. Non ergo docent errare, etſi doceant errores intelligere; quod non ſufficit, vt dicantur doceri, cum ea doctrina ad illud, cuius cognito traditur, faciendum non referatur. Graui ergo iniuriâ & contumeliâ S. Thomam & Ariſtotelem Scioppius affecit, cum in margine ſcripſit: *Ariſtoteles & D. Thomas ſtatus conſeruandi cauſſâ docent ſimulare & peierare*, &: *Iidem Tyrannidem conſeruare docent, per ſummam crudelitatem, & per ſimulationem ac diſſimulationem*; non enim iſta, ſed omnia contraria docent.

§. XVI.

§. XVI.

Vtilia ad conſeruandam Oligarchiam, ab Ariſtotele & S. Thomâ, nullâ, vti criminatur Scioppius, honeſtatis ratione habitâ, non tradi.

XII. FAlſum eſt Ariſtoteli & S. Thomæ l. 5. Politic. c. 9 *vtilia ad conſeruandam Oligarchiam, nullâ honeſtatis ratione habitâ, præcipere propoſitum fuiſſe.* Qui enim nullã honeſtatis rationem habere dicitur, eam negligere aut violare ſignificatur, quorum neutrum in honeſtatis magiſtros cadit. Ipſe Scioppius fatetur, eos alibi inter vitioſas Reipublicæ formas & iniuſtas, Oligarchiam numerare, & Tyrannidi proximam facere, eóque ipſo turpem ac fugiendam eſſe docere. Hoc ſtigma Oligarchiæ inuſtum, probus Lector vbiq; præ oculis habet, vbi Ariſtoteles & S. Thomas de eâ tractant, etſi non ſemper eius turpitudinem, & cum honeſtate repugnantiam ſignatè exprimant. Infame, Oligarchiæ nomen eſt, perinde vt Tyrannidis, latrocinij, & ſimilia, quæ à probis ſemper cum apertâ deteſtatione, proferuntur, aut cum tacitâ ſeu virtuali, vti loquimur: neq; enim id apertè & actu facere ſemper opus eſt, vel conuenit.

Stigma Oligarchiæ S. Thomas & Ariſt. inuſſerunt.

N Aliud

Aliud eſt de honeſtate ſilere, aliud nullam eius rationem habere; hoc Pſeudopolitici & omnes improbi faciunt; illud etiam boni à ſe alienum non putant, cum honeſtas de ſe ſileri aut vult, aut patitur.

Sed neque verum eſt Ariſtotelem l. c. 5. Politic. c. 9. nullam de Oligarchiæ & Democratiæ receſſu à perfectâ Reipublicæ formâ, & earum ſeu turpitudine, ſeu imperfectione mentionem feciſſe: etſi Scioppius, quia oſcitanter & iniquis oculis illum legit, id non aduerterit. Nam Ariſtoteles errorem explicaturus eorum, qui cum exceſſu ſtudentes Reipublicæ formam conſeruare, eam perdunt, ita incipit: *Præter omnia verò hæc, non oportet latere, quod nunc latet Reſpublicas à medio aberrantes*; pro quarum exemplo affert, Democratiam & Oligarchiam. Vocat verò hìc παραβεβηκυίας τὸ μέσον, id eſt aberrantes à medio, ſeu tranſgreſſas medium, quod ſeruant perfectæ Reſpublicæ, ſicut aliàs appellat παρεκβάσεις, id eſt *aberrationes* aut *tranſgreſſiones*, quas eſſe imperfectas aut vitioſas Reſpublicas certum eſt. Paulò infra ait: *Oligarchiam & Democratiam contingit, velut aptè habere, quamuis conſtitutas extra optimum ordinem*. Apertè er-

Ariſtoteles defenditur.

go Ariſtoteles hoc etiam loco, has Reſpublicas à perfectâ Politiâ excludit; neq; ſolùm de imperfectis, ſed etiam vitioſis eum loqui, exemplum ſimulationis, periurij, ac iniquitatis plenum oſtendit.

§. XVII.

In referendis verbis Ariſtotelis & S. Thomæ, fallaciæ Scioppianæ aliud ſpecimen.

XIII. IN referendis verbis Ariſtotelis & S. Thomæ ex l. 5. Politic. cap. 11. clarum rurſus ſpecimen edit malæ fidei, quà bonos autores citat. Affirmat eſſe verba S. Thomæ & Ariſtotelis, quæ affert, cum ſint centones, quos ex diuerſis eius capitis locis, pro arbitrio quibuſdam omiſſis, alijs mutatis & de ſuo audacter aſſutis contexuit. Parcimus faſtidio Lectoris, ideo integrum & ſincerum textum non inſerimus, paucas ſolum lineas, ab ipſo mirè variatas & interpolatas, apponere viſum fuit.

Ait D. Thomam hoc ipſo capite ſuam & Ariſtotelis mentem *totidem verbis* interpretari. *Iſta & ſimilia ſunt Tyrannica, & ſaluant principatum; ſunt mala ſecundum ſe ipſa, bona tamen ad ſaluationem Tyrannidis. Non ſunt facienda ſimpliciter homini,* *Scioppij perfidia in allegando S. Thomâ.*

 mini,

mini, ſed ei, qui voluerit ſaluare Tyrannidem, quæ ſecundùm ſe mala eſt.

Atqui ego hæc non totidem, ſed pluribus & multo efficacioribus hiſce verbis lego apud S. Thomam eo loco: *Iſta igitur & ſimilia ſunt Tyrannica, & ſaluant Principatum.* [NEC ALIQVID MALIGNITATIS DEFICIT IN TALIBVS, SED OMNEM MALIGNITATEM ET INIQVITATEM CONTINENT,] *ſunt mala ſecundùm ſe ipſa, bona tamen ad ſaluationem Tyrannidis.* [IN QVO INNVIT, QVOD] *non ſunt facienda ſimpliciter homini, ſed ei, qui voluerit ſaluare Tyrannidem, quæ ſecundum ſe mala eſt.* Numera amice Lector hæc verba, & quot à Scioppio omiſſa repereris, totidem mendacia ab illo commiſſa agnoſce.

§. XVIII.

A S. Thomâ abſolutè vtile non dici, quod honeſtum non eſt, ſuffragante etiam Cicerone.

XIV. FAlsò S. Thomæ mentem hiſce in verbis interpretatur, dum ait, ipſum hìc *ſatis perſpicuè docere, iſtam conſeruandæ Tyrannidis rationem abſolutè, ac per ſe malam, ſed certò quodam reſpectu bonam, hoc eſt vtilem, non honeſtam eſſe.* Falſum

ſum inquam eſt S. Thomam cenſere bonum certo quodam reſpectu, ſiue ſecundum quid, idem eſſe, quod vtile; aut abſolutè vtile iudicare, quod honeſtum non eſt. Attuli initio eius verba, quibus aſſerit *nihil poſſe eſſe verè & ſimpliciter vtile, quod repugnat honeſtati*: ergo ſicut ea, quæ ſunt Tyrannica, ſecundum S. Thomam ſunt ſimpliciter mala, & ſolùm ſecundùm quid bona, ita quoque ſunt ſimpliciter noxia ſiue inutilia, & ſolum ſecundum quid vtilia. Quod Scioppius non credit, quia cum Pſeudopoliticis inter vtile & honeſtum, peſtilens diuortium inſtituit.

In hoc verbo, vt deplorat Cicero l. 2. de Offic. ſub initium, *lapſa conſuetudo deflexit de viâ, ſenſimq́ue eò deducta eſt, vt ab honeſto vtile ſecerneret, & conſtitueret honeſtum aliquod, quod vtile non eſſet; & vtile, quod non honeſtum; quâ nulla pernicies maior hominum vitæ potuit afferri. Summâ quidem autoritate philoſophi, ſeuerè ſanè atque honeſtè, hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt. Quidquid enim iuſtum ſit, id vtile etiam cenſent; itemque quod honeſtum, idem eſſe iuſtum; ex quo efficitur, vt quidquid honeſtum ſit, idem ſit vtile. Quod* *Conſuetudo praua vtile ab honeſto ſecernit.*

Incauti calliidam malitiam, ſapientiam putant.

qui parum proſpiciunt, hi ſæpe verſutos homines & callidos (Macchiauellum, alioſque Pſeudopoliticos) *admirantes, eorum malitiam, ſapientiam iudicant. Quorum error eripiendus eſt, omniſq; opinio ad eam ſpem traducenda, vt honeſtis conſilijs, iuſtiſq; factis, non fraude & malitiâ, ſe intelligant ea, quæ velint, conſequi poſſe.* Hunc ſummum Oratorem & Romani maximum autorem eloquij, ſi Grammaticus fide dignum putaret, potius ipſum quam Macchiauellum ſequeretur.

Sed quid de eo in malâ cauſsâ ſperare poſſumus, qui cum bonos defendere videtur, tot erroribus ac vitijs, quot oſtendimus, defenſionem contaminat? Verum is in hâc Apologiâ error ac dolus omnium grauiſſimus eſt, quod Ariſtotelis & Sancti Thomæ puriſſimæ doctrinæ, Macchiauelli inprimis, & aliorum deinde Pſeudopoliticorum exundantes errorum mephites, comparare, & illorum innocentiam ad horum improbitatem tuendam transferre auſus eſt. Quod quàm iniquè & fallaciter egerit, indicatum quidem eſt, ſed deinceps clarius demonſtrabimus.

CAP. II.

Digitized by Google

CAP. II.

Quâ ratione de virtute, & pietate Politicos tractare oporteat.

§. I.

SVPPETIAE. Methodus Cenſuræ in Politicis ſcriptis exercenda.

VT autem vſus eorum, quæ adhuc diſputaui, multò fiat manifeſtior, quâ Methodo ac viâ progredi debeat, qui Cenſuram in Politicis ſcriptis exercere velit, diſtinctè præmonſtrabo. Si quis ergo ſcriptorem Politicum repræhendere cupiat, quid is peccârit, planum facere debet Si peccauit, aut artis ſeu doctrinæ, aut prudentiæ Methodum neglexit. Nam ſi neutrum fecit, omni culpâ vacat. Vt doceas peccatum ab eo contra Methodum artis, neceſſe eſt, vt demonſtres, eum aut aliena tractaſſe, aut falſa: ſi aliena, aut ea, quæ genere, aut quæ loco aliena ſunt, tractauit. Aliena genere vel ſubiectæ materiæ, vel inſtrumentorum ratione.

§. II.

VINDICIAE. Methodum Cenſuræ non rectè à Scioppio præmonſtrari; Methodum tam artis, quàm prudentiæ à Macchiauello violari.

NEque ipſam Cenſuræ Methodum rectè præmonſtrat Scioppius, vt adeò

in eâ quoque Cenſuram mereatur. Nam inprimis, vt oſtendatur ſcriptor Politicus peccâſſe contra Methodum artis, neceſſe non eſt demonſtrari, eum aut aliena tractâſſe, aut falſa: cum ipſe Scioppius ſuprà, Rationis in vniuerſim quinque numerârit vitia, Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens, & Alienum. Etſi ergo ſcriptor nec aliena tractârit, nec falſa, potuit peccare obſcuritate, ambiguitate, aut conſequentiæ vitio, ideoq; vituperationem mereri.

Scioppii Cenſura inſufficiens.

Deinde etſi ab his quinque vitijs immunis ſit, potuit in illud labi, quod à Scioppio omiſſum nos eo loco addendum diximus, & Mutilum vocauimus, omiſſionem nimirum aut neglectum alicuius, quod artis proprium eſt, præcipuè obiecti proprij & principalis. Illud enim neceſſariò tractare debet, qui artem aliquam integram profitetur. Quod ſi vnam dumtaxat, alterámue partem attingat, neceſſe ſaltem eſt eam ad principale obiectum referre; vel expreſsè, vel implicitè: ità, vt nihil tradat, quod cum præcipuo artis fine, aut obiecto pugnet.

Macchiauellus Methodum ar.

Macchiauellum verò Scioppij in hâc aduocatione clientem vnicum, tam contra

traMethodum artis, quàm prudentiæ grauiſſimè deliquiſſe, facilè planum fieri poteſt. Nam contra Methodum artis peccauit, quia proprium præcipuumque Politicæ obiectum, Rectam Reipublicæ formam neglexit, aut peruertit. Neglexit, inquam, quia eius finem, vitam ciuilem ex regulâ veræ virtutis agendam, non propoſuit, neque media debita aſſignauit. Imò vtrumque peruertit, quia bona externa gloriam, opes, imperij conſeruationem finem Politicæ fecit, & media tradidit, principijs naturæ & gratiæ aduerſa, vt paulo poſt patebit. *tis & prudentia violauit.*

Vnde conſequens eſt Prudentiæ quoque Methodum ab eo neglectam, quia non ſolum nihil cauit, ne lectoris judiciũ de rectè ſecúſue factis deprauaret; quod Scioppius ad prudentiæ Methodum meritò requirit: ſed datâ etiam operâ hoc ipſum egiſſe videtur, vt à radicibus veræ Politicæ principia conuelleret.

§. III.

SVPPETIAE. Aliena tractare Politicum ratione materiæ, ſi Principem verè pium eſſe iubeat; animam non eſſe ſubiectum Politicæ.

SVbiectæ materiæ ratione, aliena tractat Politicus, ſi v. g. Principem, vt Deumſibi red-

dat propitium, & æternâ felicitate potiatur, verè pium ac religioſum eſſe: non autem pietatem & religionem præ ſe ferre, id eſt, id agere iubeat, vt qualis eſt, pius nimirum & religioſus, talis etiam ab alijs exiſtimetur. Nam hoc nihil eſt aliud, quàm tractare de ſalute animæ, quomodo ſcilicet Princeps animam ſuam ſeruare, vel ſaluare poſſit. At enim anima Principis, aut ſalus animæ non eſt ſubiectum Politicæ, ſed Theologiæ: cum in Politicâ tractari debeat ſalus, ſiue incolumitas ſtatus. Igitur hoc eſt, quod aiunt, *de genere in genus tranſire.*

Scioppius Politicis ſalutis curam eripit.

§. IV.

VINDICIAE. Finem vltimum beatitudinis æternæ, proximè quidem ad diſciplinam Chriſtianam & Theologiam pertinere, eidem tamen Politicam quoque cum aliis artibus famulari debere; famam negligendam non eſſe.

NOn alienum eſt à Politico, Principem admonere de vltimo hominis fine, hunc enim tanquam Politicæ proprium aſſignauit Ariſtoteles l. 1. Ethic. c. 2. 4. 5. & alibi. Quia verò cenſuit beatitudinem in hâc vitâ naturæ viribus poſſe acquiri, & conſiſtere in actionibus virtutum, tum intellectus, tum voluntatis: ideo totam vltimi finis adeptionem, procurationem ac poſſeſſionem Politicæ propriam eſſe putauit, eique reliquas omnes facultates ac ſcien-

Ariſtoteles finem vltimum Politicæ propriū putauit.

Digitized by Google

ſcientias ſubiecit; quia ad finem vltimum, quem Politica ſpectat, neceſſe eſt fines inferiores, velut bona minora ad bonum maximum dirigi. At poſtquam vera fides vltimum finem noſtrum in Beatitudine vitæ alterius, ſitum eſſe, neque naturæ viribus eò peruenire poſſe oſtendit: Politica, huius finis proximam adeptionem procurationemque, tanquam viribus ſuis ſuperiorem, Chriſtianæ diſciplinæ ac Theologiæ & ſacratiori poteſtati conceſſit: ſic tamen, vt hunc vitæ humanæ tum priuatæ, tum communis ſupremum finē, velut eminus reſpiciens totam imperandi parendique rationem eò referre non ceſſârit.

Eius cura proximè ad Fidem & Theologiā ſpectat.

Vt enim Ariſtotele judice Politica, veræ fidei lumine nondum colluſtrata, in alias facultates ac ſcientias principatum tenuit, ob vltimi finis ſibi proprij, vti videbatur, prærogatiuam: ità nunc potiori jure, poſtquam ſummum bonum altioris facultatis poteſtatiſque eſſe credit, ſacratioribus diſciplinis ac legibus famulatum & obſequium debet: vt earum ductu ac ope, ad vltimum finem Principes ac ſubditi perueniant, nec ab eo vtrique, vel alterutri aberrent.

Hæc Princeps ſcientiarum eſt apud Chriſtianos.

Neque

Digitized by Google

Neque hoc eſt *degenere in genus tranſire*, ſi ſcientia inferior, facultatis ſuperioris & maximè ſupremæ, ad quam vltimus finis omnium pertinet, principia communia aſſumat, ac inde, quæ in ſuâ materiâ vltimo fini neceſſaria aut congrua ſunt, deducat; etſi non ſit illius eiuſmodi principia, vel vltimi finis naturam, examinare aut demonſtrare, ſed tanquam certa ac indubitata ſupponere, vti ſupra ex Ariſtotele demonſtrauimus. Facit ergo Politica officium facultatis inferioris, cum Principem monet, vt DEI propitiandi ac æternæ felicitatis obtinendæ cauſsâ, in principatu verè pius ac religioſus eſſe velit, non pietatis ac religionis ſimulator; hoc enim vltimus Politicæ finis requirit, quem diſciplina Chriſtiana, omnium facultatum ſcientiarumque Domina proponit & explicat.

Policica officium eſt, etiam de fine vltimo & ſalute monere.

Bona opinio curanda.

Neque cum verâ pietate ac religione pugnat religionis ac pietatis opinio, ſed illam ſequitur, velut vmbra corpus. Cuius curam ſuis etiam diſcipulis Chriſtus commendauit, cum dixit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Magnus ſtimulus ad virtutum eſt exem-

exemplum Principis, qui ſi ad malum præit, eodèm vno impetu feruntur ſubditi juxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Vnde Politicus inſtillare debet imperantibus non ſolùm bonæ vitæ, ſed etiam integræ famæ amorem ac curam. Nam ipſi quoque à Deo collocantur *ſuper candelabrum* principatuum ac Rerumpublicarum, *vt luceant omnibus*, qui ſub imperio ipſorum ſunt. Et ſi hanc boni exempli lucem, non ad ſuam ſed Dei gloriam, ſubditorumq́; vtilitatem referre debeant. Quo ſanè ſpectauit S. Auguſtinus, cum lib. de bono Viduitatis c. 22. dixit: *Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra alys fama noſtra*, quæ verba perperam infra allegat Scioppius.

A Politico commendanda.

§. V.

Animam eſſe ſubiectum Politicæ, affirmat Ariſtoteles; aliter à Politico, aliter à Theologo eam ſpectari.

NEgat Scioppius animam eſſe ſubiectum Politicæ; affirmat Ariſtoteles 1. Ethic. c. 13. claris hiſce verbis: *Quæ ſi ita habent, perſpicuum eſt, Politicum aliquo modo noſſe oportere ea, quæ ad animam pertinent;*

Ariſtoteles Scioppium refellit.

tinent; perinde, vt medicus oculorum, omniumq́ partium corporis notitiam habere debet. Ac tanto etiam magis, quo honoratior & præſtantior eſt Politica, quam Medicina. Præſtantiores autem Medici multum in cognitione corporis operæ ponunt. Pertinet igitur ad Politicum conſideratio animæ, idq́ horum cauſsâ, & quantùm ſatis eſt ad ea, quæ inueſtigamus. Delibera nunc Lector, Ariſtoteli, an Scioppio credere velis: aut indignare potius audaci Grammatico, qui Politicam ablatâ ipſi animæ curâ, exanimat.

Salus animæ, vt ad Politicam pertineat.

Eſt anima eiuſque ſalus Theologiæ ſubiectum, vt diuinæ gratiæ virtutumque Theologicarum ornatu ac præſidio, ſalutem operatur, & proximè comparat. Eſt eadem anima ſubiectum Politicæ, vt per virtutes morales in ciuili Societate, ſecundum rectam rationem, non ſine ordine & reſpectu ad ſalutem æternam, regitur ac dirigitur, vt ex dictis ſupra clarum eſt. Certè Ariſtoteles l. c. aſſerit verè *Politicum virtuti maximam operam impendere, ſtudere enim ciues bonos efficere, legumq́ obſeruantes*; virtutis autem probitatisq; ſedes anima eſt, neceſſariò igitur hanc

hanc ſpectat & conſiderat Politicus, niſi virtutis curā ſibi propriam abijcere velit.

§. VI.

Medicum corpus duntaxat curare, Politicum vitam ciuilem rationi congruam; ideo curam & doctrinam virtutis ab illo, non isto alienam, & Scioppii ſimile diſsimile eſſe.

ATque hinc apparet, quàm ſimile diſſimile illud ſit, quo exemplo à Medicis petito, Scioppius ſub finem Admonitionis ad Lectorem, bonos Politicos calumniatur. *Quis dubitet* ait, *quin morborum omnium cauſſæ ſint peccata? Neq; tamen Medicus* ἀπαιδευσίας, *imò ſtoliditatis iuſtam effugerit reprahenſionem, ſi de cauſsis Febrium diſputans, peccati Originalis & Actualis mentionem inferat, eumq́; qui morbis carere velit, peccata fugere iubeat. Vt enim veriſsima ſit eius diſputatio, neque non multiplicem hominibus afferre poſsit vtilitatem, tamen quoniam* ὀυκ οἰκείαν, *non ſuam aut propriam, ſed alienam & heterogeneam eſſe conſtat, eâ ſuperſedere, nec in alterius artis fines inuadere debuit. Similiter igitur Politicus Pædiæ legibus parere, eaque, quæ alterius ſunt generis, quamuis veriſsima ſint & vtiliſsima, ab Acroaſi ſuâ* *Scioppiana Sycophantia.*

ſub-

ſubmouere debet, veræ nimirum pietatis ac virtutis præcepta.

Diſſimile inquam eſt hoc ſimile, & prorſus abſonum. Nam vt ex Medicinæ naturâ apertum eſt, & Ariſtoteles l. c. ſignificat, Medicus per ſe circa corpus dumtaxat eiuſq; ſanitatem ac ægritudinem verſatur. Malæ autem bonæque valetudinis cauſſæ proximæ, corporales ſunt & corpori inſitæ: quas aut tollere aut ſtabilire vnicum Medici officiũ eſt. Etſi verò morbos inter peccati originalis & actualis effecta connumeremus, eſt tamen ea cauſſa remota, & per ſe extra facultatem ac curam Medici, cuius non eſt curare morbos animi, ſed corporis. Niſi per accidens æger ijs peccatis laboret, quæ frequentata bonam corporis habitudinem labefactare ſolent, vt crapula & libido; ab his enim ægrum dehortari, à Medici officio alienum non eſt.

Peccatum cauſſa morbi remota, ad Medicum per ſe non ſpectat.

Verum longè alia eſt Politici ratio. Nam Politicæ obiectum præcipuum ac propriũ, eſt vita ciuilis ſecundum iuſtitiæ aliarumque virtutum moralium regulam ordinata. Cum ergo Politicus de eiuſmodi virtutibus in Republicâ ſtabiliendis, & vitijs contrarijs extirpandis, præcipit aut diſputat, non ſolum veriſſima & vtiliſſima, ſed maximè

Alia Politici eſt ratio, cui virtutes & vitia curæ ſunt.

Digitized by Google

maximè etiam propria tractat. De Religione autem, virtutibusq́; ſupernaturalibus ſeu Theologicis, vti vocamus, Fide, Spe, & Caritate, etſi propria proximaq́; cura Religionis Chriſtianæ præſidibus, Theologiſq́; incumbat: Politica tamen principia ſua inde deſumit, & per ea oculos identidem ad vltimum Finem retorquet, *ne tranſeundo per bona temporalia, amittat æterna*, quod à ſuis filijs Eccleſia deprecatur.

Cum verò ex Scripturis ſanctis conſtet, Deum publica præſertim peccata, publicis calamitatibus & imperiorum euerſione punire: Politicæ munus eſt vitia coercere ob eam quoque cauſſam, ne inde iuſto Dei iudicio Reſpublica damnum capiat: virtutes verò promouere, vt Reipublicæ incolumitas, ſubditorumq́; ſalus, propitij Numinis fauore ſtabiliatur. Accedit illi tuendæ veræ Religionis curam incumbere, vt ei eiuſq́; miniſtris aduerſus hoſtes, & contemptores ſuppetias ferat. Nullo autem ſimili titulo vel debito, Medici ad curam Religionis aliarumque virtutum adſtringuntur; alienum ergo eſt ab officio medici quà medicus eſt, de

Eam quoq; ob cauſſam, ne Deus puniat.

his diſputare, non autem ab officio Politici, quà Politicus eſt.

§. VIII.

Scioppianæ imperitiæ in Scripturis ſpecimen.

Peccata nō omnium morborum cauſſa.

SEd iuuat Scioppij in ſacris Scripturis imperitiam, quam alijs frequenter & immeritò obijcit, ex hoc loco obiter æſtimare. *Quis dubitet* ait, *quin morborum omnium cauſſæ ſint peccata?* At verò, quis niſi ſcripturarum imperitus, neſcit eas aſſerere morborum quorundam cauſſam non eſſe peccata? De cæcitate Tobiæ, & afflictione Iob clarus eſt locus Tobiæ 2. v. 12. *Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob. Nam cum ab infantiâ ſuâ, ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, &c.* Iob quoque initio libri ſui cap. 1. v. 1. dicitur fuiſſe *vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Chriſtus Ioan. 9. v. 2. & 3. curaturus cæcum à natiuitate diſcipulis interrogantibus, *quis peccauit? hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* reſpondit: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, ſed vt manifeſten-*

ſtentur opera Dei in illo. Omitto alia exempla aliorum, quibus Deus morbos immiſit ſine illorum culpâ, ad probationem patientiæ vel alias cauſſas, idoneis hiſtorijs teſtatas. Neq; talia in peccatum originale referri poſſunt, cum non ex naturæ curſu, ſed peculiari diuinæ prouidentiæ decreto proueniant.

§. VIII.

Media, quæ ex ſublimiori pendent ſcientiâ, aliena eſſe à Politico.

INſtrumentorum ratione aliena tractat Politicus, ſi ea conſeruandi ſtatus media, ſeu modos præſcribat, quæ ex ſublimiori pendent ſcientiâ. Vt ſi dicat, Principem debere creberrimo ſacramentorum vſu, dandiſq; eleemoſynis Deum ſibi reddere propitium. Sic enim futurum, vt Deus imperium eius proſperet.

§. IX.

VINDICIAE. Scientias morales communicare in communibus principiis morum, quorum prima regula eſt diſciplina Chriſtiana; Macchiauelli, quoque exemplum Scioppio aduerſari.

FAlſum eſſe, quod tradere media, ſeu modos conſeruandi Status, qui ex ſublimiori pendent ſcientia, alienum ſit à

ac factitare, neque ea à ſe, vel rationibus Politicis aliena putare.

Macchiauellus ipſe præcipuum ſtatus ſeu Reipublicæ conſeruandæ medium Religionem eſſe cenſet, eâque de re pluribus capitibus agit lib 1. diſcurſuū de Republicâ. *Nam vbi religio eſt*, ait cap. 11. *locum habent bonæ leges ac bona diſciplina, ex quibus fortunati feliceſq; rerum euentus, in expeditionibus præſertim bellicis, naſcuntur: ſicuti è contra etiam, ſublatâ religione corruere Rempublicam oportet, quoniam ſublato Dei timore ſequitur impietas, ex eâq; ruina imperiorum.*

Macchiauellus de Religione agit.

Caput vero 12. ſic orditur: *Quicunq; Principes atque Reipublicæ ſemetipſos conſeruare cupiunt, in id vnum præ cæteris incumbere debent, vt verum Religionis cultum rectè inſtituant & venerentur.* Eamq; materiam vſque ad cap. 16. latè proſequitur, etſi falſa & veræ Religioni aduerſanſantia, Romanæq; Eccleſiæ contumelioſa tum hìc, tum alibi admiſceat, præſertim lib 2. c. 2. quæ infra attingemus.

Idem Macchiauellus, de Fortunâ & fato diſputat, in Principe c. 25. & lib. 2. diſcurs. cap. 29. quam eandem rem attingit lib. 3. c. 1. Neque alienum quid à Politico

Item de fato.

feciſſet, ſi principia diuinæ prouidentiæ, quam vnam pro fortunâ & fato ſuo, Chriſtiana fides agnoſcit, ſincera poſuiſſet. & tanquam indubitata ſuppoſuiſſet. Quia verò illa corrupit, & tum hæc, tum alia ad religionem ſpectantia examinandi, imò & calumniandi, ac cenſendi audaciam ſibi ſumpſit, boni Politici limites exceſſit; cuius eſt ea, quæ ex ſublimiori facultate pendent, non conuellere, ſed tanquam veritatis virtutiſque regulam ſibi à Deo propoſitam, reuerenter amplecti, nec de illis, ſed ex illis concludere.

Principia Christiana corrupit.

Quæ eò attuli, vt appareat Scioppium clientis ſui immemorem, cum ipſum accuſare, dum alios accuſat.

CAP. III.

Religione & virtute imperia certiùs proſperari, quàm vllis Pſeudopoliticorum præceptis & conſiliis.

§. I.

SVPPETIAE. Deum imperium non proſperare, niſi Principis, & ſubditorum ad ſalutem animæ interſit; Ioſia, S. Ludouico, aliiſq; regibus, ideo parum proſperè plurima eueniſſe.

HOc etſi ſalutare in primis præceptum, ac Principis auribus animoque inſtillari digniſſi-

gniſſimum, tamen à Policâ Scholâ alienum, tum propter arcanum Dei conſilium, temporalium bonorum conceſſionem ex vſu animarum noſtrarum moderantis, nobis non exploratò certum eſt. Nam iſtas Dei propitiandi rationes eſſe, ex Theologia diſcimus; ſimul autem & hoc, Deum non aliter Principis, quamuis religioſiſſimi imperium proſperare, niſi ſic ipſius & ſubiectorum, ad animæ ſalutem intereſſe videat. Ioſiæ quidem, S. Ludouico, alijſq; ſpectatiſſimæ pietatis regibus, non aliam ob cauſſam parum proſperè plurima eueniſſe ſcimus.

Scioppius noxiè fallit & fallitur.

§. II.

VINDICIAE. Vigente & florente verâ Religione ac virtute, imperia non euerti, nec inſolitis modis affligi, omni hiſtoria teſte.

QVam non alienum eſt à quibuſuis ſcientijs & facultatibus, vti principijs vniuerſalibus ſcientiarum ſuperiorum, tam non alienum eſt à Politicâ, vti certiſſimis veræ fidei ac Theologiæ principijs, quibus etiam iſtud adnumerari debet. Regna principatus & Reſpublicas, verâ Religione ac pietate, iuſtitiæ item aliarumque virtutum, ſeu præceptorum diuinorum cuſtodiâ, conſeruari: neque euerti, aut publicis inſolitiſq; calamitatibus affligi, niſi peccata imperantium, aut ſub-

Religio & pietas Reipublicæ ſalus.

Digitized by Google

nis ac diuinarum humanarumque legum obſeruantiâ florentes interijſſe, vel publicis inſolitiſq; calamitatibus afflictas fuiſſe, quoad in eodem religionis probitatiſque tenore perſtiterunt. Vt adeò ſemper publica inſolitáque mala argumento ſint, vel Principes, vel ſubditos, vel vtroſque deliquiſſe.

§. III.

Diuinæ prouidentiæ ob conſeruationem humani generis id conuenire; etſi ob alias cauſſas impiorum quoque imperia, multis ſeculis conſeruet.

HOc Ratio ex naturæ fideiq; fontibus hauſta luculenter demonſtrat. Nam cum Regna & imperia à Deo ſint ordinata, ad conuenientem generis humani conſeruationem & gubernationem, principes verò alijque qui imperant, miniſtri Dei ſint, vt ſupra oſtendimus: diuinæ ſapientiæ ac bonitati conuenit, Principes & ſubditos, cum officiũ ſuũ faciunt, gratiæ defenſioniſq; ſuæ auxilio dignari, non publicis malis atterere, aut Reſpublicas Religionis, juriſq; vinculo rectè conſociatas euertere. Pugnat enim id cum prouidentiâ Dei, quæ in adminiſtratione vniuerſi, præcipuè ſpectat humani generis conſerua-

Diuinæ ſapientiæ ac bonitati hoc conuenit.

ſeruationem, & conuenientem guberna-tionem; qualis vel maximè eſt, cum boni Principes bonis ſubditis, bene imperant.

Cur Deus imperia impiorum proſperet.

Cui tamen non perinde aduerſatur, quod Deus multis ſæpe ſeculis imperia & Regna impiorum, veluti Turcarum, aliorúmque infidelium & hæreticorum tolerat, imò & victorias, potentiam, opes, omnemq́ue proſperitatem ipſis indulgere videtur. Nam inprimis iuſtè Deus etiam Idololatris, pro bonis artibus & qualibuſcunque virtutibus eorum, *gloriam terrenã excellentiſſimi Imperij*, veluti mercedem temporalem retribuere poteſt. Quod eueniſſe Romanis docet S. Auguſt. l. 5. de ciuit. cap. 5. & veriſimile eſt de Sinenſibus, quorum Imperium à bonis artibus & moribus itidem laudatur.

Impii pœna fidelium.

Perſeuerant deinde, nonnunquam diutius regna infidelium & hæreticorum, in pœnam fidelium, qui illos cum poſſent & deberent, non extinxerunt. Sic Deus noluit delere Chananæos aliaſque gentes, quibus contra præceptum Domini pepercerunt filij Iſrael, *vt haberent hoſtes, Dijq́; eorum eſſent illis in ruinam*, Ioſue 23. Iudic. 1. 2. 3. Similem cauſſam potentiæ Turcarum & hæreticorum præbuiſ-

buiſſe, & præbere Chriſtiani videntur.

Tertiò, Regna impiorum in ipsâ ſuâ proſperitate, tot, tantiſq; inteſtinis ſæpe conflictantur malis, ſeditionibus, bellis, principum crudelitate, & per interualla horrendis à cœlo terrâq; plagis, peſtibus, ſterilitatibus, eluuionibus: vt infelices potius quã felices dici debeant, præſertim cum infidelitas & hæreſis, vitiorumq; licentia, quibus laborant, pœnæ ſint omnium grauiſſimæ.

Non verè felices.

Eſt denique certa ſcelerum menſura, quam in Regnis & Imperijs, principibus & populis puniendis obſeruat Deus. Eam vindictæ menſuram citius implent fideles, grauiuſque puniuntur, quàm infideles; grauius enim peccant, cum voluntatem Dei clarè intelligant, plura item beneficia, & præſidia rectè agendi accipiant. Vnde *ſeruus ingratus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit: & non fecit ſecundùm voluntatem eius*, citius & *pluribus vapulare ſolet, quam qui non cognouit*. Luc. 12. v. 48. Ità legimus veterem populum, cum declinauit à præceptis, ſtatim aut paulo poſt grauiſſimè fuiſſe punitum; *iniquitates* autẽ *Amorrhæorum*, quæ vtiq; tempore Abrahami nõ exiguæ erant,

Scelerum menſura, citius impletur à fidelibus.

pri-

primùm *quartâ generatione*, id eſt quadringentis ferè annis poſtea *completas*, eaſq́; gentes Iſraelitis delendas traditas fuiſſe. Gen. 15. v. 16.

§. IV.

Ad meliorem intellectum, quædam eſſe animaduertenda.

EST ergo nobis exploratò certum ex dictis, non eſſe in verâ Politicâ certiores Dei propitiandi, imperiumq́ue proſperandi rationes, quàm quæ à verâ religione & virtute proficiſcuntur. Modo hæc animaduertas.

Communis hominum lex. 1. Qualemcunque proſperitatem Deus bonis Principibus & ſubditis concedat, eos communi hominum lege teneri, neque vitæ huius pœnalitates vti vocamus, ipſis remitti: ſed morbis, morti, ignorantiæ, erroribus, alijſque miſerijs obnoxios manere.

Proſperitas publica. 2. Proſperitatem publicam Principatuum & Rerumpublicarum, in quibus viget vera Religio ac virtus, non conuelli, etſi Principes aut ſubditi ſingillatim aliquid infortunij aliquando ſubeant, in ijs maximè, quæ ad Principatus vel Reipublicæ defenſionem, ac conſeruationem non ſpectant.

3. Quam-

Digitized by Google

3. Quamuis proſperi rerum temporalium euentus, optimos etiam Principes abſque ipſorum culpâ, ſubinde deſtituant: id raro & abſque Reipublicæ ruinâ contingere, & maioribus bonis à Deo compenſari. Vniuerſim verò eſſe fortunatos, & juxta oraculum Regis prophetæ Pſa. 1. *Omnia, quæcunque faciunt, proſperari*: vt adeo Princeps non habeat certiorem felicis Imperij parandi rationem, quàm veram Religionem & virtutem.

Boni principes vniuerſim fortunati.

§. V.

A Deo temporalia bona concedi, etiam abuſuris; Reipublicæ neceſſaria, non eripi niſi ob peccata; aliter cum ſingulis priuatim agi.

HOc ſaluberrimum principium fruſtra Scioppius oppugnat, cum ait: *Deum temporalium bonorum conceſſionem ex vſu animarum noſtrarum moderari, ideoq; non aliter Principis, quamuis religioſiſſimi Imperium proſperare, niſi ſic ipſius & ſubiectorum, ad animæ ſalutem intereſſe videat.* Nam falſum id eſſe manifeſtum eſt, Deus enim multis bona temporalia, imperia, potentiam, gloriam concedit, quos videt cum æterno ſuo exitio his abuſuros, & quo-

Proſperitas multis obeſt.

quorum intereſſet ad animæ ſalutem, calamitatibus ad mentem reuocari Ecce, enim teſte Ezechiele c. 16. v. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ*, & cauſſa miſerabilis excidij, *ſuperbia*, *ſaturitas panis*, *& abundantia, & otium ipſius & filiarum eius.* Nec Sodoma, nec multæ aliæ gentes perijſſent, niſi ſcelerum fomenta & pabula, bonorum temporalium copia, illis præbuiſſet.

Moderata Reipublicæ neceſſaria.

Deinde cum nullus principatus, aut Reſpublica abſque congruis viribus, opibus, honoribus conſiſtere, aut rectè gubernari poſſit, ideò nullam habet cauſſam Deus, cur bonis Principibus & ſubditis, moderatam neceſſariamque proſperitatem auferat: niſi imperium aut Rempublicam euertere velit, quod non niſi peccatis ſceleribuſq; prouocatum facere conſueuiſſe, abundè demonſtratum eſt.

Priuati, licet innoxii, ſæpe infelices.

Aliter cum ſingulis priuatiſque agit, quos ſine damno publico varijs iacturis bonorum temporalium, etiam innocentes exercet, ad coronam maiorem, vel cautelam vitiorum, vel exemplum aliorum, vt de SS. Iob & Tobiâ, ſupra dicebamus. Publicas ſolùm clades, imperiorumque ruinas, non niſi nocentibus irrogari; & Religionem ac virtutē, certiſſimam eſſe publi-

publicę proſperitatis cauſſam affirmamus; quod tota ſacrarum ſcripturarum ſeries, & omnium ſeculorum hiſtoria conteſtatur.

§. VI.

Ioſia & S. Ludouici exempla non obſtare; illum contra Dei voluntatem pugnâſſe; illum ſaluo regno, extra illud in piâ, ſed alienâ cauſâ obiiſſe.

NEque obſtânt exempla Ioſiæ, S. Ludouici, aliorumque ſpectatiſſimæ pietatis Regum, *quibus parum proſperè plurima eueniſſe* Scioppius obijcit. Nam Ioſias *triginta & vno anno regnauit in Ieruſalem*, proſpere & tranquille: *quia fecit, quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris ſui, non declinauit ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, 4. Reg. 22. &, *Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes Impietatis.* Eccleſ. 49. v. 3. Quare ipſo viuo, diſtulit Deus vindictam & pœnam decretam in Iudeos, vt dicitur 4. Reg. 22. v. 22. *Ioſias diu felix.*

Occiſus autem eſt, cum Deo nolente, pugnaret aduerſus Nechao Regem Ægypti, *dicentem ipſi ex ore Dei: deſine aduerſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiam* *Occiſus, cum Deo repugnauit.*

ficiat te. 2. Paralip. 35. v. 21. Infeliciter ergo pugnauit, cum à diuinâ voluntate ad ſuam, contra regulam pietatis ſolitæ, deflexit. Pij principes non omnia piè faciunt; abripiuntur aliquando ſiniſtris & inconſultis affectibus; nonnunquam magìs ſuæ, quàm diuinæ gloriæ ſtudent; & plus ſuis viribus quàm Deo nituntur. Quare mirum non eſt, ſi quædam illis minus proſpere eueniant; neque enim eiuſmodi infelicitas eſt pietatis ſed culpæ, quæ in exemplis infortunatis Principum, qui pij habentur, frequenter deprehenditur; tanto grauior, quanto occultior.

Pii non ſemper piè faciunt.

S. Ludouicus quidem, non ſolùm pius fuit, verum etiam in ipſo ſumæ pietatis officio, bis infelix fuiſſe videtur. Nam in primâ expeditione aduerſus Saracenos, magnam militum partem peſte amiſit, victus deinde captuſq; eſt. In alterâ rurſus ſæuâ lue, per exercitum graſſante, deceſſit. Bzouio teſte A.C. 1248. & 1270. Verùm infortunatus ideo cenſeri non debet, tum quia quadraginta quatuor annis & amplius, feliciter imperauit, rebus multis præclarè geſtis, magnâ per vniuerſam Europam nominis ſui celebritate; tum quia regnum florens nullâ parte imminutum,

S. Ludouicus non infortunatus.

Phi-

Philippo filio reliquit; tum denique quia in pulcherrimâ cauſsâ, ſalutis æternæ ſecurus, mortem felicem obijt: & ſubſequens miraculorum ſanctitatiſque gloria, quod temporali proſperitati defuit, cumulaté compenſauit.

Quod idem de ijs ſanctis Principibus dicendum eſt, qui manibus impiorum occubuerunt, vt VVenceslaus in Bohemiâ, Ericus in Daniâ. Non ſolum enim *in conſpectu Domini*, ſed totius quoque Chriſtiani orbis, pretioſa eſt *mors ſanctorum eius*; quorum etiam in terris gloria, omnem aliam terrenam proſperitatem longe ſuperat. Illud addo, eiuſmodi Principes nonnunquam ex vitâ ſubtrahi, in pœnam ſubditorum, aliorumque qui tam felici imperio ſubeſſe, aut frui nō merentur. Quas ob cauſſas aliaſque licet occultas, non tamen iniuſtas, ſanctiſſima eiuſmodi Principum conſilia, fine quem ipſi ſpectant, Deus nonnunquam fruſtratur quidem, vt S. Ludouico contigit: ſed ſaluo in cœlis præmio, in terris honore, vt infelices niſi oculis inſipientium, videri non poſſint.

Principes boni, cur ſubinde infortunati.

§. VII.

Scioppium ſibi hic repugnare, & alibi, vbi verum dixit, ſed non intellexit.

QVod verò Scioppius, *plurima piſſimis Principibus parum proſpere eueniſſe aſſerit*, falſum dicit, rara enim ſunt, & maioribus bonis compenſata, ſi piè facta fuerunt. Imò ſibi fidem adimit, dum paucis hiſce in pagellis ſibi contradicit. Nam in admonitione Lectoris, *qui pius eſt* ait, *Deo reddit debitum, adeoq; iuſtus eſt, & vir bonus, vnde aliorum erga illum exiſtit amor: & cum Deus ſit iuſtus, abeſſe non poteſt, quin Principem ſui amantem & reuerentem redamet, & aduerſus inimicos tueatur: vnde eum ab hominibus reſpectari coliq; contingit.* Clarius in *Claßico belli ſacri*, præſertim cap. 17. aduerſus ſeipſum in *Pædiâ*, claſſicum canit hiſce verbis: *Deniq; ſi bene calculum ponimus, nullum ex omni memoriâ exemplum commemorari poteſt, hominis bello ſuperati, qui iuſtam cauſſam Deo ſolo fretus, & corde perfecto in eum credens tueretur.*

Scioppius ſibi contrarius.

Vnde ita concludo: Si verum eſt abeſſe non poſſe, quin Deus Principem ſui amantem & perfecto corde in ſe credentem,

Suis verbis refellitur.

tem,

tem, redamet & tueatur, neque ex omni memoriâ exemplum contrarium commemorari poteſt: ergo falſum eſt rationes proſperandi imperij à religione & pietate petitas non eſſe exploratò certas, & ſpectatiſſimæ pietatis Regibus parum proſperè plurima eueniſſe, cum eas rationes ſecuti ſunt. Ex ore igitur ſuo Scioppius falſi conuincitur, quia repugnantia tum hic, tum alibi aſſeruit, quæ cum ſimul vera eſſe non poſſint, aut alterutrum, aut vtrumq; falſum eſſe neceſſe eſt. Quod hic aſſerit, falſum eſſe demonſtrauimus, quod in Admonitione ad Lectorem & Claſſico contrarium ipſi excidit, rectè intellectum verum eſſe affirmamus.

Principum piorum proſperitas, quatenus certa.

Abeſſe nimirum non poſſe, quin Deus eos, qui piè imperant in conſeruando tuendoque iuſto & ſuo imperio adiuuet; neque ſinat principatum aut Rempublicam in quâ verâ Religio, ac juſtitia vigent, euerti aut inſolitis modis affligi; nullumque in contrarium exemplum commemorari poſſe. Cum verò Principes pij juſtam cauſſam piamque ſuſcipiunt in aliorum gratiam, aut quæ ad proprij imperij gubernationem conſeruationemque non ſpectat, aut vbi ſubditorum aliorumque

peccata nimis abundant: eſt quidem pijs conſilijs & conatibus ſuum in cælo præmium, in terris autem quandoque optatum ſucceſſum Deus ex cauſſis ſibi notis, veluti S. Ludouico, alijſque quibuſdam, non largitur: etſi eundem his quoque caſibus, Principibus verè pijs, imò & impijs frequentiſſimè concedat, ac frequenter pœnas ſubditorum aliorumque peccatis debitas, ipſorum pietati ac viciſſim peccata Principum, probitati ſubditorum aliorumque condonet. Quæ omnia exemplis demonſtraremus, niſi apud alios paſſim obuia eſſent, & alteri tempori reſeruanda putaremus.

Hâc cum moderatione, niſi Scioppius, quod ſui immemor rectè dicere viſus eſt, intellexit: vtrobique falſum dixit, idque more ſuo, neque inſolens fecit. Non cogitâſſe autem de hâc moderatione, ex cauſsâ colligo, quàm falſam in Lectoris admonitione aſſignat. Ideo enim aſſerit *Deum Principem ſui amantem, aduerſus inimicos tueri, quia iuſtus eſt.* Atqui verò Deus omni æuo multos ſui amantes, permiſit ab hoſtibus affligi, & vitâ rebuſque omnibus ſpoliari: neque tamen ideo iniuſtè, vel minus iuſtè cum illis egit, quia

Iuſtos quoque Deus affligit.

coronam

coronam iuſtitię integram,& cumulatiſſimam mercedem in cœlis,perſoluit omnibus diligentibus ſe: ſiue per proſpera, ſiue per aduerſa, ſiue per vtraque eò perueniant, vbi nulla eſſe poſſunt aduerſa.

Non itaque in Ius vocamus Deum, ſed conſeruationem humanæ Societatis, conuenientemq́; eius gubernationem, diuinæ prouidentiæ propriam, vti ſupra explicauimus, cenſemus eſſe cauſſam *à priori* vti loquimur: cur Deus Imperia, Principatus & Reſpublicas verâ Religione & virtute in ijs vigente, euerti, aut inſolitis modis affligi non ſinat, & ad imperij conſeruationem bene imperantibus ſemper aſſiſtat. Quod *à poſteriori* ſiue *effectu*, ex omnium temporum, gentiumq́; hiſtorijs confirmamus, ex quibus omnibus, neque vnum exemplum in contrarium commemorari poteſt. Hocq; ſenſu verum eſt, quod dixit, ſed non intellexit Scioppius.

Cur Deus bonas Reſpublicas proſperet.

§. VIII.

Pſeudopoliticorum praeceptorum fallaciam, eorum exemplis oſtendi, quos Machiauellus imitandos proponit; Moyſis autoritate illum abuti; Cyrum, Romulum, Theſeum miſerè interiiſſe.

VNde tandem apparet, quanto rationes proſperandi imperium, quæ vera re-

râ religione ac pietate nituntur,aut cum illâ congruunt, ſint certiores illis: quas nullâ religionis & virtutis, juſtitiæ maximè ratione habitâ, pro Ratione Status, Pſeudopolitici proponunt, ac perſuadere Principibus & Rebuſpublicis laborant. Has enim incertas & fallaces eſſe, eorum exempla demonſtrant, qui eas vel maximè obſeruârunt: neque alijs teſtibus, opus eſt, quàm ijs, quos Macchiauellus in exemplum producit, quique contra ipſum & omnes Pſeudopoliticos teſtimonium ampliſſimum ferunt.

Pſeudopolitica præcepta fallacia.

In Principe imitandos proponit Moyſen, Cyrum, Theſeum, Romulum, Principem Valentinum, ſeu Cæſarem Borgiam Alexandri VI. filium, Seuerum denique Imperatorem. In diſcurſibus de Republicâ antiquorum Romanorum actiones, veluti certiſſimam imperij conſeruandi amplificandique normam, vnicè commendat. Et l. 1. c. 9. Titum, Neruam, Traianum, Adrianum, Antoninum, & Marcum, tanquam bonos Principes, & omnibus caros laudat, imitandoſq́, obiter proponit. De ſingulis dicamus.

Macchiauellus exemplis id probat.

Dilectus quidem Deo, & hominibus fuit *Moyſes, cuius memoria, in benedictione eſt,*

Moyſes Deo dilectus.

Magni-

Magnificauit eum Dominus in timore inimicorum, & glorificauit illum in conſpectu regum. Eccleſ 45. v. 1. Sed non alijs ille artibus, quàm veris virtutibus Deo placuit, in cuius *domo fideliſſimus erat.* Numeri, 12. v. 7. Neque principatum ambiuit, ſed iuſſus accepit, & inter varios graueſq; caſus quadraginta annis, ſanctè & ex voluntate Dei geſſit. Quæ verò Macchiauellus in rem ſuam de eo comminiſcitur: falſa ſunt, & ſcripturis contraria, vt infra attingemus.

Cyro dixit Deus (Iſa. 44. v. 28 & 48. v. 1. & 4.) *Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Apprehendit dexteram illius, & ſubiecit ante faciem eius gentes, propter ſeruum ſuum Iacob, & Iſrael electum ſuum*, ad reædificandum templum eius in Ieruſalem, & ſoluendam captiuitatem populi ſui. Quod Eſaiæ vaticinium, & ex eo Deum verum, imperij ſui autorem, Danielis operâ cognouiſſe Cyrum, meritò cenſet Salianus tom. 5. Anno mundi 3517. n. 5. 6. *Cyrus initio felix, quia pius.*

Quare obſeruantiâ in Deum, eiuſque voluntate implendâ, in ædificio templi, cui ſumptus præbuit, & ſoluendâ Iudæorum captiuitate tantum Imperium na-

Infelix poſtea, quia Deo ingratus.

ctus, & auſpicatus eſt. Felix & magnus Princeps, ſed felicior futurus, ſi *Deum cœli*, quem *omnia regna terræ ſibi dediſſe*, prædicabat, 2 Paralip. 36. v. 23. & 1. Eſdræ 1. *corde perfecto* coluiſſet, abdicato idolorum cultu, & proſcripto. Quod quia terrenæ proſperitatis magnitudine abſorptus, non fecit, alijſq; inſuper vitijs ſe dedit: Imperium non poſt multos annos, à fœminâ capitali prælio ſuperatus, vnà cum vitâ amiſit: & cæſis ducentis Perſarum ſuorum millibus, neque nuntium tantæ cladis poſt ſe reliquit, vt refert Salianus Anno Mundi, 3323. n. 3.

Theſeus infelix.

Theſeus magis fabulis, quam rebus geſtis clarus, vitijs adhæc infamis, cum multis in regno periculis & laboribus defunctus eſſet: ſenior denique patriâ regnoq; pulſus, in Scyrum inſulam nauigauit, vbi & perijt, à rege Lycomede, vt quidam tradunt, interfectus, aut vt alij malunt, ex loco edito delapſus, Plutarcho teſte.

Romulus caput ſceleratorum, & fratricida.

Romulus infamiâ aſyli Romam fundauit. Vnde vt ait Cypr. lib. de idol. vanit. *Si ad Originem Imperij Romani redeas, erubeſcas; populus de ſceleribus & nocentibus congregatur, & aſylo conſtituto facit numerum, impunitas criminum.* Deinde teſte

Cice-

Cicerone lib. 3. de officijs, *cum ei viſum eſſet vtilius ſolum, quàm cum altero regnare, fratrem interemit.* Cui parricidio impiè patrocinatur Macchiauellus, vt infra dicemus. Denique cum regnâſſet annis triginta, multis per iniuriam geſtis, vt patet ex raptu Sabinarum, quem damnat S. Aug. l. 2. de ciu. c. 17. diſcerptus à Senatu eſt ob aſperius ingenium, & faſtum ex ſecundo rerum curſu conceptum; vt plerique Romanæ hiſtoriæ ſcriptores fatentur, Liuius, Plutarchus, Dionyſius, Valerius l. 5. c. 3. *Diſcreptus à ſenatu.*

§. IX.

Principi Valentino, artes quas Macchiauellus probat, ipſomet teſte, nihil adiumenti attuliſſe.

DE Principe Valentino, ſiue Cæſare Borgiâ, Alexandri VI. Pontificis filio, Macchiauellum audiamus, ne aliquid ipſi affingere videamur. Cap. 7 Principis. *Quæ enim* ait, *meliora nouo Principi præcepta tradi poßint, quam eius actionum exempla, equidem non video. Atqui ſi eius diſpoſitio rerum ei nihil adiumenti attulit, id non eius culpâ accidit: ſed extraordinariâ quâdam, & extremâ fortunæ malignitate, &c.*

Valentini fraudes & cædes.

Gallia exterorumque diffiſus opibus, totus ad fallacias fraudeſq; ſtruendas ſe conuertit, ac eouſq; animum ſimulatum geßit, vt Urſini ſecum autore Paulo, in gratiam redierint,&c. Sic vt eorum imperita ſimplicitas, eos Senogalliam occidendos attraxerit,&c. Illud ei dubium erat, an nouus dignitatis Pontificiæ ſucceſſor ei futurus eſſet amicus: & quæ Pater Alexander conceſſerat, ei adimere tentaret. Vt autem hoc ſe metu liberaret, quaduplici id ratione moliri cogitabat.

Crudelitas.

Primùm omnium, vt quos diſpoliâſſet nobiles, eorum totam ſtirpem exſcinderet, quò omnes lædendi ſui occaſiones futuro Pontifici præriperet. Præterea, vt omnibus Romanis Patritiæ gentis amicitiâ deuinctis, eorum ope Pontificis animum fræno compeſceret. Deinde ſacerdotum Collegium ad ſe, omni quâ poſſet ratione pertraheret, ſibique conciliaret. Tum demum tantum imperij, ante obitum Patris ſibi adiungeret, quanto ſuo Marte, primæ cuique impreßioni poſſet reſiſtere. Ad finem vſque horum tria, cum Alexander mortem obiret, perduxerat, quartum penè confecerat,&c. Sed quintum annum, ex quo gladium diſtringere cæperat, Alexander naturæ conceßit. Illo dumtaxat in Flaminia imperio probè firma-

Prudentia carnis Deo inimica.

to

to, catera dubio, lethali morbo correpto, inter duos potentiſsimorum regum exercitus ſibi infenſos, relicto, &c.

Iamque eo tempore, quo Iulius II. Pontifex Maximus fuerat creatus, mihi dixerat, ſe ad omnem rerum euentum, quem à Patris morte putaret, longè in poſterum proſpexiſſe, atque remedia comparâſſe. Illud vnum dumtaxat ſe præteriſſe, quod ſcilicet nunquam putârat ſub eius mortem, ſibi etiam cum morte eſſe confligendum. ***Stulta mortis oblinio.***

Omnibus itaque Principis Valentini harum rerum geſtarum rationibus in ſummam adductis, qua in re eum reprehendam non video. &c. Illud duntaxat ei crimini dari poſſe videtur, quod in cooptatione ad ſummum Pontificatum Iulij II. eligendi optionem arripuit non bonam. Nam ſi electionis Pontificiæ, quam expetebat, compos eſſe non poterat: id ſaltem ſibi integrum relinquebatur, vt impedire poſſet, quem ipſe nollet, &c. In errorem igitur delapſus erat Valentinus, in eo ipſo electionis genere, cauſſamque attulit, quâ omnibus tandem bonis, & fortunis ſuis euerteretur. ***Valentinus Macchiauello iudice innocens.***

Sed hoc Macchiauelli judicium inane eſt; nam ſperare non debuit Valentinus,

ſeu

ſeu Julium II., ſeu quemcunque parentis Succeſſorem, ipſi terras Eccleſiæ conceſſurum, & in gratiam Cæſaris Borgiæ, patrimonio S. Petri ſe abdicaturum.

§. X.

Seuerum Imperatorem, qui Macchiauello iudice, Leonis & Vulpeculæ perſonam præclarè geßit, mærore confectum: Romanos quoque multis modis infelices fuiſſe.

SEuerus, vti ſcribit idem Macchiauellus, cap. 19. principis, *cognitâ Iuliani Imperatoris ignauiâ, perſuaſit exercitui, cuius ipſe in Illyrico auctor erat, optimum fore, vt Romam Pertinacis Imperatoris cædem vindicaturi proficiſcerentur, à prætorianâ enim militum cohorte fuerat interfectus. Sub hac itaque ſpecie, ne ad imperium aſpirare videretur, exercitus contra Romam mouit, ac priùs in Italiam tranſmiſit, quam de illius ex Illyrico diſceſſu fuerit reſcitum.*

Seueri ambitio.

Cum autem Romam deueniſſet, Senatus metu adductus, Imperatorem illum Iuliano vitâ functo, declarauit. Poſt hac principia, duo ſupererant Seuero ad abſolutum imperium occupandum. Alterum in Aſiâ, vbi Niger exercituum Aſiæ præfectus, Imperatorem & ipſe ſe ſalutari iuſſerat; alterum in

occi-

occidente ab Albino, qui viciſſim de Imperio occupando animo cœperat agitare. Verùm cum perſpiceret periculoſum fore, ſi ſe in vtrumque hoſtem declararet, ſtatuit Nigrum adoriendum, Albinum verò dolo circumuenire, ad quem propterea literas dedit: cum à ſenatu, Imperij procuratio fuiſſet ſibi delata, ſe ſtatuiſſe eam dignitatem vtrique communem fieri. Atque Cæſaris titulo ad illum miſſo, ex ſenatus decreto illum ad Imperij procurationem collegam ſibi adiunxit. Perfidia.

Quæ omnia ab Albino pro veris bonâ fide fuerunt accepta. At Seuerus, deuicto atque interfecto Nigro, Orientiſq; rebus probè compoſitis, Romam reuerſus: contra Albinum, quod beneficij à ſe accepti immemor, in ſe cædem per proditionem perpetrandam eſſet molitus, apud Senatum conqueſtus eſt; ob idq; ſibi fore neceſſarium, vt eò ſe conferret, de illius ingratitudine meritas pœnas ſumpturus. Inde in Galliam ad illum profectus, vnà cum imperio vitam illi ademit.

Qui itaque huius viri res geſtas exactè animo reputabit, eum leonem ferociſſimum dicet, vulpeculamque maximè ſubdolam; aduerſuſque eum & timorem, & reuerentiam ab omnibus fuiſſe adhibitam. Et ab exercitu nec ſpretum, nec contemptum vn- Leo & Vulpes.

quam

quam fuiſſe intelliget, deſinetque mirari, ſi homo nouus cum eſſet, tam diu Imperium retinere potuerit. Nam ſumma eius dignitas & exiſtimatio, ſemper illum ab omni populorum odio, quod ex rapinis in ſe concipi potuiſſet.

Idem Macchiauellus teſte ſceleratus.

Hunc Seuerum, quem Macchiauellus hìc tantopere commendat, & Principibus imitandum proponit, lib. 1. de Rep. c. 10. malis & ſceleratis adnumerat. Etſi *quibuſdam*, ait, *malis ac ſceleratis contigit ſecundùm naturæ legem, ex hâc vitâ migrare, veluti Seuero*, id rurſus vel fortunæ proſperitati, vel alicui qualicunque tandem virtuti debuerunt.

Mœrore mortuus.

Sed Herodianus lib. 3. in fine, moerore magis, *quam morbo* defunctum eſſe, contra Macchiauellum affirmat. Quem jure infelicem quis dixerit, quod filius Antoninus ſæpius ipſum occidere tentârit, teſte etiam Dione. Eundem *cum membrorum omnium, maximè pedum, dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurima carnis auidius inuaſiſſe, quem cum conficere non poſſet, cruditate preſſum, expirâſſe*, teſtis eſt Sex. Aur. Victor in Epitome Imperatorum; eiuſdemque illud ſupremum dictum fuiſſe

me-

memorat, hiſt. abbreu. p. 2. *Cuncta fui, conducit nihil.*

Romani, quibus Deus excellentiſſimi Imperij gloriam conceſſit, vt ſupra diximus, quoſque Macchiauellus exemplar felicis ſapientiſque Reipublicæ, eſſe ſtatuit, innumeris domi foriſque, calamitatibus & cladibus afflicti ſunt, vti demonſtrat S. Aug. lib. 3. de ciu. Dei. Sed reſpondet Macchiauellus cum ſuis, hinc primam occaſionem & rationem conſeruandæ Reipublicæ emerſiſſe, & *niſi aſſiduis ſibiq; continuò ſuccedentibus bellis, Romanum Imperium tam longè lateq; non potuiſſe augeri, & tantâ gloriâ diffamari,* vt ex mente illorum ait S. Aug. c. 10.

Romani domi foriſq; afflicti.

Verum idem ipſe eo loco, & lib. 4. cap. 3. oſtendit non poſſe dici felices, *qui ſemper in bellicis cladibus & in ſanguine ciuili vel hoſtili, tamen humano, cum tenebroſo timore & cruentâ cupiditate verſantur, quantâlibet imperij magnitudine ac latitudine glorientur.* Accedit illos dolo malo frequenter in imperio amplificando, vſos eſſe: quorum fraudem in ſocijs in ſeruitutē redigendis ipſe Macchiauellus commemorat, & creſcere volentibus, veluti neceſſariam malus conſiliarius ſuadet.

Felices dici non poſſunt.

De

De illis Cæſaribus, quos l. 1. c. 9. laudat, nihil attinet dicere, cum illos obiter inſerat, neque ex inſtituto Principi proponat. Addo illos quoque, multis ſceleribus infames fuiſſe, vt neque verè boni, neque ſolidè felices haberi poſſint.

§. XI.

Præferendas tam triſtibus exemplis, virtutis ac pietatis artes; his imminentem licet peccatis vindictam, auerti aut mitigari, quam Pſeudopolitica conſilia magis exaſperant.

Ex iis, quos Macchiauellus in exemplum proponit, nemo felix.

HIſce igitur omnibus ſub vno aſpectu poſitis, cum ex ijs, quos Macchiauellus in Pſeudopoliticæ ſapientiæ ac proſperitatis exemplum præcipuè proponit, felix exitus nulli contigerit; Romana autem Reſpublica, ſuorum ciuium domi macellum, foris carnificina fuerit, libertatem ipſam denique amiſerit; manifeſtum eſt non ſolum Rationes proſperandi Imperium, quæ ad Religionis virtutiſque Regulam non accommodantur, fallaces & incertas, adeóque à verâ Politicâ alienas, ſed etiam infelices & funeſtas eſſe; cum ijs omnibus accuratè obſeruatis, demum ad Cyri caput in vtre ſanguinis innatans, ad Theſei exilium, & ſeu cædem, ſeu præcipitium,

tium, ad Romuli diſcerpti fruſta, ad Valentini Principis infortunatos exitus, ad Seueri Imperatoris mœrorem & deſperationem, ad Romanorum ſeruitutem, aut ſi omnia temporalia ſucceſſerint, ad æterna denique ſupplicia perueniatur.

Deliberet nunc Princeps aut Reſpublica, vtrum Macchiauelli vias cum certo vitæ æternæ diſpendio, huius autem vitæ incerto & maximè dubio ſucceſſu ingredi: aut potius in conſilio habere Deum ac religionem velit, felicitatis æternæ ſecurus, imò & temporalis: aut certè ſecurior, quàm ſi omnes Macchiauelli aliorumque Pſeudopoliticorum regulas examuſſim obſeruaret.

Neque id ſollicitos habere debet, quod occulta Principum ſubditorumq; delicta, & ignota nobis diuinæ iuſtitiæ menſura, fiduciam boni ſucceſſus etiam pijſſimis conſilijs videtur adimere: nam ſemper vereri poſſumus, aliquid præteritarum, vel præſentium culparum ſubeſſe, quibus Deus infelicem aliquem euentum, aut calamitatem in pœnam decreuerit, quod S. Dauid in perduellione filij Abſolonis, alijque experti ſunt.

Verùm expendere oportet 1. Si Deus

Q vin-

Digitized by Google

Scrupuli tres exempti.

vindicem dexteram extendere decreuerit, eam Pſeudopoliticis artibus, cum Religione ac pietate pugnantibus non cohiberi, ſed magis prouocari. *Non eſt* enim *conſilium aduerſus Dominum*, & fruſtra Macchiauellitæ Senatus conſultum faciunt, vbi Deus intercedit. Cuius juſto judicio *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos,* quibus Pſeudopoliticæ vulpes Principatus & Reſpublicas fulcire laborant, & amplificare.

2. Cum Principes & Magiſtratus pietatem colunt, & impietati impunitatem non permittunt, ſed ſcelera graſſantia pro viribus coercent, non eſt quod de diuino auxilio diffidant, aut grauem inſolitamque vindictam formident. Non enim Reſpublica malè adminiſtratur, in quâ peccata committuntur, ſed in quâ peccantes non puniuntur.

Pænitentia aſylum.

3. Si Principes & Magiſtratus malè ſibi conſcij, ſubditorum quoque peccata multùm excreuiſſe intelligunt, Vera Religio pænitentiæ aſylum aperit; ad quod ſi confugiant, habent diuinæ iræ flectendæ præſens remedium, multoque certius quàm vllus Macchiauellus, aut alius Nu-

minis

minis irritandi non placandi Magiſter ſuggerere poteſt. Experti id ſunt ſæpius Iſraelitæ in libris Iudicum & Regum. item Niniuitæ, Ionæ. 3.

Atque hæc vberius dicenda fuerunt, vt demonſtraremus Rationes feliciter imperandi Religione & virtute ſubnixas, eſſe exploratò certas, aut nullas eis certiores: ideoque conſilia factaué Principum & Rerumpublicarum adhæc principia reuocari debere, ne damnum capiant, & corruant.

CAP. IV.

Secundum præcepta veræ Religionis & Virtutis, quæ in Theologiâ & Catechiſmo explicantur, in Politicâ & Republicâ, res decerni & geri debere.

§. I.

SVPPETIAE. Virtutis & Pietatis præcepta, in Theologiâ & Catechiſmo, non in Politicâ locum habere.

NOn hic nego, vtiliſſimè, vel dicam neceſſariò iſta Principi, tanquam homini & Chriſtiano præſcribi. Itaque ſuo loco & tempore id fieri debet. In Theologiâ, (quò & Catechiſmus, ſeu doctrinæ Chriſtianæ inſtitutio pertinet) & in Morali philoſophiâ ſimilia præ- *Scioppius Politicam profanat.*

cipi debent, non in Politicâ: niſi contra quàm ratio à Deo nobis data dictat, ſcientiarum artiumque fines tollere, & apædeuſiæ, confuſioni, tandemque obſcuritati & ignorantiæ munire viam velimus.

§. II.

VINDICIAE. Excluſâ virtutis curâ, Politicis neceßitatem ſcelerum imponi, & Politicam nihil honeſtatis habere.

VT plus nocent venena melle circumlita, & grauius fallunt, lupi ſub veſtimentis ouium, ità & improbi cum probitatem, ſimulant aut laudant. Hoc ipſum agit Scioppius, dum ait *vtiliſſimè, vel neceſſariò iſta*, pietatis ſcilicet ac Religionis principia ſeu præcepta, *Principi praſcribi.* Sed caue Lector ſub melle venenum, ſub oue lupum, quia dum hæc ex Politicâ proſcribit, & ad Theologiam, Catecheſin & Ethicam amandat, Politicis peccandi, licentiam concedit, imò neceſſitatem imponit.

Scioppius honeſtatem & religionem è Politicâ proſcribit.

Nam qui nullam honeſtatis & religionis rationem habere debet, vtpote rerum ab officio & inſtituto ſuo alienarum; ſed id ſolùm ſpectare cogitur vt externæ proſperitatis ſtatum tueatur, eum nullo diſcrimine quæcunque huic fini deſeruiunt, iuſta

iuſta iniuſta, licita illicita amplecti neceſſe eſt. Si enim iniuſta aut illicita refugiat, iuſtitiæ & virtutis rationem habet, adeoq; contra officium Politici facit, Scioppio Magiſtro, qui ex Macchiauelli lacunis peſtilentem hanc doctrinam hauſit. Is quippe lib. 3. de Republica c. 41. docet, *cum agitur de conſeruandâ Patriæ libertate, nihil eſſe debere, quod animos noſtros, in aliam ſententiam pertrahere queat. Neque ab hoc ſcopo auertere quenquam debere, iuſti iniuſti, crudelitatis, aut miſericordiæ, non deniq; laudis & ignominiæ notam.*

Macchiauelli lacunæ, Scioppii fontes.

Sed Politicos eſſe Chriſtianos, & probos viros Scioppius dicet, eoſque non quidem in Politicâ, in Theologiâ tamen Catecheſi & Ethicâ rectè agendi præcepta repoſita habere, eaque ſeruare. Atqui in primis magna hæc Politicæ infamia eſt, quod ipſa intra ſuos limites nihil honeſtatis habeat, ideoque neceſſitate quâdam impia etiam conſilia ſuſcipiat, cum diſciplinâ Chriſtianâ & bonis moribus pugnantia: modo ad conſeruationem bonorum fortunæ, quibus Ratio ſtatus Pſeudopolitici circumſcribitur, aliquid conferant.

Deinde cum Politici nominis vſur-

Pſeudopolitici Theologos contemnunt.

patores, magno ſupercilio, Theologos veluti à ſcholis puluerulentos, neq; rerum publicarum intelligentes contemnant; Catechiſticam autem doctrinam ſe indignam putent, vtpote qui dudum tergum & manum ferulæ ſubduxerint, neq; Ethicæ rationem habeant; manifeſtum eſt eos, quæ in Curiâ ſuâ, extra Religionis ac virtutis pomoeria contra jus ac fas propter rationem ſtatus decreuerint, ad Theologiæ, Catechiſmi aut Ethicæ regulam non correcturos, imò nec corrigere poſſe, ſi Politicorum leges à Macchiauello latas, à Scioppio defenſas ſequi velint. Nam hæ jubent, quâcunque demum ratione, Statum tueri: & ſolùm, cum commodum eſt, honeſtatis ſpecie & veluti laruâ iniquitatem occultare.

§. III.

Nihil licitum eſſe in verâ Politicâ, quod illicitum eſt in Theologiâ.

Infelix diſtinctio.

ATque hinc neceſſario manat infelix illa diſtinctio, de quâ ſupra mentionem fecimus, cum quædam Politicè vera ac licita eſſe contendunt, quæ Christianè & Theologicè falſa atque illicita eſſe negare non poſſunt. Quia verò tam duri oris non

non omnes ſunt, vt ea, quæ apertè legibus Chriſtianis & iuſtitiæ aduerſantur, Pſeudopolitico ſolum prætextu excuſare audeant; alteram ex rectâ (ſcilicet) animi intentione, diſtinctionem in prioris ſubſidium, comminiſcuntur.

Sed non eſſe quidquam licitum in verâ Politicâ, quod illicitū eſſe docet diſciplina Chriſtiana, vel Theologia, inde inprimis manifeſtum eſt; quia præcepta Decalogi, & Religionis Chriſtianæ omnes homines obligant, neque minus ad Reges eoſq; qui Rempublicam gerunt, quàm ad priuatos ſpectat illud: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Atque, vt in quouis imperio principes & ordines, tenentur ſeruare leges communes imperij & Imperatoris: ita Reges ac Principes terrarum, qui Vaſallorum inſtar, ſubſunt imperio diuino, tenentur ſupremi ſui Principis ac Domini Dominantium præcepta ſeruare, niſi æternum ſibi exitium accerſere velint. Non ergo poteſt Politicè licitum eſſe, quod prohibuit Deus, quia vera Politica, Deum ſupremum Principem ac legislatorem agnoſcit. *Refellitur ex præceptis Dei.*

Deinde Politicę vltimus finis eſt æterna ſalus ac beatitudo, vt ſuprà demonſtratū *Ex vltimo fine Politicæ.*

 eſt;

eſt; quidquid ergo ſaluti aduerſum eſſe Chriſtiana diſciplina & Theologia docent, à Politicâ quoque abhorret; neque enim vlli rei id conuenire poteſt, quod cum vltimo illius fine, ac ſummo bono pugnat.

Ex Philoſophiâ morali.

Denique cum Politicam conſtet partem eſſe Philoſophiæ moralis, quâ ad virtutem homines inſtituuntur, & in iiſdem rebus verſetur, in quibus prudentia, quæ virtus præcipua eſt: non poteſt, Politica præcipere aut probare ea, quæ Chriſtianis legibus, ac Theologicis regulis aduerſantur.

§. IV.

Quod ex ſe illicitum eſt, bonâ intentione licitum non fieri; Scioppium criminis, quod alijs obiicit, reum eſſe.

Hæc diſtinctio omnia ſcelera excuſat.

ALtera verò diſtinctio, omnibus ſceleribus excuſationem & patrocinium præbet. Siue enim quis iniuſtam vim aliorum rebus, vitæ, famæ afferat, ſiue adulterijs, ſtupris, omnibuſque flagitijs fræna laxet, habet paratam ex Pſeudopoliticâ defenſionem: ſi dicat commodi ſui cauſsâ & oblectationis iſta ſe factitare, non vt alteri cuiquam, & multò minus

nus Deo iniuriam inferat: diuinam offenſam alienumque damnum, præter ſuam mentem & per accidens ſuis factis adiungi, perinde vt Ratio Status damnum religionis & iuſtitiæ, præter intentionem ſubinde ſecum trahit; neque enim ſolùm nefas eſſe præcepta Dei tranſgredi voluptatis aut priuati commodi, ſed etiam regnandi cauſsâ.

Non eſt verò hæc purgatio Canonica, neq; legitima, ſed excogitata *ad excuſandas excuſationes in peccatis*, ſemper enim illicitum eſt, quod diuinis Chriſtianiſq; legibus repugnat, quocunque illud animo, quâcunque cauſsâ committas; nec vllam peccandi prærogatiuam Reges ac Principes acceperunt. Eſt quidem imperantis, imperium conſeruare ac tueri, ſed bonis artibus & ex præſcripto diuinarum legum; ab imperio enim diſcedere præſtat, quàm ab illis. Quod quia credere & facere animum non inducunt Politici, non mundum, ſed aliquam eius particulam, ditiunculam, vrbeculam aliquando quidem lucrantur, & ſæpius perdunt: cœli autem animæque ſuæ ſemper detrimentum patiuntur.

Non eſt hæc purgatio Canonica.

In Theologiis ergo, Catechiſmo, & E-

thicâ, quæ fidei, religionis & virtutis ſunt, non ſolùm præcipi, verùm, etiam explicari & probari: in Politicâ autē pro principijs aſſumi & ſupponi, hiſq; veluti regulis omnia conſilia dirigi, & corrigi debent. Quod quia facere vetat Scioppius, crimen quod alijs ſe melioribus impingit, ipſe committit: quia contra quàm ratio à Deo nobis data dictat, non ſolùm proximos peculiareſque artium fines peruertit, ſed vltimum etiam politicæ maximè finem tollit: & prima principia, quibus artium ſcientiarumq; omnium neruus continetur, aufert; adeoque veræ & meræ imperitiæ, confuſioni, & ignorantiæ viam munit, in Politicis præſertim, à quibus religionis, honeſtatis & virtutis curam, tanquam alienam remouet.

Scioppius fines & principia licentiarum, Politica præcipuè, peruertit.

§. V.

SVPPETIAE. Pietatis opinionem Politico curandam eſſe; ea enim conſeruari imperium, ſicut pietate ſeruatur anima.

SI quis autem dicat Politicus, Principem debere vſu Sacramentorum, orationibus & ſimilibus pietatis exercitijs religionis famam & opinionem ſibi parare nequaquam aliena docet. Nam opinio, ſeu fama pietatis conſeruat imperium, ſicut pietas ſeruat animam. Ac propterea,

Scioppius virtutem corporis adſcribit vmbra.

pterea, ſicut in acroaſi Theologicâ Princeps, vt animam ſeruet, iubetur eſſe verè pius, item in Politicâ Scholâ, vt ſtatum ſeruet, docetur exiſtimâri pius. *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra*, ait S. Auguſtinus Nam pietatis opinio amorem & reuerentiam Principi conciliat, quæ primariæ conſeruandi ſtatus cauſſæ ſunt, nam libenter ei homines parent, quem amant ac reuerentur.

§. VI.

VINDICIAE. Eandem à Macchiauello doctrinam tradi, ſed inconſtanter.

EAdem eſt Macchiauelli doctrina, cum in principe cap. 18. vult. *Principem ſe ità conſpiciendum audiendumq; exhibere, vt pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, & præſertim religionem, ſanctè colere videatur.* Cauſſam illam affert, quod *fere homines ſpecie magis & colore rerum, quàm rebus ipſis permoueantur & iudicent.* Vnde paulò poſt infert, *quaſcunq; rationes conſeruandi imperium, modo honeſti ſpeciem præſeferant, honore dignas laudibuſq; exiſtimatum iri.*

Sed neque in hoc errore ſibi conſtat hic errorum Magiſter, nam alibi apertè docet, opinionem virtutis & probitatis contemnendam, ſi ea imperio officiat. *Macchiauelli inconſtantia.*

Vt

Vt cum cap. 15 principio, jubet principem, *non multum laborare, ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facilè tueri poſſet.* Cap. 16. cenſet *Auaritiæ crimen, eiuſque nomen paruifaciendum; nam vitiorum id eſſe vnũ, quo minimè impeditur dominandi ratio.* Cap. 17. admonet, *vt Princeps exemplo Valentini nomen ſæuitiæ parui ducat.* Cap. 18. ait *virtutes* ſupra memoratas, *diſſimulandas eſſe ſæpenumero, callideq́ tegendas.* Denique l. 3. de Republicâ c. 41. concludit *ob conſeruandam patriæ libertatem, non iuſti aut iniuſti, nec crudelitatis, aut miſericordiæ, non denique laudis & ignominiæ notam ſeu quod idem eſt, opinionem refugiendam eſſe.*

Macchiauellus & Scioppius nec ad virtutem, nec ad eius opinionem ducunt.

Quæ eadem mens eſt Scioppij, vt ex dictis patet, & magis proximè patebit. Vnde perſpicuum eſt in Politicâ Scholâ Macchiauello Magiſtro, & Scioppio eius hypodidaſcalo, neque inſtitui Principem vt ſit verè pius neque vt exiſtimetur pius. Nam cum Ratio ſtatus id poſtulat, docetur nullius vitij notam reformidare. Solùm ergo per accidens, cum ſtatui conſeruando aut ampliando id conducit, curam opinionis & bonæ famæ commendant.

Confir-

Confirmant id exempla eorum, quos Macchiauellus præcipuè imitandos proponit, Valentini præſertim, & Seueri: qui perfidiâ, crudelitate, alijſque ſceleribus infames à verâ virtute eiuſque opinione, alieniſſimi fuerint; poteſt ergo ad faſtigium Politices his ducibus perueniri, abſq; vllâ virtutis & boni nominis curâ.

§. VII.

Opinione, ſeu famâ virtutis ſine ipsâ virtute, non conſeruari imperium; S. Auguſtinum Scioppio non ſuffragari.

NEque vllâ ratione verum eſt, *opinionem ſeu famam pietatis conſeruare imperium, ſicut pietas ſeruat animam.* Nam 1. Veram pietatem certa & infallibilis animæ ſalus ſequitur, *promiſsionem enim habet vita, quæ nunc eſt, & futura*, 1. Tim. 4. v. 8. Eiuſmodi promiſſionem conſeruandi Imperij, non habet opinio pietatis; non ergo conſeruat imperium, ſicut pietas ſeruat animam. *Pietati promiſſa ſalus.*

2. Vltimus finis Politicæ eſt æterna ſalus, quæ non opinione virtutis, ſed ipsâ virtute obtinetur; finis verò proximus & proprius, etiam ex mente Ariſtotelis vt ſupra oſtendimus, eſt vita ſocialis ſecundum *Politica virtutem ipſam, non ſolam eius opinionem docet.*

dum regulam virtutis eiuſq; legitima gubernatio; ergo Politica verâ fide duce, & Naturâ Magiſtrâ, cuius optimus interpres eſt Ariſtoteles, non ſolùm virtutis opinionem, ſed multò magis ipſam virtutem docet.

Opinio à virtute vim trahit.

3. Si vllam virtutis opinio vim habet in Politicâ, à virtute eam trahit, quæ cum abeſt, per ſe non amorem & reuerentiam Principi conciliat, ſed odium & contemptum; odiſſe enim & contemnere ſolemus eos, qui fallunt nos ſimulatione virtutis, & ſub laruâ vitia tegunt. Virtus ipſa amorem & honorem meretur ac parit. Quod in admonitione Lectoris Scioppius ſui immemor aſſeruit. *Politicus* inquit, *pietatem ante omnia Principi commendabit, quoniam ea hominum animos illi reddat propitios, vt cum ament, tum reuereantur, quibus duabus rebus imperium conſeruari palam eſt.* Loqui autem illum de verâ pietate non opinione pietatis, palàm eſt, quia mox ſubdit, *abeſſe non poſſe, quin Deus, cum iuſtus ſit, Principem ſui amantem & reuerentem redamet, & aduerſus inimicos tueatur, vnde eum ab hominibus reſpectari coliq; contingit.*

Scioppius ſui immemor.

Apertè ſibi repugnat.

Sed aduertè denuo manifeſtam repugnan-

gnantiam. Ad lectorem fatetur, *Pietatem, cum ingentes ad conſeruandum ſtatum vires habeat, omnino à Politico præcipi, & ante omnia Principi commendari debere:* hic autem paulò ante, non ſine ſtomacho contendit, in *Theologiâ, Catechiſmo, Ethicâ ſimilia præcipi debere, non in Politicâ.* An ergo vlla poteſt huius Grammatici eſſe autoritas, qui eodem ore toties flat & ſorbet.

4. Non eſt facile obtinere conſtantem virtutis famam ſolâ eius ſimulatione, præſertim in principatu; omnium enim oculi in Principem intenti ſunt; & vt neminem alium, certè famulos habet ſecretorum arbitros, per hos vitia occulta in vulgus emanant. Deinde cum regnandi cauſſa jus, fidem, pietatem aperte violat, etſi alijs in rebus colere videatur, famam opinionemque ſuam ipſe corrumpit: nemo enim verè probum eſſe credit, qui quâcunque de cauſsâ improbus eſſe eligit.

Bona opinio difficilis abſque virtute.

5. Simulatio virtutis ſiue hypocriſis, eſt graue vitium, quod in Phariſæis grauiter reprehendit Chriſtus, præſertim Matth. 23. neque immerito numerari poteſt inter *diuerſos dolos*, propter quos *transfertur regnum de gente in gentem.*

Eſt graue vitium.

Non

Non ergo conſeruat opinio pietatis imperium, ſed euertit, cum ex hypocriſi oritur; *ſpes enim hypocritæ peribit.* Iob. 8. v. 13.

S. Auguſtinus Scioppio non ſuffragatur.

S. Auguſtinus verò c. 22. de bono viduitatis, malè à Scioppio in teſtem falſitatis adducitur. Non enim de conſeruando imperio agit, ſed de bono exemplo, quod Chriſtiani omnes, & vel maximè ij qui imperant, alijs debent: quodque viduis eo loco impensè S. Doctor commendat. Neque bonam famam & opinionem à virtute ſeparat, ſed virtutis probitatiſq; vult primas eſſe partes, curam autem boni nominis propter alios adiungit. *Proinde* ait, *quiſquis à criminibus flagitiorum atque vitiorum, vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis autem etiam famam; & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra.* Hanc famam quæ virtutem, velut vmbra ſuum corpus ſequitur, vera Politica quidem docet, quia ad virtutem ducit, vnde illa ſequitur; ſed eam Scioppius & Macchiauellus non proponunt; curam enim bonæ famæ, ſine curâ bonæ vitæ præcipiunt, vt mox clariùs intelligetur.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Svppetiae. Peccare etiam Politicum, cum aliena loco tractat.

ALiena loco tractauit Politicus, ſi aut eadem ſæpius, aut, quæ prius dicere debuerat, dicat poſterius, aut viciſſim. Repræhenſionem igitur meretur, ſi cum prius dixiſſet, Tyrannidem eſſe turpem ac fugiendam, idem poſtea inculcet, quando non jam de Adiunctis Tyrannidis, ſed de cauſſis conſeruantibus diſputationem inſtituit.

§. IX.

Scioppium ſibi ipſi, & Macchiauello repugnare.

NOlo hærere in methodo Macchiauelli examinandâ; non eſſe verò exactam rerum diſpoſitionem in illius ſcriptis, facilè prudens Lector obſeruabit. Sed juuat Scioppij in dictis ſuis repugnantiam hic denuo notare, vt jam antè fecimus. Supra velut pro aris & focis contendebat, non eſſe Politici tractare de Tyrannidis turpitudine; hìc autem ſignificat Politico de eâ dicendum eſſe, cum de adiunctis Tyrannidis agit, non cum de cauſſis conſeruantibus diſputationem inſtituit. *Scioppius denuo ſecũ pugnat.*

Quâ in re Magiſtrum Macchiauellum denuo damnat; nam is, etſi in diſcurſibus, *Et cum Macchiauello.*

R de

de Republicâ inſtituendâ ac conſeruandâ ex profeſſo agit, prolixè tamen l. 1. c. 9. oſtendit *vituperandos eſſe, quicunque inſtituunt Tyrannidem*. Accedit verum non eſſe de omnibus adiunctis ſiue proprietatibus obiecti, ſimul vno loco tractari debere aut ſolere; inſpergitur illarum tractatio varijs locis, & ex ſuis cauſſis deducitur, prout rei natura poſtulat.

CAP. V.

Falsâ doctrinâ de Fine & Mediis Politicæ, à Pſeudopoliticorum Principe Macchiauello, veram Politicam euerti.

§. I.

SVPPETIAE. Falſa dicere Politicum, ſi ea, quæ præcipit, ſtatum de quo agit, mutant, vel perdunt.

FAlſa dixiſſe demonſtrabitur, ſi verbi gratiâ inter ſtatus conſeruandi cauſſas ea præcipit, quæ ſtatum mutant, ſiue perdunt. Nam cum ſtatus forma mutatur, quod fuerat ſtatus, eſſe deſinit. Ita Religio ac veræ virtutes non conſeruant, ſed perdunt, ſiue euertunt Tyrannidem. Nam ſi Tyrannus incipiat eſſe vir verè bonus, iuſtus ac pius, deſinit eſſe Tyrannus, & vel in priuatorum ordinem tranſit, vel in bonũ Principem mutatur. Ineptum igitur eſt, & imperiti iudicis Politicum reprehendere, quod Tyranno im-

no imperium conſeruare cupienti non veram pietatem ac virtutem, ſed ſimulationem pietatatis & virtutis præſcripſerit.

§. II.

VINDICIAE. Pſeudopoliticos non culpari, quod doceant Pſeudopolitias, vitiis & ſceleribus conſeruari, ſeu quod veram Politiam profeſſi, vitia & ſcelera doceant.

FAlſa plurima Scioppio cenſore & iudice dixit Macchiauellus, quia inter ſtatus conſeruandi cauſſas, ſiue rationes, plurima præcepit ac docuit, quæ legitimũ ſtatum mutant, ſiue perdunt. Nam & finem falſum Principibus ac Rebuſpublicis proponit, & media falſa aſſignat, quæ non ad veram ſtatus incolumitatem, ſed ſalutis æternæ diſpendium perducunt, vt mox palàm fiet.

Quod verò Scioppius inuehitur in *ineptos & imperitos iudices, qui Politicos reprehendunt, quod Tyranno imperium conſeruare cupienti non veram pietatem ac virtutem, ſed ſimulationem pietatis & virtutis præſcribant*, in ventos pugnat. Nemo enim ſapiens Politicis id vitio vertit, quod doceant Tyrannidem conſeruari improbitate iniuſtitiâ, ſimulatione & fraudibus; *Scioppius in ventos pugnat.*

ſicut nec Logici culpantur aut Theologi, cum illi ſophiſmata ex varijs vocum ac ſenſuum fallacijs effici, iſti verò illicitis corporis & animi actibus, peccata patrari docent. Nam hæc vbi abſunt, nec in Politicâ Tyrannis, nec in Logicâ ſophiſma, nec in Theologiâ peccatum locum habet.

Pſeudopolitici veram Politiam profitentur.

Eam igitur ob cauſſam boni ſcriptores malos, & probi Politici pſeudopoliticos damnant ac deteſtantur: quia; cum veræ reconditæque Politices Magiſterium ambitiosè profiteantur, & veri Principis ac optimæ Reipublicæ formam promittant, falſa maximeque noxia fraudulenter ſupponunt, & judicium de agendis ac fugiendis malignè deprauant.

Et cum illis Scioppius.

Scioppius certè, niſi admotis fidiculis, non fatebitur, ſe Tyrannidis Magiſtrum, eſſe, & tamen paucis abhinc lineis, vniuerſim veræ virtutis doctrinam veluti Theologiæ propriam, à Politica excludit: eique ſolam virtutis laruam & opinionem relinquit, non in Tyrannide ſolùm, verùm etiam rectâ Reipublicæ formâ; ad quam ſi pertinere cenſeret veræ virtutis doctrinam, eam vniuerſim à Politicâ alienam eſſe non aſſeruiſſet. Se ipſo igitur judice

dice Scioppius falſum dixit, quia falſas ſtatus legitimi conſeruandi cauſſas, à virtutis doctrinâ & curâ alienas præſcripſit: cum fieri non poſſit, vt Reſpublica recta alias cauſſas, quam virtuti conſentaneas habeat.

§. III.

Macchiauellum quoque veram & vtilem doctrinam profiteri ac polliceri, ſed alienam ab aliorum (Ariſtotelis & veritatis) ordine; ideoq́ principia communia, de fine & mediis peruertiſſe.

SEd demonſtremus Macchiauellum quoque, veræ legitimæque Reipublicæ, non vitioſæ doctrinam profiteri voluiſſe: vt celebre illud effugium eius aduocato præcludamus, abſurdi nihil eſſe, ſi de Tyrannide ac vitioſâ Reipublicæ formâ diſputans, vitioſos eius conſtituendæ ſeruandæque modos tradat.

Nam inprimis Macchiauellus l. 1. diſcurſuum cap. 9. Seuerè Tyrannnidem damnat, & cap. 8. Principis; acriter inſectatur *efferam ſæuitiam & inhumanitatem Agathoclis, cum infinitis pæne ac fœdiſſimis flagitijs coniunctam*, additq́; : *hac non pati, vt inter viros virtute præſtantes celebretur.* *Macchiauellus Tyrannidem damnat.*

Quibus ſimilia alibi inſpergit, vt l. 2. c. 2. l. 3. c. 5. & alibi.

Deinde cap. 15. Principis, ità de inſtituto ſuo loquitur: *Et quoniam* ait, *multos non ignoro in hoc genere ſcribendi operam dediſſe, vereor ne & ipſe ad ſcribendum animum de eiſdem, ſi intendam: id arroganter eſſe factum dicant, alienam præſertim, ſi à communi aliorum ordine, de hâc re diſputationem inſtituam. Verùm cum animus ſit ea ſcribere, quæ intelligenti vtilitatem afferunt, magis conſentaneum viſum eſt veritatem rei, quàm vel eius ſimulacrum, vel imaginem quandam ſequi. Et ſanè complures Reſpublicas & principatus quoſdam animo effinxerunt, qui nunquam ſub aſpectum vllum venerunt, tantùm abeſt, vt reuerâ extiterint, &c.*

Vtilia promittit, & noxia præſtat.

Nam tantùm abeſt ratio, quâ homines viuunt, ab eâ, quâ æquum eſſet, vt viuerent: vt qui negligit, quod ſit, ſecuturus, quod eſſet faciendum, is ſibi ruinam potius in addiſcendo accerſat, quàm quod ſuæ ſaluti conſultum velit. Qui enim virum bonum omnibus partibus profiteri ſtudet, eum certè inter tot non bonos periclitari neceſſe eſt. Neceſſarium eſt itaque Principi, vt perceptum habeat (ſi ſe ſaluum velit) *quâ ratione poſſit eſſe non bonus,*

Neceſſariũ putat eſſe non bonum.

bonus, idque pro rei neceßitate, in ſuum conuertat, vel non conuertat vſum. Et paulò poſt. *Quapropter poſthabitis, quæ de principe dumtaxat animo ſunt efficta, deque iis quæ vera ſunt, differens dico, &c.*

Ex quibus perſpicuum eſt, Macchiauellum non fictitiam & inutilem Reipublicæ aut Principatus formam, ſed veram & vtilem ſuâ opinione tractandā ſumpſiſſe. Deinde alienam ab aliorum ordine viam ingreſſum, quæ via ſeruandi imperij cauſſâ eò ducit, vt princeps etiam bonus in animum inducat eſſe non bonus, ſiue vt apertius loquar, ſceleratus. Quem ordinem neque Ariſtoteles, neque alij probi Politici antehac tenuerunt; nam etſi Tyrannorum, aliorumque vitiosè imperantium, regnandi imperandique vias, ſceleribus infames & expoſitas eſſe monſtrauerint: eas tamen Bonis Principibus, legitimiſque Rebuſpublicis clauſerunt, neque vllo prætextu peccandi licentiam apertam eſſe voluerunt.

Quare parum attenti fuerunt Leonardus Coquæus ad l. 2. S. Auguſtini de ciuitate Dei c. 21. & Lipſius lib. 4. Politicorum, ſiue ciuilis doctrinæ, cap. 14. cum ſcripſerunt Ariſtotelem l. 5. Polit. c. 11. *Ariſtoteles non permittit bono Principi eſſe non bonum,*

paullum ſe inclinare, & cenſere Principem moribus talem eſſe debere, vt aut planè bonus ſit, aut ſemibonus; nec malus omnino, ſed ſemi malus. Non enim eo loco de bono & legitimo Principe diſſerit Ariſtoteles, ſed de Tyranno, alteroque modo conſeruandi Tyrannidem: cum ea remittitur per ſimulationem ſiue imitationem regiæ & juſtæ gubernationis. Eiuſmodi Tyrannum vult Ariſtoteles, in rebus gerendis aut planè bonum ſe exhibere, quoad ratio conſeruandæ Tyrannidis patitur, aut certè non omnino & apertè malum, ne odium aut contemptum incurrat. Eſt ergo hæc via propria Macchiauelli, ab Ariſtotele, veritate, & ſalute tum imperantium, tum ſubditorum aliena.

Macchiauellus finem & media Politices peruertit.

Quod hinc denique confirmo, quia Macchiauellus prima veriſſimaque principia, de fine & medijs veræ Politicæ non ſolùm negligit, ſed etiam contraria fundamenta iacit, ac pro viribus tuetur. Quod facere abs re fuiſſet, ſi Tyrannidem & vitioſas dumtaxat Reipublicæ formas tractaret; manifeſtum enim eſt eos, qui malè imperant, à fine aut medijs boni imperij, aut ab vtroque aberrare. Sed in eorum gratiam, falſa eorum placita, prauaque

que

que principia bonus Politicus excuſare, vel propugnare non debet,

Macchiauellus igitur eò prolapſus eſt, vt putarit, imperium quibuſuis etiam malis artibus, cum bonæ non ſufficiunt, rectè legitimeque conſeruari: quod vt bonis quoque Principibus ac Rebuſpublicis perſuaderet, omnino neceſſe fuit, vt rectæ rationis ac gubernationis principia, tam quæ finem, quàm quæ media ſpectant, conuelleret: vtque hoc veluti frænum, quo rectè imperantes, ne imperij cauſsâ delinquant, continentur, de animis manibuſq; eorum extorqueret. Id ne per calumniam dixiſſe videar, quia locus & res poſtulat, quàm potero breuiſſimè planum faciam. *Cenſuit imperium malis artibus ſeruandum eſſe.*

§. IV.

Macchiauellum finem vltimum Politices, in imperio, & bonis externis conſtituere; ideoq; vitia neceſſaria putare; nec virtutis præcepta ſeria, & ſtabilia vlla dare poſſe.

DEmonſtrauimus ſupra ex principijs naturæ & fidei, finem vltimum veræ Politicæ eſſe beatitudinem æternam, proximum verò & proprium humanam Societatem ſecundum regulam virtutis rectè conſtitutam, eiuſque iuſtam gubernatio-

 nem,

nem, quæ bona externa potentiam, gloriam opes, pro inſtrumentis habet. Macchiauellus contra Finem vltimum eſſe ſtatuit Imperij conſeruationem aliaq; bona externa, Hinc in principe cap. 18. iubet Principem *vitam tueri, & imperium conſeruare, quibuſcunque rationibus, modò honeſti ſpeciem præſeferant.* cap. 15. *Aſſerit neceſſarium eſſe Principi, vt perceptum habeat (ſi ſe ſaluum velit) quâ ratione poßit eſſe non bonus.* Non autem intelligit ſalutem animæ, quam nec bonus amittit, nec non bonus acquirit, ſed ſalutem, ſiue incolumitatem ſtatus aut Imperij; cui tuendo, cum virtutes non ſemper ſufficere videantur, vitia in ſubſidium vocanda putat, adigente nimirum hominum improbitate, cui ſolis virtutibus reſiſti non ſatis poſſe autumat. Atque hinc menſuram neceſſitatis deſumit, quam toties in ore habet, & à virtutis legibus abſoluit.

Principi ad ſalutem animæ vitia neceſſaria non ſunt.

Enumeratis enim varijs Principum virtutibus & vitijs loco citato, ſubdit: *rem fore ſummis laudibus celebrandam, ſi omnibus his princeps eſſet ornatus, quæ ex iam dictis bona exiſtimantur. Verùm cum nec haberi, nec aduerſante humanæ vitæ conditione ſeruari poßint, neceſſarium eſſe.*

Macchiauellus non putat omnes virtutes poſſe ſeruari.

vti

vti eâ prudentiâ, quâ eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi poſſet, &c. & paulò poſt: *Nec multùm ſanè laboret, ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facilè tueri poſſet.*

Cap. 19. ait, *Principi ea fugienda, quæ infenſum & neglectum eum reddere poſſunt. Quoties autem hoc declinauerit, ſuas partes planè abſoluerit. Neque à cæteris infamiæ notis vllum, quod ſibi immineat, periculum offendet*; quia ſcilicet amore & reuerentiâ imperia conſeruantur, odio & contemptu amittuntur. Paulò poſt aduertit, *honeſtæ æquè, ac turpis vitæ factis odium conciliari. Quocirca* ait, *princeps imperium qui ſaluum velit, cogitur nonnunquam eſſe non bonus.* *Alia ipſius peruerſa principia.*

Cap. 25. ait, *homines in ijs rebus, quibus ad finem deducantur, (quem finem ob oculos propoſitum habent, nempe gloriam & opes) non vnâ ratione deliberare.*

Denique l. 3 diſcurſ. de Rep. cap. 41. docet, *cuiuſuis ciuis, qui Reipublicæ bene conſultum cupit, officium eſſe, nempe vt ſpectet ad conſeruandam Patriæ libertatem. De quâ cum agitur, nihil eſſe debere, quod animos noſtros in aliam ſententiam pertrahere*

here queat. Neque ab hoc ſcopo auertere quenquam debere, iuſti iniuſti, crudelitatis aut miſericordiæ, non denique laudis aut ignominiæ notam.

Finem vltimum in bonis externis conſtituit.

Ex quibus manifeſtum eſt Macchiauellum finem vltimum, adeoque ſummũ Politices bonum, in Imperio alijſque fortunæ bonis conſtituere: & peruerſo ordine, ipſam etiam virtutem, aut potius eius ſimulationem inter inſtrumenta referre. Eſt enim vltimus finis ſiue Summũ bonum, vt ex Ariſtotele, 1. Ethic. cap. 7. colligitur: *Cuius cauſsâ reliqua aguntur; & quod ſemper propter ſe, nunquam propter aliud expetitur.*

Virtutem ad Imperium, nõ imperium ad virtutem refert.

Cum autem Macchiauellus Imperij cauſsa, ſi eius incolumitas poſtulet, jubeat Principem non bonum eſſe, & à virtute diſcedere, & nolit à tuendâ Patriæ libertate vllâ re ſeu iuſtâ ſeu iniuſtâ, animos abſtrahi; neceſſariò ſentit Imperij tuendi cauſsâ omnia agi & ſuſcipi, adeoque virtutem ad Imperium, non Imperium ad virtutem referri debere. Neque ſublata virtute, quam propter rationem ſtatus violandam putat, habet præſtantiorem finem, quem Politicis proponat, quàm Imperium honorem & gloriam, quæ inter bona

bona externa ſunt potiſſima. Quare cum Macchiauello Magiſtro hæc ad bona interna, & veram virtutem, eiuſque in cœlo prœmium, veram beatitudinem referri nequeant: planum eſt in ijs finem vltimũ, etſi falſum & fallacem, peſtilenti errore ab eodem collocari.

Quæ doctrina inter diſciplinas referri debet, quæ teſte Cicerone l. 1. de officijs, *propoſitis malorum & bonorum finibus officium omne peruertunt. Nam qui ſummum bonum ſic inſtituit, vt nihil habeat cum virtute coniunctum, idque ſuis commodis, ſiue imperij potentiâ & incolumitate metitur; hic ſi ipſe ſibi conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur: fit, vt neq; amicitiam colere poßit, nec iuſtitiam nec liberalitatem*, ac minimè omnium veram pietatem & religionem. *Eiuſmodi diſciplinæ igitur*, vt paulò poſt idem Cicero ait, *ſi ſibi conſentaneæ eſſe velint, de officio boni hominis aut Politici nihil queunt dicere. Neque vlla officij præcepta firma, ſtabilia, coniuncta naturæ tradi poſſunt, niſi aut ab ijs, qui ſolam, aut ab ijs qui maximè honeſtatem propter ſe dicant expetendam*, & omnia ſecundùm eius regulas agenda & metienda cenſent. Nam qui Imperium aut princi-

Eius doctrina officium omne peruertit.

De virtute nihil firmũ & ſtabile docere poteſt.

pa-

patum, pro ſupremo fine proponit, etſi virtutem laudet ſubinde aut ſuadeat, omnem illius ſtatum rurſus euertit: cum ab eâ vrgente neceſſitate conſeruandi imperij, ad vitia & quæuis facinora tranſiri debere exiſtimat; eoque grauius & facilius fallit incautos, quod neceſſitatem ſceleribus prætexit.

§. V.

Mediorum quoque rationem, vniuerſim à Macchiauello corrumpi, quia malefacta ſeu ſcelera, bono fine & euentu, ſemper excuſare docet.

NEque ſolum Falſum Politicæ finem præfixit Macchiauellus, ſed vniuerſim quoque mediorum rationem corrupit, quia Ratione ſtatus aut Imperij exigente, vitia quoque ac ſcelera pro medijs præſcripſit. Vnde non tantùm hinc miſeri ſunt Pſeudopolitici, quia Magiſter eorum peccandi licentiam eis concedit, verùm & inde quia neceſſitatem imponit; quaſi vlla queat eſſe neceſſitas Deum offendendi, & terræ cauſsâ cælum amittendi: quod qui cuiuſuis imperij aut boni caduci jacturâ redimere non decernit, is ſalutem ſuam æſtimare neſcit.

Sed quia vidit, difficilè obliterari poſ-

ſe prin-

ſe principia naturæ & gratiæ, humanis Chriſtianiſque mentibus inſita, quæ iubent vniuerſim *declinare à malo, & facere bonum*, aſſerere auſus eſt malum boni cauſsâ admiſſum, ſeu malum medium ad bonum finem, qualem eſſe ſtatuit Imperij conſeruationem, deſtinatum, bonum eſſe ac æſtimari debere. Adnumero verba Macchiauelli, ne verba dare videar, ex lib. 1. diſcurſ. c. 9. vbi parricidium Romuli in fratrem commiſſum excuſat.

Principium naturæ & gratiæ, Declina à malo, & fac bonum.

Quicunq; igitur prudens eſt inquit, *idemq́; ità Rempublicam inſtituere cupit, vt publicæ vtilitati potius, quàm ſibi proſit, & patriæ toti potius, quàm ſuis poſteris: in id incumbere debet, vt ſolus potentiam habeat, nouas illas leges & ferendi, & rogandi. Neque quiſquam prudens, quenquam facilè accuſare debet, qui vt ſolus Rempublicam aliquam inſtituere poßit, inſolens aliquod factum patrauerit. Aut ſi maximè factum ipſum damnet, ex ipſo tamen ſcopo & fine, qui inde conſequitur, idem ipſum excuſet. Nam bonus euentus, vt qui ex cæde Romuli ſecutus eſt, factum ſemper excuſat. Neq; is qui benefaciendi, ſed is, qui malefaciendi cauſsâ vim infert, reprehenſione, dignus eſt.* Quibus conſonant illæ Tragici poetę voces.

Bonus finis Macchiauello Magiſtro factum ſemper excuſat.

voces, in Hippolyto: *Honeſta quædam ſcelera, ſucceſſus facit*, & in Hercule furente: *Proſperum ac felix ſcelus, virtus vocatur.* Sed hæc in ſcenâ, non in verâ Politicâ, veniam & locum habere poſſunt.

§. VI.

Hunc errorem repugnare SS. Scripturis; inter hæreſes Priſcillianiſtarum, referri & refelli à S. Auguſtino; à Macchiauello non ſolis periuriis & mendaciis, quæ religionis cauſſâ concedebant Priſcillianiſtæ, ſed omnibus vitiis, & ſceleribus licentiam dari.

HVic peruerſiſſimo principio, in quo præcipuus Pſeudopolitiæ cardo vertitur, oppono S. Paulum, deteſtantem eos qui dicunt: *Faciamus mala, vt veniant bona*, Rom. 3. v. huiuſque erroris opinionem à ſe longè amolientem. Quem eundem errorem iniuſtæ veritatis telo, & robuſtiſſimâ eloquentiâ dudum quoq; iugulauit S. Auguſt. l. contra Mendacium. cap. 7. his verbis.

Non ſunt facienda mala, vt veniant bona.

Intereſt quidem plurimùm ait, *quâ cauſſâ, quo fine, quâ intentione quid fiat. Sed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda ſunt. Ea quippe opera hominum, ſicuti cauſſas habuerint bonas, ſeu*

Quæ per ſe peccata non

ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus bonum opus eſt, ſi ſit cauſſâ miſericordiæ, cum rectâ fide. Sicut concubitus coniugalis, quando fit cauſſa generandi, ſi eâ fide, fiat, vt gignantur regenerandi. Hæc atq; huiuſmodi ſecundùm ſuas cauſſas opera ſunt bona, vel mala, quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſſas in peccata vertuntur. Velut ſi iactantiæ cauſſâ pauper paſcitur, aut laſciuiæ cauſſâ cum vxore concumbitur; aut filij generantur, non vt Deo, ſed Diabolo nutriantur.

ſunt, bonus aut malus finis, bona aut mala facit.

Cum vero iam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel cætera talia; quis eſt, qui dicat cauſſis bonis eſſe facienda, vt vel peccata non ſint, vel quod eſt abſurdius iuſta peccata ſint? Quis eſt qui dicat, vt habeamus, quod demus pauperibus, faciamus furta diuitibus, aut teſtimonia falſa vendamus? &c. Et paulò poſt:

Quæ peccata ſunt, bono fine excuſari non poſſunt.

Si quidem non ſolùm ipſum furtum, verum etiam falſum teſtimonium & adulterium, & omne opus malum non erit malum, ſed bonum, ſi ea cauſſâ perpetretur, vt ſit, vnde fiat bonum. Quis iſta dicat, niſi qui res humanas, omneſq; conatur mores legeſq; ſubuertere?

Ne omnia ſcelera fiãt licita.

Quod enim ſceleratiſſimum facinus, quod turpiſſimum flagitium, quod impiiſſimum ſacrilegium, non dicatur fieri poſſe rectè atq; iuſtè, nec impunè tantùm verùm etiam gloriosè, vt in eo perpetrando non ſolùm ſupplicia nulla timeantur, ſed ſperentur & præmia: ſi ſemel conceſſerimus in omnibus malis operibus hominum, ideo non quid fiat, ſed quare fiat eſſe quærendum, vt quæcunque propter bonas cauſſas facta inueniuntur, nec ipſa mala eſſe iudicentur.

Hæc S. Auguſtinus eo libro, quem vti ipſe aſſerit l. 1. Retractationum cap. 60. ſcripſit eâ cauſsâ, *quod ad Priſcillianiſtas hæreticos inueſtigandos, qui hæreſim ſuam non ſolùm negando atque mentiendo, verum etiam peierando exiſtimant occulendam: viſum eſt quibuſdam Catholicis Priſcillianiſtas ſe debere ſimulare, & mendaciis eos de ſuis latebris eruere.* Vnde apparet Macchiauellum erroris ſui non alios autores laudare poſſe, quàm Priſcillianiſtas hæreticos, & ex *Zelo non ſecundum ſcientiam* errantes Catholicos, à S. Auguſtino refutatos.

Macchiauellus Priſcillianiſtas erroris ſui autores habet.

Sed vtroſque improbi erroris peruerſitate ſuperauit Pſeudopoliticorum Iuppiter. Nam quam illi veniam ſolùm mendacijs

Eos ſuperat.

dacijs & periurijs, boni religioſique finis prætextu dederunt, (etſi rectè S. Auguſtinus, omnibus ſceleribus hinc viam aperiri euincat,) eandem licentiam Macchiauellus apertè, & ſine rubore omnibus vitijs ac flagitijs concedit: cum generatim facta damnabilia, ex bono ſcopo & euentu excuſare iubet, & ſemper excuſari contendit.

§. VII.

Etiam Ariſtotelem, rectæ rationis & naturæ interpretem aduerſari.

ADuerſus quas improbas voces, poſt Fidei & gratiæ Magiſtros, lubet etiam audire, rectæ rationis & naturæ interpretem Ariſtotelem. Is lib. 2. Ethic. c. 7. ait, *quædam in ipſo ſtatim nomine malitiam inuoluere, vt gaudium de malo, impudentiam, inuidiam, & in actionibus adulterium, furtum, homicidium. Hæc enim omnia & ſimilia dicuntur per ſe mala, non propter exceſſum aut defectum. Nunquam igitur in his rectè fit, ſed ſemper peccatur. Neque circa talia bene aut non bene agere contingit ex eo: quod oportet, vel quando, vel quomodo oportet adulterare. Sed ſimpliciter quodcunque horum facere, peccare eſt*; quocun- *In iis, quæ ſunt per ſe mala, ſemper peccatur.*

 que

que fine, & quibuſcunque circumſtantijs id fiat.

Quod de fine clarius affirmat lib. 6. Ethic. cap. 9. *Videtur autem* ait, *bonum aliquod, bene conſultare; ea enim rectitudo conſilij eſt bona conſultatio, quæ boni compotes facit. Sed contingit illud etiam falſo ſyllogiſmo aſſequi: & aſſequi quidem, quod oportet, non autem per quod oportet, ſed medium terminum fallacem eſſe. Quare nequaquam ea eſt bona conſultatio, quâ obtinetur quidem quod oportet, at non per quod oportet.* Repugnat ergo Ariſtoteli Macchiauellus, dum illud quod oportet, ſeu bonum finem putat rectè obtineri per id, per quod non oportet, ſiue malum medium.

Recta ratio Macchiauello aduerſatur.

Quod ipſa recta ratio auerſatur, nam vt præclarè docet idem Ariſtoteles lib. 7. Polit. c. 13. *Duo ſunt, in quibus bonum omnium ſitum eſt. Vnum quidem, vt ſcopus & finis actionum rectè habeat, alterum, vt quæ ad finem ferunt actiones, inueniantur. Contingit enim hæc conſonare inter ſe, & diſſonare. Aliquando enim ſcopus quidem bene habet; at in agendo à conſecutione aberrant. aliquando vero omnia quidem, quæ ad finem ducunt, conſequuntur, ſed finem*

nem malum ponunt. aliquando autem in vtroq; peccant, vt Macchiauellus. Qui non ſolùm falſa media, ſed & falſum finē aſſignauit, dominatum nempe & bona externa: quæ niſi in obſequium virtutis redigantur, bona eſſe non poſſunt. Bonum enim minus quod maiori bono præponitur, aut ad illud non refertur: vel nocet, vel parum prodeſt; imò malum fit, quia contra ordinem rectæ rationis diligitur.

Non ſolum ergo vitijs ac ſceleribus Macchiauellus latiſſimam portam aperit, ea inter media & inſtrumenta Politices recipiendo: ſed ſi qua bona ac vtilia tradit, ea ad finem falſum ac malum referendo, vana & inutilia efficit. Etſi enim incolumitas Imperij, bonum quoddam eſt, ſi ſecundum leges diuinas & rectæ rationis regulam quæritur aut retinetur: at eſt is finis malus, ſi præcipuus eſt, ideoque ipſa etiam bona ad ſe relata corrumpit. Quo pacto opera bona ad inanem gloriã aucupandam, à Phariſæis alijſque Hypocritis edi ſolita Chriſtus ſæpe damnat, vt Matth. 6. & 23. Accedit bona Pſeudopoliticorum non ſolùm ex fine vano maloque, ſed inde etiam deprauari, quod in omnium ſcelerum inſtrumenta, ea con-

Dominatus eſt finis malus, ſi præcipuus.

uertant, quibus ad finem illum nituntur.

§. VIII.

Macchiauellum eiusq; patronos, ob fontes Politica corruptos, nullâ ratione excuſari poſſe; eius ſcripta ſine timore Dei, & pluſquam mediocri peritiâ, innoxiè non legi.

HÆc qui conſiderat, non habet, vnde hunc autorem eiuſque patronos excuſet, quia prima Politicæ principia, finem & media: adeoque ipſos ſcientiæ huius fontes veneno infecit, vt nihil ſincerum aut ſalubre inde manare poſſit. Aut enim ſecundum ſe malum eſt quod docet: aut ſi boni ſpeciem habet, ad finem malũ ac vanum ab eo relatum, malum & vanũ redditur. Vnde fieri nequit, vt qui Macchiauelli ſcripta ſine timore Dei & pluſquam vulgari peritiâ lectitant, non multum improbitatis, ac plurimum vanitatis inde hauriant; diſcunt enim veræ virtutis, Chriſtianæque pietatis principia aut contemnere, aut in dubium vocare, & quod conſequens eſt, humana diuinaque jura peruertere.

Macchiauellus aut mala docet, aut bona malo fine corrumpit.

Quæ dum cogito, cum S. Auguſtino lib. contra mendacium ſub finem, cap. exclamare libet: *O vbi eſtis, fontes lacrymarum?*

rum? Et quid faciemus? quo ibimus? vbi nos occultabimus ab irâ veritatis, & diuinæ iuſtitiæ, *ſi non ſolùm negligimus cauere mendacia*, aliaque vitia, *ſed audemus inſuper docere* & diſcere periuria, ac quæuis ſcelera: ſpecioſo falſoq; boni finis prætextu, quem ad *excuſandas excuſationes in peccatis*, cum incredibili Chriſtiani orbis damno, Pſeudopolitici excogitârunt.

Cap. VI.

Sceleratæ rationes imperium comparandi & conſeruandi, quas Macchiauellus ſpeciatim tradidit.

VErùm poſt tam venenatam ſcaturiginem, riuulos quoque peſtilentes, quos inde deriuauit Macchiauellus, intento velut digito demonſtremus: ſiue, quæ vitia ac mala facinora ſingillatim doceat, indicemus. Etſi id opus non eſſe videatur, quia nullam vitij aut ſceleris ſpeciem excludere poteſt, qui generatim prætextu conſeruandi Imperij, fanda nefanda Pſeudopoliticis conceſſit.

§. I.

EX PRINCIPE

I. *Non poſſe meliora nouo Principi præcepta dari, quàm Principis Valentini exempla, quæ ſceleribus ſcatent.*

CAP. VII. Ait ſe non videre, *quæ meliora nouo principi præcepta tradi poſſent, quam actionum Valentini Principis exempla.* Paulo autem poſt aſſerit, eum *totum ad fallacias fraudesq́ ſtruendas ſe conuertiſſe Vrſinos ſimulatâ amicitiâ deceptos Senogalliæ occidiſſe; Nobilium quos diſpoliaſſet totam ſtirpem excidiſſe, &c. Neq́ videre ſe, quâ in re eum reprehendat, omnibus potius imitandum proponi, qui ad imperia fortunâ duce, & alienis armis ſunt prouecti.*

Illud dumtaxat ei crimini dat, quod *Iulij II. Pontificis electionem non impedierit*, cùm nullo iure id facere licuerit. Quod tamen ſi Valentinus feciſſet, tanquam medium ad rationem ſtatus peridoneum Macchiauellus laudâſſet.

II. *Crudelitatem rectè adhiberi, ſi ſemel & ſimul effundatur.*

CAP. VIII. Eorum, qui ſcelere ad principatum ſunt prouecti, duo proponit

nit exempla, vnum vetus Agathodis Siculi, alterum recens Oliuerotti Firmani. *Imitari enim cupientibus, ſi rei neceßitas ad id adegerit, ea ſatis eſſe* judicat, imò imitando indicat. Neceſſitas enim conſeruandi vel ſtabiliendi imperij, ex ipſius doctrinâ quæuis ſcelera licita facit. Nihil verò cauſſæ eſt, cur hos potius, quàm Valentinum ſceleratos dicat; cum etiam hic ipſo Macchiauello teſte, fallacijs, fraudibus, cædibus & crudelitate ad principatum prouectus ſit.

Ibidem cenſet *eam crudelitatem rectè adhibitam dici poſſe (ſi quod malum eſt, de eo quid boni pronunciari daretur) cum quis neceßitate adactus, ſemel tantum crudelitatem exercet, ſiue omnem vim ſæuiendi ſimul effundit; eam autem perperam adhiberi, quæ initio etſi rara eſt, multiplicatur tamen progreſſu temporis citius, quam extinguatur.* Vbi mouere non debet fallax parenthesis, quâ malam crudelitatem dicere videtur; de malo enim, quod bono fine fit, nimirum ob rationem ſtatus, ex Macchiauelli ſententiâ pronuntiari poteſt, bonum eſſe. Quare nullum vitium ſincerè & conſtanter ab eo reprehenditur; quia ſi ad Rationem ſtatus pertineat, bonum & *Fallax parentheſis.*

laudabile putat; ideoque quos vnâ manu à ſceleribus abigere videtur, eoſdem alterâ aduocat.

III. *Eum qui negligit, quod fit, ſecuturus, quod eſſet faciendum, ruinam ſibi accerſere.*

CAP. XV. Docet eum, *qui negligit, quod fit, ſecuturus, quod eſſet faciendum, ſibi ruinam potius accerſere; ideoque neceſſarium eſſe Principi, vt perceptum habeat, ſi ſe ſaluum velit, quâ ratione poßit eſſe non bonus; neque multum laborare debere, ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facilè tueri poſſet.* Quæ ſupra expoſita & deplorata à nobis ſunt, & clauem totius Pſeudopolitiæ continent.

Neceßitas Pſeudopolitica.

IV. *Auaritiam & rapacitatem, Principi parui faciendam.*

CAP. XVI. Cenſet Principi, *Auaritiæ crimen parui ducendum. Nam vitiorum id eſſe vnum, quo minimè impeditur dominandi ratio* Ibid. dicit Principem, *vel de ſuis, vel de aliorum bonis ſumptus facere. Si primùm, parcum eſſe debere; ſi ſecundum, neceſſe eſſe, vt nullam partem liberalitatis prætermittat.* Iubet ergo Principem aliena

Digitized by Google

na rapere & profundere, quod furis eſt & prædonis; hi enim de alieno, non ſuo ſolent eſſe liberales.

V. *Sæuitiæ quoque nomen parui ducendum.*

CAP. XVII. *Sæuitiæ quoque nomen parui ducere* jubet *Principem, quo concordes ſuos in fide retineat*, exemplo Valentini, *cuius immanitas totam Flaminiam in integrum reſtituit, eamq́; in vnum collegit, atque ad pacem & fidem redegit.*

VI. *Cum ius non ſufficit, ad vim & fraudem belluinam, ſiue Leonis & vulpeculæ ingenium à Principi confugiendum.*

CAP. XVIII. Diſputat, quo pacto fides à principe ſit ſeruanda. Summa eſt: fidem Principis debere eſſe vulpinam. *Verùm* ait, *cum ſint duo genera decertandi, vnum iure legum, alterum per vim. Cumq́; illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad poſterius, ſi non ſatis eſt vti ſuperiore. Proinde neceſſarium eſt, vt Princeps rerum vtriuſque, & belluæ & hominis vſum teneat, &c. Cum itaq; Principem magni referat belluinum ingenium ſcitè induere, ei tum vulpis, tum leonis mores aſſumendi erunt. Nam leo ſibi à laqueis non cauet, lupos verò vulpecula reformidat.* *Vulpis & Leonis mores, Pſeudo-politicorum virtutes.*

Quò

Quò itaque laquei ſentiantur vulpeculam agere oportet; lupi verò quo deterreantur, leoninum ingenium eſt ſubeundum.

Vis iuſta homini conuenit.

Falſum eſt vim propriam eſſe belluarum, etiam homini conuenit, neque legibus aduerſatur, vis iuſta, vt ſupra dictum eſt Principes enim & magiſtratus gladium portant, *ad vindictam malorum & defenſionem ſui, omnia iura & omnes leges permittunt*, vtraque autem plerumque vim deſiderat, ſed à rectâ ratione profectam. Hæc quia Macchiauello ad falſam Rationem ſtatus ſufficere non videtur; vim & fraudem belluinam rectæ rationi aduerſam, in ſuppetias vocat.

Non eſt iniquum laqueos cauere & ſentire, nec lupos reformidare & deterrere. Sed crudelitas, & vis iniuſta, fraudulentia & perfidia, quas ſub leonis & vulpis ingenio inſtillat Macchiauellus, deteſtandæ ſunt. De leone mox patebit, de vulpe vulpem hìc audi.

Macchiauellus fraudum Magiſter.

Princeps propterea ait, *qui ſapientiâ ſit præditus, debet ea promiſſa vitare, quæ ſuis commodis contraria fore videt. Atqui homines ſi probi fuiſſent omnes, præceptum hoc planè fuiſſet inutile. Verùm cum improbi ſint, diligenter eorum improbitas, perfidiaq; erit eludenda.*

Iam

Iam verò nunquam hominibus defuturæ ſunt cauſſæ, quibus inviolatam fidem colorem inducant. In hanc rem ferè infinita poſſent recentia proferri exempla, atque oſtendere, quot pacis fœdera, quot promiſſa & conuenta, fuerint perfidiâ irrita & vana. Qui verò ſagacior fuerit, vt vulpinum ingenium melius exprimeret, ei felicius omnia ceciderunt. Hoc ergo vulpinum ingenium eſt, promiſſa & conuenta, perfidiâ irrita & vana efficere colore aliquo inducto, quo homines falli poſſunt, non Deus.

Verum hanc naturam, inquit, *plurimùm refert, vt quis rectè norit colore veſtire, cum ſimulando, tum diſsimulando. Homines enim adeò ſimplices ſunt, adeò præſentibus neceſsitatibus obſequentes, vt qui fallax & ſimulationis artificio eruditus ſit, ſtatim ſit habiturus, qui ſe illi decipiendum tradat. Quo magis tales homines cauendi erunt; eorumque artificium arte fruſtrandum, &c. Proinde non eſt, quod Princeps eas omnes ſuperius deſcriptas virtutes oſtentet, ſunt enim aduerſæ tales diſsimulandæ ſæpenumerò, callidèq; tegendæ. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ conuerſionem verſatile ingenium Princeps habeat, eſt neceſſe. Et vt iam dictum eſt, ab eo, quod bonum eſt, ne diſce-*

Vulpis natura, quo colore veſtienda.

diſcedat: at ſi neceßitas vrgeat, edoctus ſit & malum auertere.

Macchiauellus Vulpinatur.

Non cohærent hæc cum prioribus, ſi enim homines adeò ſimplices ſunt, & tam facilè decipi poſſunt, ergo non opus eſt improbitatem & perfidiam illorum, tantâ induſtriâ eludi. Sed callidè Macchiauellus vulpinatur, quaſi hominum dumtaxat *fallacium artificia arte fruſtrari, & virtutes aduerſus eos dißimulare, non ipſas fraudes & dolos malos texere ſuadeat.* Cum autem Vulpinam naturam, quam Principi commendat, *fraudulentiæ & ſimulationis colore veſtiri iubeat*, manifeſtum eſt quid velit, ſi exempla præſertim fraude & iniquitate plena, Seueri, quem c. 19. & Romanorum, quos l. 2. diſcurſuum c. 13. imitandos proponit, inſpicias. Non diſſimulantur virtutes; ſed vel non habentur, vel amittuntur, cum fides violatur. Nec ſeriò præcipit, ne Princeps diſcedat à bono, qui iubet eum, ſi neceſſitas ſeruandi imperij vrgeat, eſſe non bonum.

Exempla oſtendunt, quid velit.

VII, *Prin-*

VII. *Principem à ſententiâ ſuâ nunquam dimoueri debere, multitudini nihil negandum; ſceleratum Seuerum imitandum eſſe.*

CAP. XIX. Vult Principem *ita ſententiam ſuam, quam ſemel pronuntiauit, ratam ac firmam habere, vt ab eâ nunquam deduci aut dimoueri poſſe pro certo alij teneant.* Quare Princeps etſi iniuſtam ſententiam tulerit, aut aliquâ in re errauerit, Macchiauello ſuaſore, in errore aut injuſtitiâ perſeuerabit.

Ibidem ait, *Multitudini nihil negandũ eſſe, quo æqua ac tranquilla retineatur.* Et paulò poſt: *Quocirca Princeps* ait, *imperium qui ſaluum velit, cogitur nonnunquã eſſe non bonus. Quandoquidem, ſi ea multitudo, quæ ſit populi, aut militum, aut optimatum, cuiuſq; operâ ad imperium ſuſtinendum ſe indigere cognoſcat, fuerit deprauata, obſequi eius ſtudijs, atque illi morem gerere neceſſe eſt. Quo quidem tempore, quæ factu forent honeſta, Principi vehementer eſſent contraria.*

Honeſta, Principi aliquando eſſe contraria, Macchiauellus docet.

Vnde ſequitur Principem permiſsâ ſcelerum licentiâ, cum ſceleratis ſceleratum eſſe, & in illorum gratiam, quæ honeſta ſunt, tanquam ſibi contraria, vitare debere,

molles reddendi ſunt, & effeminati; vitiorum nimirum materiâ & licentiâ ipſis cõceſsâ quod & per ſe iniquum eſt, & erga benemeritos multò iniquius.

IX. *Omnes intelligant Principem à ſententiâ ſuſceptâ, depelli non poſſe.*

CAP. XXIII. Repetit, quod ſupra ſuaſerat, Principem, *ita ſe comparare debere, vt omnes intelligant, ſe à ſuâ ſemel ſuſceptâ ſententiâ, nullâ vi depelli poſſe.* Hoc autem præceptum, grauibus erroribus, iniurijs, periculis expoſitum, & rectæ rationi contrarium eſſe nemo non videt.

X. *Alia quædam lubrica admodum, & inhumana.*

ATque hæc apertè mala & iniqua Principi ſuo, velut ad Imperij conſeruationem idonea, ſuadet Macchiauellus. Alia habet eodem libro, quæ inhumana admodum & lubrica ſunt. Vt cum c. III. docet, *prouinciâ aliquâ nouâ ſubactâ, Principis, qui imperium tenuit, ſtirpem extingui debere.* Item; *homines aut blanditijs deliniendos eſſe, aut prorſus extinguendos.* Præterea, *Principem Impotentiorum vicinorum caput & defenſorem ſe conſtituere debere, potentiores infirmare, tum cauere, ne*

Lubrica & inhumana Macchiauelli præcepta.

T vllo

Digitized by Google

vllo rerum euentu, exteriorum quiſpiam ſe viribus non minus pollens, in eam irrepat. Cap. v. *Nullum conſilium tutius afferri poſſe, ſecurè poßidendi dominatum, qui ante liber & ſui iuris erat, quàm ſi omnino euertatur.* Cap. VII. Exemplo Valentini *eos, qui alijs adhærent, ad ſe pertractos, vberioribus ſtipendijs ac rerum gerendarum muniis, pro cuiusq; conditione excipiendos eſſe.* Cap. XV. *Exercitus prædâ, direptionibus, tributis eſſe alendos.*

Quæ aliaq; ſimilia, aduerſus legitimos hoſtes aut rebelles ſubditos licita eſſe poſſunt; erga amicos autem, & qui Principem non læſerunt, ſine ſcelere, aut aliquâ iniuriâ nunquam vſurpantur. Quin etiam cum jus ſubeſt, inhumanitatis aliquid præſeferunt, aut facilè in exceſſum & abuſum declinant, vbi præſertim nulla virtus, ſed ſolius imperij cura eſt.

§. II.

EX LIBRO I. DISCVRSVVM DE REPVBLICA.

I. *Romuli fratricidium, & cædem Tatii excuſari poſſe; velut boni publici cauſsâ patrata.*

CAP. IX. Aſſerit Romulum, quod fratrem interemerit, & in Tatij cædem con-

conſenſerit, excuſari poſſe, *eò quod id non ambitione, ſed boni publici cauſsâ feciſſe videatur.* Pro certo enim ſtatuit Macchiauellus, *nullam Rempublicam ac nullum etiam regnum ſiue à primis initijs rectè inſtitui, ſiue iam antè malè formatum & inſtitutum, nouis planè legibus rectè emendari poſſe, niſi huius rei potentia ab vno ſolo dependeat. Quod cum ſpectarit Romulus, excuſari illum, non damnari planè debere. Nam bonus ſcopus & finis factum ſemper excuſat.* Quod Pſeudopolitiæ, omniumque ſcelerum fundamentum eſſe, iam ſupra oſtendimus.

II. *Quæ religioni fidem conciliant, fouenda, etſi non adeò conſtet omnibus certa veraq; eſſe; ita Ethnicos quoque falſa miracula approbaſſe.*

CAP. XII. Monet eos qui imperant, *vt eius Religionis, quam ipſi colunt & venerantur, fundamenta ſarta tectaque conſeruent, quâ quidem re ciues ſuos pios, deuotoſque efficient, & aptos ad concordiam colendam. Quæcunque ergo in Republicâ eò ſpectant, vt ad fidem fundamentis Religionis eius, conciliandam facere videantur, ea omnia ſapientes Reipublicæ gubernatores fouere debent, etſi non vſque adeò conſtiterit*

Religionem Macchiauellus commendat non ſine impietate.

omnibus, quod certa veraque fuerint. Quod quidem tantò magis etiam curare debent, quanto magis ſapientes & rerum naturaliũ periti fuerint, cum id à ſapientibus viris obſeruatum eſſe nouerimus. Ita quidem, vt in falsâ quoque religione miracula approbarint falſa, ſi modo eò ſpectarent, vt hominibus Religio quædam ac pietas imprimeretur.

Cenſet ergo Macchiauellus ſapientis gubernatoris eſſe, etiam in verâ religione, fundamenta non vſque ad eo certa veraq; fouere, exemplo ſapientum qui in falsâ religione falſa quoque miracula approbârunt: non religionis vtique, ſed ſtatus ſeu imperij cauſsâ. Nam religio vera, veris fundamentis nititur, falſis violatur. Repugnat verò hoc illi, quod initio capitis rectè dixerat: *Quicunque Principes atque Reſpublicæ, ſemetipſas conſeruare cupiunt, in id vnum præ cæteris incumbere debere, vt verum religionis cultum rectè inſtituant, & venerentur.* Non eſt verus religionis cultus, dubia aut falſa pro certis ac veris amplecti & approbare; ergo qui id faciunt, non verum Religionis cultum, vti initio ſuaſerat Macchiauellus, ſed falſum inſtituunt & venerantur.

Sibi repugnat.

III. *Du-*

III. *Ducem militarem, qui ingratitudinem metuit, nec ſe Principi ſuo ſubmittere vult, victoriam ſibi reſeruare debere.*

CAP. XXX. Duci militari, qui re præclarè geſtâ euitare vult ſui Principis ingratitudinem, duorum alterum faciendum docet. *Nam poſtquam victoriam obtinuit, aut ſtatim exercitu tradito alteri, ipſe ſe in ſui Principis clientelam ſupplex committat oportet, ſibiq́ ab omni ſuperbiâ atque ambitione temperet. Quâ ſolâ ratione Principis animum demulcere poterit, ne de illo quicquam ſuſpicari queat, ſed cauſſam manifeſtam habeat illum præmio afficiendi, non autem lædendi.* *Suadet Macchiauellus hìc quod æquũ eſt.*

Aut ſi facere non velit, ſciat tamen ingratum Principem ſe habiturum, vnicum habet præſidium ſe aduerſus ingratitudinem tuendi. Si victoriam partam ſibi reſeruet forti animo, nec eam ad Principem pertinere oſtendat; militum & præcipuorum exercitus ducum animos vel ſibi conciliet, vel ſi quos nequit benignè conciliare, eos muniendi ſui cauſſâ è medio tollat; cum vicinis populis amicitiam contrahat; loca munitiora ſubinde occupet, præſidijsq́ confirmet. Hâc enim ratione, ingrato Domino vicem rependere poterit. Hæ ſola ſunt rationes, quibus *Subiungit, conſilium ſceleratum.*

Digitized by Google

bene meritus ciuis cauere poteſt, ne ab ingrato Domino opprimatur.

Ex his prior quidem ratio legitima eſt, & diuinis humaniſque legibus conſentanea, poſterior iniqua & impietate ſceleribuſque plena; quam is non amplectitur, qui à ſuperbiâ & ambitione ſibi temperat ipſo Macchiauello fatente, & tamen tam improbum conſilium ſuggerente. Neque enim dicas excuſari illum poſſe, quod hanc ſibi cauendi rationem hominibus malis tribuat, & malitiam vocet, cum ſubiungit: *Sed quia ità comparatum eſt, vt homines neſciant eſſe vel planè boni, vel excellenter mali; itaque neque poſt victoriam partam exercitum ſtatim reddere nouerunt, nec modeſtè atque humiliter ſe gerere; nec excellenti, ac magnificâ quâdam malitiâ vti ſciunt; itaque dubij inter duo extrema hærentes, opprimuntur.* Similia habet lib. 1. cap. 27. Nam etſi huiuſmodi facinus ſecundum ſe malum, quique id facit, malus ſit: quia tamen ad imperium parandum, aut nouam legitimamq; eius formam conſtituendam refertur, ſecundum Macchiauellum ex bono fine excuſari à malitiâ, & facinus & faciens debent.

Excuſatio refellitur.

Nihil ſiquidem cauſſæ eſt, cur eiuſmodi

Dux

Dux militaris damnetur, & excuſentur Valentinus, Seuerus, Romulus, Cyrus, qui paribus aut maioribus ſceleribus imperium ſibi comparare vel ſtabilire auſi ſunt. Vbi obſeruandum eſt eiuſmodi ſcelerata artificia, non minus noxiè à Macchiauello doceri, cum ea accuſat, quàm cùm excuſat: quia ſemper ſeruat illis boni finis ianuam apertam, cuius prætextu, & commodi proprij illecebris, eiuſmodi præcepta in animos hominum facilè penetrant. Talia etiam ſunt quæ ſubiungo.

Boni finis ianuam Macchiauellus apertam ſemper ſeruat.

IV. *Eum, qui à populo ad alios puniendos euehitur, ſi induſtrius gnauuſq; ſit, imperium facilè occupare.*

CAP. XL. *Quotieſcunque autem,* ait, *in vrbe populus eò adducitur, vt extollat euehatq; eum, per quem aduerſarios ſuos puniri poſſe ſperat: tunc ſi hic induſtrius gnauuſq; eſt, imperium vrbis occupare poteſt. Nam populi auxilio optimates opprimet, & ſublatis optimatibus, populum quoq; ſub iugum ſeruitutis redigere poterit, cum non habeat iam, ad quem deficere queat, aut cuius auxilium implorare poſſit.* Antequam autem optimates extinxerit, *nunquam ſe ad opprimendum populum conuer-*

Digitized by Google

tere debet. Hâc ratione vſi ſunt, quicunq; cum quâdam induſtriâ patriæ Tyrannidem occupârunt.

V. *Ei, qui decreuit prauus eſſe, priuſquam amicos bonos perdat, prauos malefaciendo ſenſim comparandos eſſe.*

CAP. XLI. *Qui boni viri* ait, *ſpeciem aliquandiu præ ſe tulit, decreuitq; prauus eſſe, is hanc mutationem inſtituere debet ſecundum occaſiones vt antequam amicos perdas, qui tibi prius, vt bono viro fauebant, alios hiſce contrarios, malefaciendo ſenſim compares. Nam ſi hoc neglexeris, ac ſtatim nequitiam tuam patefeceris, omni amicorum auxilio deſtitutus peribis.* Hic, etſi id ſolùm dici videatur: quid ſponte faciant qui praui eſſe decreuerunt, at Macchiauelli principia ſpectando, præceptum eſt, Principi bono, aut cuiuis alteri ſequendum, cum propter rationem Status, cogitur eſſe non bonus.

§. III.

§. III.

EX LIBRO II. DISCVRSVVM DE REPVBLICA.

I. *Exemplo P. R. in alienis prouinciis, amicum aliquem habendum, qui ad illam inuadendam aditum patefaciat.*

CAP. I. Ait *Populum Romanum ſemper operam dediſſe, vt in alienis prouinciis amicum quempiam haberet, qui ad illam inuadendam aditum patefaceret, & ad illam conſeruandam poſtmodum auxilio eſſet. Sic Campanorum operâ in Samnium ingreßi ſunt, per Camertinos in Tuſciam, per Mamertinos in Siciliam, per Saguntinos in Hiſpaniam, per Maßiniſſam Regem in Africam, per Ætolos in Græciam, per Eumenem & alios quoſdam Principes in Aſiam, per Maßilienſes in Galliam, & aliorum denique amicorum auxilio indicioque in alias regiones & prouincias ingreßi ſunt; & poſtquam eas occupâſſent, etiam retinuerunt. Hanc rationem, ſi diligenter obſeruetur, talem eſſe comperies, quæ ſecum fortunæ proſperitatem adiunctam habeat, vt non ſit opus fortunam illam Deam implorare.* Sed hanc rationem aucupandi & occupandi prouincias alienas, nullo legi- *Ars aliena inuadendi.*

 timo

timo iure ad occupantem pertinentes, aut illi obnoxias, iniuſtam & improbam eſſe manifeſtum eſt.

II. *Aduerſus confœderatos belli occaſionem arripi poſſe, ſi non contra eos, ſed eorum Confœderantes bellum moueatur.*

CAP. IX. Aſſerit *vſitatam admodum eſſe iſtam rationem arripiendarum belli occaſionum. Cum nimirum, vt fides non violata eſſe videatur, quæ certis pactis diu firma fuit, non bellum mouent aduerſus confœderatum ipſum, ſed ipſius amicum aut clientem: certò fore ſperantes, vt ad ipſius defenſionem ſeſe accingens, ipſis quoq; cum illo dimicandi occaſionem præbeat; aut ſi clientem & amicum non defenderit, manifeſtè reprehendi queat perfidia, atque hac quoque ratione, facilem ad oppugnandum ſe hoſtibus aditum præbeat.*

Mallem dicere à Macchiauello hìc referri, quid malè fiat, non præcipi, vt malè fiat. Verùm cum quæuis fraudes vulpis naturæ, quam Principi propter rationem ſtatus induendam putat, conueniant: hanc quoque ſi eam neceſſitas ſeruandi, aut ampliandi imperij poſtulet, præcepiſſe cenſendus eſt.

III. *Ne-*

III. *Neceſſariam eſſe artem decipiendi; ſine eâ Cyrum adtantum Imperium non potuiſſe peruenire; eâdem ſocios non aduertentes, à. P.R. in ſeruitutem redactos fuiſſe.*

CAP. XIII. Apertè eos, qui imperant ad fraudes & dolos ducit Cyri exemplo, quem in Principe inter reliquos imitandum propoſuerat: & Romanorum, quorum *virtutem fuiſſe luce meridianâ clariorem,* in præfatione huius ſecundi libri affirmat.

Hanc fraudis neceßitatem, ait, *explicat Xenophon in vitâ Cyri, & in primâ præſertim eius expeditione, quam aduerſus Armeniæ Regem ſuſcepit, fraude & dolo plenam, quâ ratione potius, quàm viribus ei regnum extorſit. Ex quibus omnibus id mihi ſignificare videtur Xenophon, quod neceſſaria ſit ars quædam decipiendi, ſi altum faſtigium aſcendere, & inſignes aliquos progreſſus efficere velis; neque etiam Cyrum ad tantam Imperij magnitudinem potuiſſe peruenire, niſi per hoc decipiendi artificium, quo & alios, & Medorum Regem auunculum ſuum inprimis fefellit.*

Ars decipiendi neceſſaria Macchiauello iudice.

Romæ habita ratio eſt omnium eorum, quæ poſſent ad Imperij magnitudinem comparandam ſpectare; ſiue id fortuitò, ſiue ex

Digitized by Google

ciuili quâdam prudentiâ ei vrbi contigerit. Itaque neque hac decipiendi ars, à P. R. neglecta fuit. An non enim inſigni dolo conſtabat ea acquirendi ratio, quam vſurparunt, & de quâ c. 4. huius libri docuimus? Nam quos æquo fœdere in Societatem admiſiſſent, eos ſenſim ſub Imperium ſuum redigebant, ijs id non aduertentibus, donec ſeruitute planè oppreßi eſſent. Huiuſmodi fuerunt Latini, & alij vicini populi, quorum armis & auxilio P. R. hoſtes ſuos ſubegit, qui circùm habitarent, quibus ſubactis aucta eſt Romanorum potentia tantopere, vt ſocios iam non, vt confœderatos, ſed vt dedititios tractarent, &c.

Ab hâc arte laudat Romanos.

Quæ cum ità ſe habeant, manifeſtè cernimus P. R. inprimis Imperij incrementis, eâdem fraude vſum eſſe, quam neceſſariam eſſe putamus omnibus, quicunque ex paruis initijs creſcere, & ad magnum quoddam faſtigium conſcendere conantur. Quæ tanto minus turpis eſt, quanto quis magis illam poterit occultare, & honeſto aliquo prætextu tegere.

Hæc ſunt exempla, & media vulpina.

Hæc ſunt exempla, & media vulpina, quæ Macchiauellus ad tuendam & augendam rationem ſtatus proponit. Hæc eſt **illa Romanorum Reſpublica, quam lib. 1. diſ-**

diſcurſ. cap. 1. ſtatim ab initio, *pulcherrimis virtutibus exornatum fuiſſe*, & in quâ hoc libro cap. 29. *omnis generis virtutes enituiſſe, & religionis inprimis ſtudium viguiſſe* ſui immemor mentitur; verum dicturus, ſi fraus, perfidia, iniuſtitia, ingratitudo in ſocios optimè meritos, virtutes eſſe aut dici poſſent.

IV. *Rempublicam diſcordem opprimi poſſe, ſi arbitrum te interponas, & vtrique parti amicum ſimules; neutram autem valde adiuues.*

Cap. xxv. *Modum, qui in opprimendâ Republicâ aut populo inteſtinis diſcordijs laborante ſeruari ſolet*, talem eſſe tradit. *Vt te velut arbitrum interponas ad conciliandas diſcordias, & vtrique parti fauere te ſimules, donec ad arma perueniant. Cum ad arma peruentum fuerit, parti quæ debilior videtur, lenta quadam auxilia ſuppeditare; & ne diſcedant ab armis, ſed magìs magiſque ſe mutuò conficiant, auxiliorum ſpe ſubinde fouere, magna auxilia neutri parti ſuppeditare, ne fortè dolum ſubeſſe animaduertant. Hæc res diligenter tractata, ad propoſitum finem profectò te facilè deducet. Nam feſſæ tandem partes, arbitrio ac voluntati tuæ ſe committent.*

Væ his, qui ſunt duplici corde.

Quam

Quam fallaciam confirmat exemplo Florentinorum, quos in recuperandâ vrbe Piſtolâ eâ vſos refert. Sed tantùm ineſt tum huic, tum ſuperioribus tribus artificijs doli mali, perfidiæ, iniuſtitiæ: vt qui hæc ſequi velint, modos omnia quieta turbandi, & ſua cuiuis abſque iure & culpâ eripiendi ſint habituri; incredibili cum Regnorum omnium & Rerumpublicarũ damno, quod vtinam non ſentiret ac deploraret Chriſtianus orbis!

§. IV.

EX LIBRO III. DISCVRSVVM DE REPVBLICA.

I. *Ei qui Tyrannum vult tollere, omnia illius dicta, factaq; approbanda, laudanda, imitanda eſſe, vt occaſionem reperiat eius opprimendi.*

CAP. II. Docet, *eos, qui Tyrannum aliquem iniquo animo ferunt & ſublatum cupiunt, ſi minores vires habere ſe intellexerint, quàm vt ſe illi manifeſtè opponere queant: in id ſummo ſtudio incumbere debere, vt familiarem amicumq; ſibi faciant Tyrannum, iiſdem ſtudijs cum illo incumbere, eius dicta factaq; omnia approbare, laudare, imitari. Nam hâc ratione primùm tutus eris ab omni ſuſpicione, frueris*

ris ipſius fortunis opibusq́ue, & occaſionem captare poteris, Tyrannidem ſuo tempore vindicandi.

Cum autem Tyranni dicta multa, factaque, impia & iniqua eſſe ſoleant, qui omnia approbare in animum inducit, eum quoque neceſſe eſt impium & iniquũ eſſe; *quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Rom. 1. v. 32.

II. *Republicâ ſiue in melius, ſiue in deterius mutatâ, ſupplicium de iis ſumendum eſſe, qui ſe mutationi oppoſuerunt.*

CAP. III. Aſſerit *ità comparatum eſſe, vt poſt mutatam Reipublicæ formam (ſiue mutatio illa in melius, ſiue in deterius facta fuerit) neceſſe ſit, ſemel ab ijs acerbum ſupplicium ſumere, quicunque ſe huic mutationi oppoſuerint, ſi modo nouum hunc Reipublicæ ſtatum conſeruare velis. Vtq́ue rem paucis comprahendam, ſic pronuntio: Qui Tyrannidem occupat, eam conſeruare non poteſt, niſi ſublato Bruto: qui pulſo Tyranno, publicam libertatem recuperat, illam conſeruare nequit, niſi tollantur è medio filij Bruti.* Vbique rurſus Macchiauellus cædes imperat, & ferire iubet etiam inno-

Macchiauellus cædes & ſcelera ſuadet.

innocentes. Quod non ſolum Tyranno, ſed cuiuis Principi ſuadere cogitur, ſi ad incolumitatem Status conducat aut neceſſarium eſt.

Tyrannus illi non eſt Tyrannus.

Quinimo ſecundum illius principia & exempla, Tyrannus non eſt Tyrannus; ſi enim Dominatio & Imperium bonus adeò finis eſt, vt alia ſcelera excuſet, cur non etiam Tyrannidem excuſet? Valentinus certè, Seuerus, Romulus, Romani, Tyranni aut fuerunt, aut multa per Tyrannidem egerunt, quos Macchiauellus in exemplum vnicè proponit. In vocibus ergo ludit & fallit, cum vocabulorum infamiam ſubinde erubeſcit, qui ad ipſam improbitatem frontem omnem perfricuit.

III. *Ciuibus Vrbis obſeſſæ, promittendam impunitatem & libertatem; à populo enim dolos ſub tantis promiſſis latentes non obſeruari.*

CAP. XII. Cenſet inprimis *ſapienti Imperatori prouidendum eſſe cùm vrbem aliquam occupare conatur, vt demat ciuibus neceßitatem illam, quæ eos ad defenſionem tam obſtinatos efficit. Quod quidem efficere poterit partim promittendo impunitatem criminum, partim oſtendendo non violatum iri publicam libertatem, ſed priuatos*

uatos quoſdam tantum ambitioſos, loco mouendos eſſe. Et huiuſmodi promiſsiones per multùm ſæpe valuerunt. Nam etſi ſapientes viri animaduertant, quid ſub hiſce latere ſoleat, & ſub dulci melle venena recondita videant: populi multitudo tamen, pacis, præſentisq́ boni cupiditate tantopere permouetur, vt dolos ſub tantis promiſsis latentes minimè obſeruet; ob quam cauſſam permulta ciuitates publicam libertatem amiſerunt.

Sapientis ergo Imperatoris eſt ex mente Macchiauelli, dolo malo paciſci, & pacta conuenta cum hoſtibus violare. Sed hanc prudentiam vulpini ingenij ſtultam putat ea ſapientia, cuius *initium eſt timor Domini*, & quæ cum inimicos jubeat diligi, eoſdem reconciliatos non permittit contra datam fidem violari.

IV. *Ne Reſpublica à ciuibus perturbetur, remedium eſſe, ne ſinantur admodum diteſcere, & perpetuis bellis exerceantur.*

CAp. xvi. Obſeruat, eos, *qui negligi virtutem ſuam vident, atq; contemni, ob tranquillitatem publicam reſque nimiùm ſecundas, Rempublicam perturbare perſæpe conatos eſſe. Sed quâ ratione mederi his malis oporteat, etſi ſæpe multumque*

V cogi-

Digitized by Google

cogitârit, tamen id vnum remedium præſentiſsimum ſibi videri. Primò ſi non patiaris, vt ciues admodum diteſcant, ne fortè opes ſine virtute quempiam nimium extollant. Deinde ſi ratio ſit quædam bellum perpetuò gerendi, vt viris virtute excellentibus liceat exercere fortitudinem ſuam, veluti Romani fecerunt, in primis præſertim annis. Sed vtrumque lubricum eſt. Nam impedire ſubditos, ne licitis modis diteſcant, iniquum eſt. Neque licet bella ſerere & quærere exercitij gratiâ.

V. *Inuidos, niſi fato naturali tollantur, aliâ ratione maturè è medio tollendos eſſe.*

CAP. XXX. Tradit duplicem modum arcendæ inuidiæ; *vnus eſt, vt ea excellenti virtute ſuperetur; qui ſanè honeſtatis & laudis plurimum habet. Alter, vt tollantur inuidi ſiue fato naturali, ſiue per vim. Idq; vſurpari ſolet, tunc præſertim, cum cernis tantam eſſe inuidiam, vt conatibus tuis obſtare nunquam deſinant, quamuis ij Reipublicæ maximè ſalutares futuri ſint, &c. Neq; vllum aliud ſolet eſſe remedium aduerſus tantam inuidiam, quam ſublatis huiuſmodi hominibus inuidis. Quodſi igitur tam fortunatus eſſe poſsit quiſpiam, vt naturali*

fato

Digitized by Google

fato illi tollantur, qui obſtant ſuæ virtuti: is ſine cædibus, alijsq; vllis motibus tantum malum euincere poteſt, & ſuæ virtutis ſpecimina edere, pro ſalute patriæ. Si tam fauſtus fortunatusq; eſſe nequeat, de aliâ ratione cogitandum eſt (cædibus alijſq; turbis) *quâ impedimenta virtutis tuæ è medio tollantur; idq; longe prius faciendum, quàm vllum ſingulare virtutis exemplum edere poſsis.* Cædes ergo ſuadet æmulorum & inuidorum Macchiauellus, vt virtutis exempla edere & patriæ prodeſſe poſſis; quaſi aut virtuti neceſſarium ſit dominari, aut patriæ vel Reipublicæ bonum procurari debeat, eorum ſanguine, in quos jus nullum habes.

Nulla ſunt impedimenta virtutis, niſi vitia.

VI. *Pacem impediri poſſe, ſi feceris, vt magnum facinus aduerſus illum perpetretur, cum quo pacem fieri non vis.*

CAP. XXXIII. Conſilium impediendæ pacis iſtud ſuggerit *Principem igitur tuum* ait, *auertere poteris & impedire, quo minus cum alio aliquo pacem, aut fœdus ineat; ſi curaueris, vt magnum aliquod facinus aduersùs illum perpetret. Sic enim, ne ſi offerantur quidem conditiones pacis æquæ, acceptare illas audebit, vel ſolâ conſcientiâ*

Digitized by Google

ſceleris permotus. Quo autem iure per ſcelera præſertim, impediri poteſt pax æqua niſi illo, quo Macchiauellus iuſtitiæ & probitati bellum indixit?

VII. *A conſeruandâ patria libertate, nullâ iuſti iniuſtiué, ſeu quâcunque aliâ notâ, nos abſtrahi debere.*

CAP. XLI. Ponit peſtilens illud principium. *A conſeruandâ Patria libertate, nullâ iuſti, ſeu iniuſti, crudelitatis, miſericordia, non denique laudis aut ignominia notâ animum boni ciuis debere abſtrahi.* Cuius doctrinæ improbitatem iam ſupra oſtendimus.

VIII. *Ea, quæ coactus promiſiſti, non neceſſe eſſe, vt ſerues.*

CAP. XLII. Contendit *ea, quæ coactus promiſiſti, non neceſſe eſſe, vt ſerues.* Quod etſi verum eſſe daremus, de metu iniuſtè incuſſo: cum rebelles ſubditi, vel alij bello iniuſto, iniquas conditiones ſeu promiſſiones extorquent; at falſum eſt de metu iuſtè incuſſo. Cum videlicet legitimus Princeps, aut alius iuſto bello victor, ad conditiones iuſtas quidem adigit, ſed quas niſi per vim & metum adacti, non inirent. Eiuſmodi enim promiſſa nullo iure

iure violari poſſe in aperto eſt, cum illi, qui eiuſmodi conditiones ferunt, iure legitimi dominij, & iuſtæ vindictæ aut compenſationis, id faciant. *Promiſſa ex metu iuſto, ſeruanda.*

Quod verò addit: *huiuſmodi rerum exemplorumque plenas eſſe hiſtorias, & in quotidiano rerum vſu alia infinita occurrere quotidie. Cernimus enim inter viros Principes nullos eſſe, qui ſeruent ea, quæ per vim coacti promiſerunt, poſtquam deſijt vis illa, quæ coegit;* hæc inquam non vniuerſim vera ſunt; poſſunt enim exempla vetera ac recentia afferri eorum, qui eiuſmodi promiſſa ſeruârunt. Et vt verum ſit frequentius talia violari, non tamen tribuit licentiam aut impunitatem criminum, multitudo peccantium.

Concludit denique his verbis: *Neque reliqua promiſſa ſeruant, quando cauſſa, quæ eos promittere fecit, non amplius vrget. Quæ quidem res, ſitne in Principe digna laude, an non? hoc loco non amplius diſquiremus; præſertim cum in tractatu de Principis Inſtitutione, de hoc genere Argumenti copiosè diſputauerimus.* Sed tantam perfidiæ notam omnibus Principibus viris impingere, non eſt niſi perfidi, qui omnes ſui ſimiles putat, & fraudibus ac periurijs di- *Perfidiæ Patronus Macchiauellus.*

gnitatem conciliare ſtudet. Atque hinc apparet, ad quos mores Principes ac Reſpublicas formet Macchiauellus, qui quaſuis fraudes & ſcelera honeſta & laude digna putat, modo honeſti ſpeciem præ ſe ferant, vti docuit cap. 18. Principis, quo Lectorem remittit.

IX. *Vt ab altero quidpiam impetres, ſæpe commodiſsimum eſſe, & nullum deliberandi ſpatium ei concedas.*

CAP. XLIV. Obſeruandum dicit. *Si quis Princeps ab altero quippiam impetrare cupiat, cuius multùm interſit: tunc ſæpe commodiſsimam eſſe eam occaſionem, quæ ei à quo petis, nullum deliberandi ſpatium concedit, ſed potius illi reſpondendi ſubitam neceſsitatem imponit; & præſens periculum demonſtrat, ſi negetur id quod petitur, aut etiam, ſi deliberandi ſpatium petatur.* Hæc ratio ſi adhibeatur aduerſus eos, qui ſui iuris & arbitrij ſunt, neque tibi obnoxij, iniqua eſt: impedit enim deliberationem, ad libera conuenta ac reſponſa neceſſariam, adeoque vim iniuſtam infert. Quod ipſe Macchiauellus fatetur, cum hanc capiti ſummam præſcribit: *Sæpe fieri, vt impetu quodam atq; audaciâ,*

Digitized by Google

daciâ obtineantur id, quod legitimè progredienti nunquam contigiſſet.

§. V.

Ex his intelligi, nullam Macchiauello ſalutis & virtutis curam eſſe; virtutes ſolum naturales, quarum facilis eſt abuſus, ab illo commendari.

HÆc ferè inſtrumenta ſunt ac media, quæ ex Pſeudopolitiæ armamentario Macchiauellus partim deprompſit, partim de nouo in ingenij malè feriati officinâ fabricauit. Si non omnia, certè tot ac talia recenſuimus, vt perſpicuum ſit, eum ſcelera docere, & tum falſum malumque finem, tum falſa malaque media proponere, quibus fallacem boni finis hederam immeritò appendit. Non eſt enim bonus finis, qui cum maioris boni iniuriâ quæritur, virtutis inquam & ſalutis: cuius neutrius cura eſt, apud Macchiauellum, nec ſincera mentio. Nam viros virtute excellentes licet, & virtutes ipſas frequenter nominet, non veras tamen virtutes intelligit, quæ hominem bonum & actiones eius bonas efficiunt, & quibus nemo malè vti poteſt, ex Philoſophorum Theologorumque conſenſu. Harum quidem

bene magnum Catalogum texit in principe cap. 15. vitijs oppoſitis iuxta collocatis, ſed eas *omnes aduerſante humanæ vitæ conditione nec haberi, nec ſeruari poſſe* falsò exiſtimat.

Virtutes Macchiauelli ſolùm naturales.

Neceſſe itaque eſt virtutes, quas Macchiauellus, ſpeciosè inculcat alias, non eſſe, quam naturales quaſdam diſpoſitiones ad virtutes veras, ſeu earum aliqua ſeminaria. *Omnibus enim* ait Ariſtoteles 6. Ethic. c. 13. *videntur ſingula ex moribus, ineſſe quodammodo naturâ. Et iuſti namq; & temperantes, & fortes ſumus, aliaq; ſtatim à natiuitate habemus.* Itâ eos qui ſagacitate quâdam & ſolertiâ naturali pollent, prudentes; eos qui ingenitâ animoſitate magna & ardua appetunt ac ſuſcipiunt, fortes & magnanimos appellamus.

Quales etiam in pueris & beſtiis.

Sed pueris etiam ac beſtijs naturales iſti habitus inſunt, teſte Ariſtotele, *& ſine intellectu* ſiue rationis Imperio, *noxij apparent. Atque iſtud perſpicuum eſſe apparet: ſicut corpori valido, cum ſine oculorum ductu mouetur, contingit vt validè impingat, ità quoque in his euenire.* Niſi enim eiuſmodi homines, altos illos ſpiritus, veris virtutibus temperent, & naturalem ingenij perſpicaciam ad honeſtatem conuertant:

in

in Tyrannidem, iniuſtitiam aliaque vitia impingunt, vt in ijs ipſis exemplis apparet, quæ Macchiauellus proponit. Si contrà *intellectum*, ſiue rectæ rationis imperium *adiunxerint*, *in agendo excellunt*, vt ſapienter idem Ariſtoteles aduertit.

CAP. VII.

Vitia à Pſeudopoliticis laudari; Virtutes veras Politicæ noxias aut inutiles cenſeri; ſolâ earum opinione, nec integrâ quidem, relictâ.

§. I.

SVPPETIAE. Falſi Politicum reum eſſe, ſi Pſeudopoliticiam & vitia laudet, aut veras virtutes noxias dicat.

FAlſi etiam Politicus accuſabitur, ſi aut bonum Principatum reprehendit, aut vitioſum & iniuſtum laudauit, quod id ſit falſa Principatus adiuncta tradere. Item ſi legitimo principatui veras virtutes nocere dixit, nam hoc eſt falſum repugnans, ſiue falſam cauſſam euertentem tradere. Non enim legitimo, ſed vitioſo tantùm Principatui vera virtus repugnat.

§. II.

VINDICIAE. A Macchiauello bonum Principatum reprehendi, vitioſum laudari.

TRiplicis huius falſi, quod Scioppius hic ponit, meritò Macchiauellus ac-

cuſari & damnari debet. Nam inprimis reprehenſum ab eo Bonum Principatum, id argumento eſt, quod vero Principatui vitia eſſe neceſſaria, neque virtutes omnes in eo obſeruari poſſe, docuit cap. 15. *Principis*, alios verò, à quorum ordine ſe diſcedere fatetur, *Principatus quoſdam animo effinxiſſe* aſſerit, *qui nunquam ſub aſpectum vllum venerunt*. Quia nempe Principi licentiam peccandi negant, neq; Principatum ſceleribus parari aut conſeruari æquum putant. Eſſe autem eum Principatum bonum, cuius legibus Princeps bonus eſſe jubetur, eum malum in quo vitiorum licentia conceditur & vſurpatur, perſpicuum eſt. Illum ergo quia animo dumtaxat effictum Macchiauellus dicit, tanquã imaginarium damnare: hunc contra, quia verum & vtilem prædicat, laudare putandus eſt, ideoque non in primum ſolum, ſed alterum quoque falſum incurrit.

Macchiauello principatus bonus imaginarius.

Quod inde clarius patet, quia ſæpiùs malos Principes, eorumque vitioſam imperandi rationem, aut improba facta, defendit & laudat, vt ex ijs, quæ ſuprà attulimus intelligi poteſt.

§. III.

§. III.

Ex eiuſdem Macchiauelli doctrinâ, veras virtutes, etiam legitimo Principatui nocere.

SVpereſt, vt eius quoque falſi accuſemus Macchiauellum, quod docuerit veras virtutes legitimo Principatui nocere. Nam cap. 15. Principis, ait *tantum abeſſe rationem, quâ homines viuunt ab eâ, quâ æquum eſſet, vt viuerent: vt is, qui negligit quod fit, ſecuturus quod eſſet faciendum, ſibi ruinam accerſat.* Et: *reperiri quædam, quæ virtutem præ ſe ferre dicantur, quæ tamen ſi ſequaris, id tuo magno malo fiet.* Loquitur autem hìc de ijs virtutibus, ſecundùm quas *æquum eſſet homines, vt viuerent*, & quas paulò poſt *aduerſante humanæ vitæ conditione nec haberi omnes, nec ſeruari poſſe*, etſi falsò, cenſet. Hæ verò non poſſunt eſſe, niſi veræ virtutes, quæ ſolæ regulam legitimam humanæ vitæ continent, & difficilem imo impoſſibilem obſeruationem habent apud eos, qui præcipuum finem eſſe ſtatuunt dominatum, aliaque fortunæ bona. Veras ergo virtutes nocere bono Principatui ſenſit Macchiauellus.

Macchiauello iudice virtutes ruinam accerſunt.

Cui id argumentum altero loco accedit,

dit, quod putat *neceſſarium eſſe Principi, vt perceptum habeat, ſi ſe ſaluum velit, quâ ratione poßit eſſe non bonus, eumq; cogi nonnunquam eſſe non bonum, quo quidem tempore, quæ factu forent honeſta, Principi vehementer eſſent contraria*, vt loquitur c. 19. Non eſt autem quiſquam bonus, niſi veris virtutibus, nec non bonus, niſi veris vitijs, ergo quando Princeps cogitur eſſe non bonus, veræ virtutes ipſi nocent, ſi eas, aut quæ ſecundùm eas factu forent honeſta, tum ſequi velit.

Et Princeps cogitur eſſe non bonus.

Denique l. 2. diſcurs. c. 2. audaci improboque ore maiorem fortitudinem Ethnicis quàm Chriſtianis tribuit, *ex educationis religionisq; diuerſitate maiori ex parte*, vti arbitratur, *pendentem. Nam cum ex religione noſtrâ* VERITATEM *rerum intueamur, diſcimus ex eâ ſtatim honores & pompam huius mundi contemnere. Sed Ethnici hæc omnia magni faciebant.* Addit in illorum *ſacrificijs magnificentiam quandã horrendam, homines feroces reddidiſſe; in noſtris delicatam quandam mollitiem cerni, &c. hancq; vitæ inſtitutionem Chriſtianum orbem imbellem feciſſe videri.* Vnde concludo: Vitæ Chriſtianæ inſtitutio, veritatem veraſque virtutes docet, ergo ſi ea

Ethnicos Chriſtianis præfert.

Princi-

Digitized by Google

Principatibus aut Re[illegible]uſpublicis nocet, veritas & veræ virtutes illis nocent.

§. IV.

SVPPETIAE. Quarundam virtutum opinionem nihil prodeſſe, ſed potiùs obeſſe principatus; amorem & odium non effici à virtute & vitio, ſed opinione vtriuſque.

ALia tamen res erit, ſi Politicus non de virtute, ſed tantùm de opinione virtutis loquatur. Sicut enim quorundam vitiorum opinio nihil aut nocet, aut diſconducit ſaluti Principatus, ſimiliter quarundam virtutum opinio nihil prodeſt, ſed potius obeſt. Quod tamen non niſi ex euentu, ſeu per accidens vſu venire ſolet; quoniam ſcilicet homines aut deprauatis ſunt moribus, aut vitia à virtutibus neſciunt internoſcere. Itaque Princeps aliàs nihil curabit, vt opinionem crudelitatis & auaritiæ effugiat, âliàs Clementiæ & Humanitatis famam à ſe vltro amolietur. Nam imperium ſiue amore, ſiue reuerentiâ aut reſpectu ſtabilitur. Amorem verò & reuerentiam in animis ſubiectorum efficit non virtus in Principe, ſed opinio in ſubditis de Principis virtute. Sicut è diuerſo odium & contemptum efficit non vitium in Principe, ſed opinio, quam de vitio eius habent ſubditi. *Non virtus ſed opinio, amoris cauſſa Scioppio iudice.*

Nam ſi Princeps ſit impius, auarus, crudelis, habeatur autem pro pio, liberali & clemente, ſine dubio ſubditi eum amabunt, & reſpectabunt, ſeu reuerebuntur. Contra ſi eum credant

eſſe

Digitized by Google

eſſe impium, auarum & crudelem, etiamſi reuera pius, liberalis, clemenſque ſit, odio eum proſequentur & contemnent. Itaque ſi Politicus præcipit, Liberalitatis & Clementiæ famam Principi nocère, nihil pro temporum conditione dixit falſi, modò ne ipſas virtutes Principi fugiendas eſſe dixerit.

§. V.

VINDICIAE. Si vera Virtus non nocet bono Principatui, neq; eius opinionem nocere; famam veræ virtutis amoliri, aut vitii opinionem aucupari non licere.

SI vera virtus non nocet bono Principatui, neq; eius opinio nocere putanda eſt, cum ex illâ conſequi ſoleat, ſi præſertim qui eâ præditi ſunt, imperio & poteſtate ſupra alios emineant; horum enim actiones in omnium oculos & animos incurrunt, & bonæ bonam opinionem pariunt, malæ malam: non ſolùm apud bonos, ſed ipſos quoq; malos. Quorum plurimi virtutem quâ carent, in alijs venerantur, & vitia quæ in ſe amant, in alijs oderunt.

Vera virtutis opinio non fugienda.

Cum autem ſeu pauci, ſeu multi tam deprauatis ſunt moribus, vt bonos præſertim Principes tanquam *contrarios operibus ſuis*, oderint, aut vitia à virtutibus neſciant internoſcere: non debet quidem

dem bonus Princeps malorum ſubditorum aut errore commoueri, cui ipſe veris vitijs cauſſam non dedit; ſed neque Clementiæ, neque alterius veræ virtutis, quæ Principem decet, famam vltrò à ſe amoliri poteſt, niſi virtutis, diuinæq; gratiæ iacturam facere velit.

Neque damnum ab vllius veræ virtutis opinione metuant, quia aut Deus illud auertet, aut maioribus etiam hâc in vitâ bonis compenſabit, aut deniq; illud fixum ſit: *melius eſſe* Principi, *debilem*, aut minus habentem, aut priuatum *introire in vitam æternam*, *quàm* maiori potentiâ, opulentiâ & imperio ſuperbum *mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Marci 9. v. 48. Quæ ſi cogitaſſent & credidiſſent Macchiauellus & Scioppius, non ſcripſiſſent Principem vitiorum aliquorum infamiam contemnere, aut virtutum quarundam famam à ſe amoliri debere: aut quæ factu honeſta forent, ipſi aliquando vehementer contraria eſſe. *Nec damnum inde metuendum.*

[†]

§. VII.

§. VI.

Scioppium, cum negat amorem non effici à virtute, & ſibi & veritati contradicere.

AT vide Grammatici Ψευδοπολιτεύοντος vertiginem. In Admonitione Lectoris dixerat: *Pietatem ante omnia Principi commendandam, quoniam ea hominũ animos illi reddat propitios, vt eum cum ament, tum reuereantur.* Hic apertè ſibi contrarius malè negat, quod rectè aſſeruerat: *Amorem verò* ait, *& reuerentiam in animis ſubiectorum efficit non virtus in Principe, ſed opinio, in ſubditis de Principis virtute.* Dicet quis Scioppium hic ſolùm virtuti negare vim proximam efficiendi amorem & reuerentiam, non remotam, quam ipſi priori loco rectè tribuiſſe putandus eſt. Nam virtus in Principe ineſt, opinio in ſubditis; & licet virtus agnita excitet opinionem, non tamen niſi per opinionem conciliat hominum animos, hæc enim illis inſidet, illa foris eſt.

Scioppius more ſuo ſecum pugnat.

Sed nihil iſta juuant malam cauſſam. Non enim ideo verè negatur aliquid ab aliquâ re effici, quod ſit cauſſa remota: cum Cauſſæ principales, quibus maximè Cauſſæ nomen & munus competit, plerum-

Cauſſa remota verè eſt cauſſa.

rumque remotè per inſtrumenta effectus ſuos attingant. Inſanit verò, qui negat ſolem lucere aut calefacere, quod non ipſum in ſe, ſed lucem & calorem ab ipſo productum, proximè cernimus ac ſentimus; aut qui abnuit fructus arborum à radice oriri, quia videt proximè eos à ramis pendere. Non magis ſapit Scioppius, cum Virtuti, veriſſimo humanarum mentium Soli, obſeruantiæ lucem & amoris calorem abjudicat, & felicis Imperij fructus ab hâc radice auellit.

Cui omnem vtilitatis ſpeciem adimere peſtilenti hoc argumento videtur: quod *Principem impium, auarum & crudelem, qui habeatur autem pro pio, liberali, & clemente, ſine dubio ſubditi ſint amaturi, & reuerituri; Contra ſi eum credant eſſe impium, auarum & crudelem, etſi reuera pius, liberalis, clemensq; ſit: odio futurus ſit & contemptui.*

Scioppius virtutem inutilem facit.

Quo eodem ſenſu ac ſcopo Macchiauellus c. 15. & 18. non virtutem, ſed virtutis opinionem vnicè Principi commendat, & c. 19. Principis dixit: *honeſta æquè, ac turpis vitæ factis odium conciliari.* Vnde efficitur nihil virtutem ipſam Principi conferre, ſed in illius opinione omne Im-

Ex Macchiauelli ſenſu & ſcopo.

Digitized by Google

perij momentum ſitum eſſe. Siue enim virtutem habeas, nihil ea prodeſt abſque opinione; ſiue eâ careas, nihil id obeſt, modò opinione polleas. Nam ea ſola, amore & reuerentiâ Imperium ſtabilire, aut odio & contemptu euertere poteſt. Quæ doctrina omnem virtutis curam è Politicâ tollit; mereturque vel ſola, vt eius autores toto Chriſtiano orbe proſcribantur.

§. VII.

Alia Scioppii repugnantia; vitia Principum bonâ opinione non diu tegi; eam amoris cauſſam non eſſe; ſæpe vitia nominibus virtutum appellari.

SEd attende aliam Scioppij paucis in lineis repugnantiam. Paulo ſuperius affirmârat, *quarundam virtutum opinionem nihil prodeſſe ſed potius obeſſe Principi*, idque inferius confirmat aſſerendo, ſi Politicus dicat, *liberalitatis & clementiæ famam Principi nocere, nihil eum pro temporum conditione dixiſſe falſi* Hic autem animosè aſſeuerat, *ſi Princeps ſit impius, auarus, & crudelis habeatur autem pro pio, liberali & clemente ſine dubio ſubditos eum amaturos & reſpectaturos, ſeu reuerituros.*

An

An non hoc eſt pugnantia loqui? Si principem, qui habetur pius, liberalis, clemens, ſine dubio amant & reuerentur ſubditi, quomodo opinio earundem virtutum, Clementiæ nimirum & liberalitatis, nocet Principi? Quod amorem & reuerentiam conciliat prodeſt, non nocet; ſi igitur id ſine dubio facit opinio harum virtutum, ergo certum eſt eam non nocere Principi, ſed prodeſſe; & multo certius Scioppium repugnantia eodem ore, de eâdem re aſſerere, & eodem calamo, iiſdem prope lineis ſcribere.

De liberalitate & Clementiâ contraria aſſerit Scioppius.

Falsò autem vanæ opinioni, cui virtus ipſa non ſubeſt, tantam vim attribui ſuprà oſtendi. Nunc id ſolùm addo, aut nullum, aut vix vllum exemplum extare Principis valdè ſcelerati, qui virtutis opinionem vel habuerit, vel diu retinuerit: cum ijs præſertim vitijs, quæ tegi non poſſunt, ſed ſuâ naturâ in alios exercentur, veluti crudelitas, & auaritia. Nam iſta in ſubditorum corpora & vitam ſæuit, hæc in facultates. Nec fieri poteſt, vt ſubditi neſciant, quid ſibi per iniquam vim Principes inferant, vel auferant; neque exiſtimare poſſunt eos, qui id agunt, clementes eſſe, aut liberales. Vnde ex hoc etiam ca-

Opinio virtutis cum ſceleribus diu non conſiſtit.

Digitized by Google

infert, quod maioribus huius aut alterius vitæ, bonis compenſatum, lucrum putari debet.

Poſtremò non contenti quod opinionem virtutis Principi eripiant, ipſas quoque veras virtutes eidem fugiendas eſſe, neceſſariâ ſequelâ fateri coguntur; tum quia in publicis virtutum actionibus, quales Principum eſſe debent, non poteſt fugere earum opinionem, qui illius cauſſam virtutes non fugit; tum quia docent ſaluo *imperio eas omnes ſeruari non poſſe*; *facta honeſta*, *Principi aliquando eſſe vehementer contraria*; eundem, *ſi ſaluum ſe velit*, *cogi nonnunquam eſſe non bonum*, aliáque quæ ſupra attulimus, & omnibus diris deuouenda exiſtimamus. *Fugiendam docent.*

Id quidem inficiandum non eſt, ſæpe vitia nominib⁹ virtutum appellari, vt cum immoderata peccandi impunitas Clementia, & profuſio Liberalitas dicitur. Eiuſmodi non virtutum ſed vitiorum famam, vti aucupari non oportet, ita à ſe amoliri maximè licet. Nos de verâ Clementiâ & Liberalitate loquimur, quarum illa parcit: iſta dat, quibus, & quando, & quantũ, & quomodo oportet. Harum non magìs, quam aliarum virtutum opinionem negli-

gi, aut declinari à Principe poſſe exiſtimamus.

CAP. VIII.

Principatum vitioſum, non ex naturâ rei, ſed hominum vitio, communem & vſitatum eſſe.

§. I.

SVPPETIAE. Falſi Politicum reum eſſe, ſi dicat Principatum maximè communem, & pleriſq; Principum accommodatum, vitioſum & iniurium non eſſe.

FAlſum ſimiliter in Politico accuſari poteſt; ſi cum de Principatu diſputat, non qui aut abſolutè ac ſimpliciter, aut pro rebus circumſtantibus, aut ex hypotheſi optimus, ſed qui maximè communis & pleriſque Principum accommodatus ſit (nam de his omnibus agere ad Politici officium pertinet, velut ſuprà ex Ariſtotele & S Thomâ docuimus) tum igitur falſi arguetur, ſi talem Principatum rigidâ iuris & æqui, ac fidei ſeruandæ religione conſeruari affirmet Hoc enim falſiſſimum eſſe, vſus quotidianus, ſiue experientia comprobat.

Fraus capitalis.

Nam pleroſque Principatus, qui iam à ducentis circiter annis in orbe Chriſtiano fuerunt; certiſſimum eſt neque ſimpliciter, neque etiam pro locorum hominumque conditione optimos fuiſſe; quoniam poteſtas Principum nimis ſoluta ac libera erat, nec ſatis legum vinculis adſtricta, ità vt Ariſtotele iudice, tolerabiliores qua-

quædam Tyrannides exiſtimari poſſint. Hos tamen conſtat, non tam iure ac legibus, aut fidei obſeruantiâ, quàm partim vi apertâ, partim dolo, & fide violandâ conſeruatos & notabilibus incrementis auctos, atque in poſteritatem propagatos fuiſſe, Deo propter occulta populorum peccata id permittente. Nihil igitur peccat Politicus, ſi tractet de Principatu maximè communi & vſitato (nam in hoc ſubiecto eum occupari conuenit) neque, ſi eum non ſemper iuris & æqui, ſiue honeſti curâ, ſed vbi ſit occaſio, violentiâ, aſtutiâ, ac perfidiâ, ſeruari doceat. Peccat tamen, ſi talem Principatum laudat, quoniam falſum eius Adiunctum tradit, cum laudabilis haudquaquam ſit, ſed multis modis iniurius, & infamis.

§. II.

VINDICIAE. Aliud commune eſſe ex naturâ rei, aliud ex hominum imperfectione; priori modo maximè commune eſſe, quod mediocritatem habet in omnigenere; poſteriori, quod vitioſum eſt.

VT perplexum dolum, quo hic Lectorem fallere conatur Scioppius, euoluamus: aduertendum eſt, rationem aliquid agendi vel gerendi, quæ ex certis legibus aut arte pendet, dupliciter communem eſſe ac dici poſſe. Vno modo ex naturâ rei ſi mediocritas quædam ſpectetur, quam plerique aſſequi poſſunt. Altero, ex

Digitized by Google

imperfectione hominum, quibus commune eſt à legibus & arte aberrare.

Communis via præceptorum.

Priori modo in diſciplinâ Chriſtianâ communis eſt via præceptorum, quæ vt neceſſaria eſt omnibus volentibus *ingredi ad vitam*, ità plerique illam eligunt; via conſiliorum, ſublimior eſt, & communem modum excedit, ideoque pauci qui poſſunt capere, illam capiunt & capeſſunt. Sic in Latinitate familiaris ſermonis facilitas, omnibus ad vſum vitæ communis congruit; orationum nerui & phaleræ, Tragædiarum cothurni, poematum leges & flores, à communi hominum vſu & ingenio abhorrent. In omni tandem arte & facultate, mediocris peritia pleriſque contingit; qui apti ſint ſummis artificijs & operibus vndequaque abſolutiſſimis, pauci numerantur.

In omni arte multi mediocres.

Ideoque ſapienter Ariſtoteles 4. Politic. c. 11. cenſet Rempublicam, quæ hominum maiori parti poſſit eſſe communis, eam eſſe, quæ conſtat ciuibus mediocribus; quia naturæ & fortunæ quandam mediocritatem quamplurimi nanciſcuntur, non item ſumma illa animi ornamenta: excellentem dico virtutem & doctrinam, aut fortunæ valde magnas proſperitates,

Reſpublica ex mediocribus communis.

tates. Quam etiam ob cauſſam, ſpectatâ communi hominum conditione, quæ mediocritatem facilius attingit & moderatiùs fert, quàm naturæ & fortunæ exceſſus: rectiſſimè eandem Rempublicam pronuntiauit eſſe optimam, eaſque ciuitates poſſe rectè gubernari, *in quibus pars mediocris magna eſt*, vt ſupra quoque diximus. Atq; hæc, non alia Reipublicæ forma eſt, quam Ariſtoteles ex naturâ rei cenſet eſſe maximè communem & aptam, vt eâ plures ciuitates vtantur. *Et optima.*

Sed quia aliud commune eſt ex legum artiumque præſcripto, aliud hominum vitio & imperfectione: hæcque tanta eſt, vt quod commune & vſitatum eſſe deberet, rarum faciat, & quod inuſitatum eſſe oporteret, in communem vſum inducat; hinc in artibus communis eſt imperitia, in moribus nequitia: illa ob intellectus frequentem hebetudinem, iſta ob voluntatis natiuam in vitia pronitatem. Ob quam cauſſam, etſi communis quidem eſt Chriſtianis omnibus Chriſtianæ fidei profeſſio, non tamen communis eſt Chriſtianæ vitæ diſciplina: quam ità multi negligunt, vt comparatione pauculorum, qui mandata Dei integrè obſeruant, & quia *Vitia commune faciunt, quod rarum eſſe deberet.*

nimis pauci, propè putantur nulli, rectè dicere poſſimus: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Pſalm. 13. verſ. 3.

§. III.

Politiam quoque communem vitiis obnoxiam, at ſi vitia corrigantur, ſimpliciter vitioſam non eſſe; ſceleratam imperandi rationem, inter Principes Chriſtianos communem cenſeri non poſſe.

NEque ſolum in vitâ priuatâ, ſed etiam publicâ, in Imperio & Republicâ, aut communiora, aut certè permixta ſunt vitia virtutibus, & ſcelera honeſtis actionibus. Atque hinc fit, vt ſtatus Politicus communis & vſitatus, ſit vitijs obnoxius non ex naturâ rei, aut formâ vel legibus Politiæ, ſed vitio imperantium, aut conſulentium. Quia verò alia vitia ſubrepunt infirmitati, alia ex propoſito patrantur: priora imperandi rationem non corrumpunt, quamdiu Principes perperam facta quæ nolentibus aut neſcientibus, aut oſcitantibus, quod in licentiâ & difficultate imperandi procliue eſt, excidunt: paribus, aut maioribus remedijs ac bonis corrigunt, & compenſant.

Neque

Neque enim humanæ infirmitatis eſt, nunquam errare aut delinquere; ſed in errore non perſeuerare & de malefactis pænitere, ac vbi fieri poteſt, remedia adhibere, bonæ mentis eſſe putamus; quam ſi Princeps habet, eius imperandi ratio vitijs quidem obnoxia, non autem ſimpliciter vitioſa, æſtimari debet. Vitijs enim obnoxiũ ſe fateri cogitur, quiſquis ſe hominem eſſe negare non poteſt; vitioſum autem eum propriè appellamus, qui vitijs fræna laxat, & peccandi licentiâ ac frequentiâ, totam vitæ ſuæ rationem corrumpit.

Non eſt hominum nũquam errare.

Quod cum Principes in imperando faciunt, dubium non eſt, quin vitioſi ac ſcelerati tum ipſi, tum eorum Principatus haberi debeant: ſiue ex politiæ formâ, ſiue ex ſolâ imperantium conſulentiumque improbitate, tales eſſe deprehendantur. Sed licet toto orbe, Principes à veri Dei cultu, & Orthodoxâ religione alienos connumerando, imperandi rationem maximè communem & vſitatam, eſſe ſceleratam & vitioſam concedamus: id tamen de Principibus veræ Religioni addictis, aſſerere temerarium, & credere inconſultum eſt.

Principes Orthodoxi, vniuerſim non ſcelerati.

Nam

Nam cum vera Religio validis frænis iniuſtitiam, crudelitatem, aliaque imperantium ſcelera cohibeat, & acerrimis ſtimulis ad Dei timorem, & meliorem frugem impellat; difficillimum ſanè eſt plures ex Principibus ſeriò Catholicis, tam ſeueræ Religionis fræna excutere, & aduerſus tam vehementes ſtimulos conſtanter calcitrare. Si aliqui priuatis vitijs ac voluptatibus aliquando, aut aliquandiu indulgent, at in ipsâ imperandi ratione, improbitatis aut injuſtitiæ conuinci aut nulli, aut pauci poſſunt. Cuius rei illud etiam argumentum habeo, quod plerique Principes Catholici, qui perfractis juſti legitimique Imperij, aut omnis honeſtatis repagulis, omnia pro arbitrio agere auſi ſunt: demum in hæreſin aut ſchiſma prolapſi, vitioſum ſceleratumq; dominatum, cum verâ religione ac fide difficulter conſiſtere, fidem fecerunt. Abſtineo exemplis tum breuitatis cauſsâ, tum quia vltro occurrent. Et his, quæ intelligenti ambigua eſſe non poſſunt, ſuppoſitis, ad Scioppij fraudes & impoſturas tranſeo.

Saltem in ratione imperandi.

§. IV.

§. IV.

Ab Ariſtotele Rempublicam maximè communem vocari, quæ cum conſtet ex ciuibus mediocribus, ex naturâ rei talis eſt; Scioppium fallaciter loqui, vt putes vitioſam intelligi.

CApitalis ea fallacia eſt, quod Principatum vitio imperantium maximè communem, & vſitatum, quem haud quaquam laudabilem, ſed multis modis injurium & infamem appellat, pro eâ Politiâ obtrudit, quã Ariſtoteles & S. Thomas 4. Politic. cap. 11. ex naturâ rei, communem & vſitatam eſſe debere docent: eamque aſſignant, quæ quâdam ciuium mediocritate continetur, ideoque ad virtutem & rectam gubernationem aptiſſima eſt, vti ſupra explicauimus. Rempublicam autem vitioſam, quæ non ex naturâ rei, ſed imperantium vitio, neque iure, ſed facto, vti loquimur communis eſt, Ariſtoteles communem nec illo loco, nec vllo alio vocat. Neque de hâc illi ſermonem eſſe inde etiam perſpicitur, quod Rempublicam communem optimam eſſe exiſtimat, ſpectatâ nimirum communi hominum conditione; vitioſam autem Politiam, ab Ariſtotele optimam iudicari, nemo licet peſſimus dixerit.

Digitized by Google

Flagitioſa Scioppii fraus.

Vnde apparet, quàm flagitiosâ fraude Scioppius Lectorem eò ducat, vt putet Rempublicam vitioſam, communem ab Ariſtotele dici, & vt talem à Politico tractari debere: cum Ariſtoteles apertè eam intelligat, quæ ex naturâ rei communis eſt, & ipſo etiam facto ſeu vſu talis eſſe deberet: Reſpublica verò vitioſa ità à Politico tractanda ſit, vt eius vitijs ac remedijs oſtenſis, communis eſſe deſinat, ac rara, aut potius nulla fiat.

§. V.

Principatum vitioſum Principibus accommodatum non eſſe; vitioſum enim contra naturam, & nec ipſi vitioſo, quatenus tale eſt, abſolutè accommodatum eſſe.

Alius Scioppii dolus, vel error.

FAlsò Principatum vitioſum, quem communem eſſe vult, pleriſque Principum accommodatum cenſet. Nulli enim homini accommodatum eſſe poteſt, quod vitioſum eſt, cum ideo vitioſum ſit, quia naturæ hominis, cuius regula eſt recta ratio, accommodatum non eſt. *Omne quippe vitium, eo ipſo, quo vitium eſt, contra naturam eſt. Si enim naturæ non nocet, nec vitium eſt: ſi autem quia nocet, ideo vitium eſt: ideo vitium eſt quia contra naturam eſt*, ait S. Auguſtinus lib. 3. de libero

Omne vitium contra naturam.

arbi-

arbitrio c. 13. Plurimum autem nocere Principi, imò & ſubditis vitioſam imperandi rationem euidens eſt, ergo contra naturam & nullis Principibus accommodatum eſſe vitioſum Principatum, contra Scioppium demonſtratum eſt.

Sed per eam fortè rimam effugiet, quod vitioſum Principatum vitioſæ naturæ & falſæ rationi, quam pleroſque Principum ſequi autumat, conſentaneũ ſeu accommodatum eſſe intellexerit. Verum repugnat rectus ſentiendi & loquendi vſus. *Vitium* enim, vt ait S. Aug. l. c. cap. 14. *non aliunde malum eſt, niſi quia naturæ aduerſatur eius ipſius rei, cuius eſt vitium.* Vt ergo non rectè dicimus ardorem febrilem accommodatum eſſe febricitanti, aut ignem domui ardenti, aut rimas & foramina naui fatiſcenti: ſic perperam affirmamus vllum peccatum conuenire peccanti, aut vitium vitioſo, qui ſi faceret, quod ſibi conuenit, non peccaret, nec vitioſus eſſet. Cuius rei ea ratio veriſſimè redditur, quod vitium non natura eſt, ſed alicuius naturalis boni corruptio: vnde quod vitioſum eſt, quatenus tale, aut corrumpit, aut corrumpitur. Nulli ergo rei, adeóque nec vlli homini, vitium aut vitioſum

Effugium præcluditur.

Vitium nec vitioſo conueniens eſt.

ſum

ſum quidquam, etſi vitioſus ſit, accommodatum aut conueniens rectè dicitur, quia vitium & vitioſum, humanæ naturæ quàm maximè aduerſatur.

Sed neque vitioſo, quatenus talis eſt, vitium & quod vitioſum eſt, abſolutè accommodatum eſt: dum enim Vitium naturam ſeu bonum hominis vitioſi minuit aut corrumpit, ſeipſum ſimul deſtruit, tantoq; celerius, quo maius & vehementius fuerit. Sicut Febris ardentiſſima cum homine quem extinguit, ipſa quoque extinguitur, & ignis domo conſumptâ, in cineres & fumum vaneſcit, & naui fractâ ac ſubmersâ, neque ipſa foramina ſuperſunt: ſic vitioſi Status & Principatus, dum vnâ ex parte explendæ libidini & augendo dominatui maximè acccommodati cenſentur, alterâ parte vindictam diuinam & iuſtum interitum accerſunt, quo cum ipſis Principibus corruunt.

Quoties igitur Imperij, opum, honorum incrementa vel firmamenta, ad vim iniuſtam, vel fraudes & fidem violandam Principem alliciunt & pertrahunt: toties ad menſuram diuinæ vindictæ propius ſe accedere meminerit, quæ cũ *iniuſtitijs*, & *iniurijs*, *& contumelijs*, *& diuerſis dolis* imple-

pleta fuerit, *regnum de gente in gentem transferri, & ſedes ducum ſuperborum deſtrui*, veriſſimis oraculis monemur. Sap. 10. v. 8. & 17.

Quare non aliter conſeruantur vitioſi Principatus Pſeudopoliticis artibus, quã febricitantes febriũ ardoribus, & domus ardentes flammis, & naues fatiſcentes foraminibus, quorum interitus ſi tardior eſt, eo magis miſeranda eſt mali diuturnitas. Sic ſeruat & ſeruatur Pſeudopolitia, non ad diem ſalutis, ſed vindictæ, quam malus Princeps ſuſtinebit licet ſerò, tamen aliquando; & de malis ſubditis aut alijs eandem interea ſumet, quoad peccatis ad æquilibrium diuinæ juſtitiæ caſtigatis, *Virga furoris Domini, in caminum ignis ardentis* proijciatur.

Quæ ſit vtilitas artiũ Pſeudopoliticarum.

§. VI.

Principatum examuſſim optimum nunquam extitiſſe; nec magis à ducentis annis, quam antè, Principatus Catholicos accuſari poſſe.

QVod ait *pleroſq; principatus, qui iam à ducentis circiter annis in orbe Chriſtiano fuerunt, neque ſimpliciter, neque etiam pro locorum hominumq; conditione optimos fuiſſe*; ſi de ipsâ Politiæ formâ & Prin-

cipatuum legibus ſermo ſit, falſum puto, quia dubium non eſt quoſdam Principatus Catholicos optimis legibus inſtitutos eſſe, quibus vix aliquid pro locorum hominumq; conditione addi queat. Si autẽ, vti apparet, Politiam imperantium actionibus metitur, non ſolum proximis ducentis annis, ſed omnibus ſeculis nullum Principatum vndequaque optimum, qui nullâ ratione à ſuis legibus declinârit, fuiſſe concesſerim; vix enim contingit leges quantumuis optimas, examuſſim obſeruari: eſtque is Status perfectiſſimus, non qui optimum penitus attingit, ſed qui quam minimùm inde abeſt.

Nullus Principatus ſine omni Vitio.

Illud verò, quod Scioppius adiungit, *conſtare hos pleroſq; Principatus, qui iam à ducentis circiter annis in orbe Chriſtiano fuerunt, non tam iure ac legibus, aut fidei datæ obſeruantiâ, quam partim vi apertâ, partim dolo & fide violandâ conſeruatos & notabilibus incrementis auctos, atque in poſteritatem propagatos fuiſſe.* Si eos quoque Principatus comprehendit, qui retento Chriſti nomine, à verâ Chriſti fide, proximo ſeculo plurimi defecerunt: non magnopere repugnare poſſum. Si verò Catholicos potiſſimum deſignat, confidentiſſimè

Scioppius iniurius in Principes Catholicos.

tiſſimè pronuntio, grandem iniuriam à Scioppio Catholicis Principibus & Principatibus inferri.

Conſtat enim priorum temporum hiſtorias euoluenti, non eſſe cur his potius quàm illis ſeculis indignemur. Si placet comparationem inſtituere, producat Scioppius recentia, reponam vetera, quæ duorum ſeculorum memoriam anteceſſerunt: & euincam Grammatico huic non plus in hiſtorijs, quam in Politicis tribuendum eſſe, ideoque parum in his, quia parum in illis; nam ex Hiſtoriarum cognitione, prudentique collatione, verus Politicæ intellectus & vſus plurimùm dependet.

§. VII.

Principatum vitioſum à Macchiauello laudari; ideoque & ipſum, & magis eius patronum reum eſſe.

CLientis ſui cauſſâ ipſe patronus prodit, cum ait, *Peccare Politicum, ſi talem Principatum* (vitioſum nempe, quem abuſus communem facit) *laudat, quoniam falſum eius adiunctum tradit, cum laudabilis haudquaquam ſit, ſed multis modis iniuriis & infamis.* Hoc enim vel maximè

egiſſe Macchiauellum, vt Pſeudopolitiam pro verà Politiâ introduceret, eamque non ſolum neceſſariam, ſed etiam laudabilem eſſe perſuaderet, ex ipſius verbis ac ſententijs demonſtrauimus, vnde conſequens eſt ipſum ſuo patrono iudice, maximè peccâſſe. Quare infelix eſt Scioppius, cuius tota defenſio huc denique recidit, vt proprio ore, quem defendere parabat, condemnare cogatur.

Scioppius Macchiauellum damnare cogitur.

Sed non minus ipſe nocens eſt, quod eum, veluti *optimum perfectiſſimumq́; artis Politicæ Doctorem* laudet, & pro illo tanquam pro aris & focis dimicet, qui ob Principatum vitioſum defenſum ac laudatum, omni iure vituperari & damnari debet. Neque dubium eſt, quin eadem quæ Macchiauellus, Scioppius laudanda putet, cum ideo illum laudârit, quia quæ vituperanda ſunt, tanquam laude digna tractauit. quod *non optimi & perfectiſſimi Politicæ Doctoris*, ſed bonæ Politiæ corruptoris officium eſt. Quâ in re grauius, quàm Macchiauellus peccauit, quia vituperandos eſſe Principatus iniurijs & fraudibus infames, clariùs intellexit: ita quidem, vt confeſſionem admiſſi ab iniuſto laudatore,

Grauius Macchiauello peccauit.

tore,

tore. & tractatore peccati, clariſſima veritas, vel inuito extorſerit.

§. VIII.

Cenſuram Scioppio præmonſtrante, in Macchiauelli ſcriptis hucuſque exercitam; ſupereſſe eius aduersùs veram Religionem iniurias & errores; validiſſimum noxij & improbi ſcriptoris argumentum.

EXercuimus Cenſuram in Pſeudopoliticorum Coryphæum eâ Methodo, quam Scioppius licèt præmonſtrârit, mutilam tamen eſſe fatebitur, ſi ſecum ipſe conſentire velit. Nam vt integra Cenſura eſſet, per omnia quinque vitia ſupra à ſe aſſignata ire debuit; atqui de Alieno ſolùm & Falſo locutus, obſcurũ, Ambiguum, & Inconſequens prætermiſit. In quibus, vt ex mente ipſius inter ſe, & à duobus prioribus diuerſa ſunt, non parum quoque deliquit Macchiauellus.

Nam quædam ambiguè, multa obſcurè ſcripſit, vt malitiam tegeret, & incautos tanto falleret facilius. Inconſequentis quoque vitio grauiſſimè peccauit; vt, cum ex fine aut euentu bono, malum facinus eò relatum, malum non eſſe, ſed excuſari poſſe collegit. Cum item ex impro-

Macchiauellus ambiguè, obſcurè, incõſequenter ſcripſit,

probitate hominum, *inter quos eum, qui ſe virum bonum, omnibus partibus profiteri ſtudet, periclitari neceſſe eſt, Principi neceſſarium eſſe*, intulit: *perceptum habere, quâ ratione poßit eſſe non bonus*, neque *virtutes omnes ſeruari*, vel vitia omnia declinari poſſe, aut debere.

Cum ſimiliter ex eo, quod veritatem rerum in Chriſtianâ Religione intuentes, diſcamus honores & pompā huius mundi contemnere, Ethnicos fortiores fuiſſe quam Chriſtianos, hâcque vitæ inſtitutione Chriſtianum orbem imbellem factum eſſe, tam ſacrilegè quam ſtolidè concluſit. Omitto alia, quæ nec inter ſe, nec cum ſuis antecedentibus cohærent, quæque grauiſſimæ Cenſuræ materiam ampliſſimam ſuppeditant.

Nobis non tam de Methodo Cenſuræ laborandum eſt, quam de ijs, quæ perperam à Macchiauello ſcripta cenſemus, quorum ingentem cumulum hucuſque comportauimus: vt oſtenderemus, quantâ veritatis & virtutis injuriâ, hic autor Finem ac Media Politices deprauârit. Sed ſupereſt validiſſimum improbitatis argumentum, iniquus in veram Religionem animus, & multis de eâ erroribus imbutus,

Digitized by Google

tus, quem paſſim demonſtrat. Debuit Scioppius vel maximè inter Falſi crimina illud referre, cum Politicus aliqua affert summæ veritati, quâ verâ Fides nititur, aduerſantia.

Illud quoque Alieni vitium grauiſſimũ diſſimulandum non erat, quo Politicus audaciam ſibi ſumit, Religionis principia examinandi, & in dubium vocandi, peruertendi item & calumniandi. Vt enim alienum à Politicâ non eſt, quidquid oſcen Grammaticus occentet, ex illis tanquam indubitatis, aliquid concludere, ac regulas bene imperandi & parendi inde deriuare: ità alieniſſimum eſt de illis concludere, ac vetito ſaltu *de genere in genus tranſilire.*

Quo vtroq; Falſi & Alieni crimine cum grauiſſime peccauerit Macchiauellus, ea quę de verâ Religione & rebus ſacris, falsò ac imperitè, aut lubricè aſſeruit & diſſeruit: quæq; contra rerum earum dignitatem profanus homo proterue effutijt, ad Cenſuram vocanda ſunt: ne præcipuis vitijs omiſſis, eam nimis obiter exercuiſſe videamur, & vt appareat, quam parum in Politicis fidei mereatur, qui tam malè de verâ Religione ſenſit ac ſcripſit.

Crimine Falſi & Alieni peccat Macchiauellus.

VINDICIARVM POLITICARVM

LIBER TERTIVS.

Macchiauelli doctrinam, Chriſtianæ Religioni plurimùm aduerſari.

CAP. I.

Moyſis in gubernando populo Dei, exemplo & autoritate, Macchiauellum improbè abuſum eſſe.

§. I.

Ex Macchiauelli ſententiâ, Moyſen, Cyro, Romulo, Theſeo, non fuiſſe abſimilem: & occaſione, quam fortuna obtulit, illorum inſtar vſum, armis ſtatuta firmâſſe.

CAP. VI. Principis, inter eos, *qui non fortunâ, ſed ſingulari virtute in Principes ſunt euecti, excellentiores* dicit *fuiſſe Moſen, Cyrum, Romulum, Theſeum, & id generis alios. Etſi de Moſe* ait, *non eſt, quod loquamur (vt qui dumtaxat, quæ ſibi diuinitus fuerunt à Deo præſcripta, purè fuerat exequutus) nihilominus ob eam gratiam, quâ Dei colloquio digna-*

gnabatur, meritò, quis eum admiretur. Atqui Cyrum & reliquos, qui regna ſibi pepererunt & conſtituerunt, ſi quis conſideret, omnes admiratione dignos inueniet: ſiq; eorum facta, cum Moyſis, cui tantus contigit præceptor, actionibus & peculiaribus inſtitutis conferantur, haud diſsimilia videbuntur. Atque eorum rerum geſtarum, & vitæ ratione perpensâ; nihil quam occaſionem à fortunâ eis fuiſſe oblatam ſentiemus: quæ occaſio facultatem præbuerit, quo eam formam inducerent, quàm ſibi aptam iudicârent. Quâ occaſione ſemotâ, eorum animi virtus extincta iacuiſſet, & ſine virtute occaſio, fruſtra ſeſe obtuliſſet. Neceſſarium itaque fuerat, Iſraelitarum populum Moſi captiuum in Ægypto teneri, ab ipſiſq; Ægyptijs opprimi: vt duro ſeruitio leuari ſi voluiſſent, ad illum ſequendum eſſent animo iam affecti, &c.

Occaſioni omnia tribuit Macchiauellus.

Et infra. *Populorum etiam ingenium eſt varium & inconſtans, & vt aliquid perſuadeatur, nihil eſt negotij: at in receptâ perſuaſione vt perſtent, multum eſt negotij. Propterea ità inſtructum eſſe oportet, vt vbi eorum fides conciderit, hanc ipſam neceſsitas illis exprimat, viſq; extrudat. Moyſes, Cyrus, Theſeus, Romulus nunquam inermes*

 ſua

ſua conſtituta tamdiu ſeruanda, curare potuiſſent.

§. II.

Moyſen verâ fide, ac virtute inclytum, cum idololatris comparari non poſſe; nec ſponte principatum ſuſcepiſſe.

VErùm ſacram hiſtoriam, & virtutem Moyſis à Macchiauello imperitè, & fallaciter tractari, & profanari, paucis oſtendo.

Non eſt vera virtus, niſi in iuſto, qui ex fide viuit.

I. Iniuria eſt, quod virtutem Moyſis, quæ verâ in Deum fide nitebatur, ſimulacris virtutum, quibus idololatræ illi celebrantur, comparat. *Abſit* ait, S. Auguſtinus l. 1. contra Iulianum c. 3. *vt ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit iuſtus. Abſit autem, vt ſit iuſtus verè, niſi viuat ex fide: iuſtus enim ex fide viuit. Quis porrò eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani olim*, nunc autem & Pſeudopolitici, *aut in ipſis etiam fortè tu Iuliane*, aut Macchiauelle *ſolus, iuſtum dixerit infidelem, iuſtum dixerit impium, iuſtum dixerit Diabolo mancipatum? ſit licet ille Fabricius, ſit licet Fabius, ſit licet Scipio, ſit licet Regulus*, ſit licet Cyrus, ſit licet Romulus, ſit licet Theſeus, *quorum me nominibus, tanquam*

quam in antiquâ Romanâ, aut Pſeudopoliticâ *curiâ loqueremur, putaſti terrendum*, imo potius decipiendum, vt crederem Moyſis & iſtorum actiones non eſſe diſſimiles.

Sed diſparitas vel inde elucet, quod in Imperia & Principatus animi ambitione & dominandi libidine irruerunt, Moyſes non niſi inuitus, poſtquam Exodi 3. & 4. Deus excuſationem & deprecationem ipſius multiplicem reiecerat, onus regendi filios Iſrael ſuſcepit. Illi multa per vim fraudem & injuriam geſſerunt; *Moyſes erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terrâ*, Num. 12. v. 3. tantæque integritatis & innocentiæ, vt Deus ipſe, teſtis vtiq; omni exceptione maior, tanquã *ſeruũ in omni domo ſuâ fideliſſimũ*, ibid. v. 7. prædicârit. *Moyſes principatũ inuitus accepit.*

§. III.

Moyſen à Deo poteſtatem accepiſſe; neque ſuas, ſed Dei Leges promulgâſſe; neque ex ſuo arbitrio gubernationem inſtituiſſe.

II. FAlſum eſt, *nihil quàm occaſionem à fortunâ Moſi fuiſſe oblatam, quæ facultatem præbuerit, quo eam formam induceret, quam ſibi fore aptam iudicauit.* Non

Poteſtas à Deo.

Non enim à fortunâ, quam infortunatiſſimus Macchiauellus infra cap.25. fæminam facit fuſte ſubagitandam, ſed *à Domino datur poteſtas, & virtus ab altiſſimo,* Sapient. 6. v. 4. *ipſe transfert regna, atq; conſtituit,* Dan. 2.v.21. vti ſupra quoque diximus. Huic acceptum tulit, quidquid habuit Moyſes, eidem Principatus & Imperia debent omnes in ſublimitate conſtituti; adeoque & Cyrus, Romulus, Theſeus debuerunt, etſi non perſoluerint, quod debebant.

Moyſes Leges Dei promulgauit.

Illud quoque repugnat Scripturæ, quod Moyſes *occaſione oblatâ vſus, eam formam regiminis induxerit, quam ſibi fore aptam indicauit,* cum non ex ſuâ voluntate ſed diuinâ populum gubernârit, neque leges ipſe tulerit, ſed à Deo latas promulgârit. *Hæc* ait, *ſunt præcepta, & cerimoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter, vt docerem vos.* Deuteron. 6. v. 1. Quod ipſe Macchiauellus intra paucas lineas ſibi contrarius ſuprà faſſus eſt, cum dixit: *Moſen dumtaxat, quæ ſibi à Deo fuerunt præſcripta, purè executum fuiſſe,* falsò itaque inter eos refertur, qui occaſione vſi, Rempublicam aut Principatum pro arbitrio, vti commodum erat, effinxerunt.

§. IV.

§. IV.

Occaſione imperandi ſemotâ, non ideo virtutem extingui, vt in ipſo Moyſe apparet.

III. FAlſum eſt, quod *occcaſione ſe motâ eorum*, quos laudat, ac Moyſis præcipuè, *animi virtus extincta iacuiſſet. Non* enim *magnanimus* vt docet Ariſtoteles 4. Ethic. c. 3. *ad honorem afficitur, quaſi ad ſummum bonum, neque ad potentatum & diuitias, quæ honoris cauſsâ expetuntur, ideoq; qui his pollent, honorari ob iſta volunt. Cui ergo honor paruum quid eſt, ei cætera quoque parua ſunt.* Habet igitur etiam priuata virtus materiam, in quâ ſe exerceat, & vnde luceat tanto ſecurius, quanto ſecretius, ſolo Deo arbitro. Cui ſine Fide, Spe, Charitate nulla virtus placet; illa autem tria, ſumma animi noſtri bona, Imperijs & honoribus non indigent. Quod illuſtri exemplo ipſe Moyſes docuit, cum adoptatus licet à filiâ Pharaonis, in locum filij Exodi 2. v. 10. *fide negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; eâdem fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem*

Honor non eſt ſummum bonum.

Illuſtre Moyſis exemplum.

tem.

tem regis; inuiſibilem enim Deum, tanquam videns ſuſtinuit, teſte Apoſtolo Hebr. 11. v. 24. 25. Neque quadraginta illis annis, quibus in terrâ Madian fugitiuus aduena hæſit, virtus illius extincta iacuit, quæ tantâ in Deum fide, ſpe ac charitate eluxit.

§. V.

Populum Dei, Moyſis cauſsâ in Ægypto captiuum non fuiſſe, ſed Moyſen illius liberandi cauſsâ à Deo miſſum.

IV. FAlſum eſt: *Neceſſarium fuiſſe, Iſraelitarum, populum Moſi captiuũ in Ægypto teneri, ab ipſisq; Ægyptiis opprimi, vt duro ſeruitio ſi leuari voluiſſent, ad illum ſequendum iam eſſent animo affecti,* quod idẽ repetit, c. 26. Neq; enim ſcriptura dicit populum Iſrael *captiuum* fuiſſe in Ægypto, ſed *peregrinum & accolam in terrâ alienâ, ſeruitutiq; ſubiectum, & malè tractatum annis quadringentis.* Geneſ. 15. v. 13. & Act. 7. v. 6. Neque hæc ideo filijs Iſrael contigerunt, vt Moyſes occaſionem haberet Principatum capeſſendi, ſed contrà Deus illum Principem & redemptorem miſit, *cum manu Angeli*, qui apparuit illi in rubo, Act. 7. v. 35. vt ſeruitute oppreſ-

Iſrael in Ægypto captiuus non fuit.

oppreſſos liberaret, & educeret illos faciens prodigia & ſigna, &c. Ibid. v. 36. Neque tandē Moyſes reperit filios Iſrael, etſi malè in Ægypto habitos, adſequendum iam animo affectos: ſed opus fuit pluribus ſignis, ab illis fidem diuinæ voluntatis extorquere, Exod. 4. Cui nunquā conſtanter morem geſſerunt, ſed identidem *rebelles, repulerunt, & auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum.* Act. 7. v. 39.

§. VI.

Potuiſſe à Moyſe & aliis, licet inermibus leges ſtabiliri, ſi Deo placuiſſet.

V. Falſum eſt Moyſen, Cyrum, Theſeum, Romulum *nunquam inermes ſua conſtituta, tamdiu ſeruanda curare potuiſſe.* Nam præterquam quod Moyſes non ſua, ſed diuina conſtituta filijs Iſrael ſeruanda propoſuit, potuit tum illi, tum alijs Deus abſque vllis armis & armatis, animos populorum conciliare: & conſtanter obſequentes præſtare, in cuius manu non minus ſunt corda ſubditorum, quam Regum & Principum. Quâ ratione Chriſtus *domuit orbem non ferro, ſed ligno*, vt ait S. Aug. ad Pſal. 54. v. 1. & ſubiecit ſibi gentes non legionibus militum, ſed

ſed doctrina piſcatorum . quæ vſque ad conſummationem ſeculi vigebit & perſeuerabit. Accedit Moyſen arma non tractâſſe, quantum quidem ſacræ literæ memorant: & delinquentibus non tam pœnas irrogaſſe, quàm ignouiſſe, vltimumq; ſcelerati populi excidium ſæpius deprecatum eſſe, vti legimus Exod. 32. Num. 11. 14. 16. 21.

Moſes arma non tractauit.

Atque ex his apparet, quanta perfidiâ, falſitate , imperitiâ hic Pſeudopoliticus, Moyſis geſta, & ſacras Scripturas in partes ſuas trahat; Lectoremque eò ducat , vt ſanctiſſimum Prophetam, non minus quàm Cyrum, Theſeum, Romulum , profanum fuiſſe credat. Quod ij faciunt, qui nummis adulterinis fallunt, aut vitioſis mercibus: vt vno alteróue aureo nummo , aliquâ item probâ merce oſtensâ , in cautos illiciant: hoc egit Macchiauellus , cum à Moyſe exemplũ aduocauit, vt nõ abſimili ratione, vnius Sanctitate aliorum ſcelera, ſuumque venenum iſthoc melle illineret, & occultaret.

§. VII.

Calumniam eſſe, cum Macchiauellus dicit, ſubditos à Pontificibus negligi

CAP. XI. Pontifices calumniatur, aſſerens: *Hos vnos omnium, dominatum haberes*

habere, nec illum defendere. Habere & qui ſubijciuntur populos, quorum regendi curâ nullâ tangantur. Eorum prouincias, indefenſa cum ſint, qui ab eis auferat, neminem eſſe. Populos item ſub eorum adminiſtratione, cum ſe neglectos ſentiant, nihil morari. Vt autem ab eis ſeſe ſubtrahant, aut explicent, tantùm abeſſe vt cogitent, vt ne poßint quidem.

Quæ tam falſa ſunt, vt ea refellere opus non ſit. Non negligi à Pontificibus ſubditos, clamant magiſtratus, gubernatores, legati per quos gubernantur & in officio continentur; idem demonſtrant bella pro defenſione Status Eccleſiaſtici legitimè ſuſcepta. Sed Macchiauellus ſecum ipſe pugnat. Si enim Pontifices nullâ curâ regendi ſubditos tanguntur: nulla eſt ratio, cur non indefenſi in aliorum prædam cedant, aut ipſi ſe eorum dominio ſubtrahant; quod hominibus omni Principum curâ ſolutis, non poteſt non eſſe facillimum. Tanta ergo, ſummos Religionis antiſtites calumniandi libido, & de illis loquendi licentia contemptu plena, quæ paſſim in ſcriptis eius apparet, animum arguit Religionis contemptorem.

Macchiauellus ſecū pugnat.

Digitized by Google

CAP. II.

Vitia declinari, & virtutum præcepta à Principibus obſeruari poſſe; & aliquod illis conſtitutum eſſe tribunal.

§. I.

Ex Macchiauelli ſententiâ, nec vitia omnia declinari, nec virtutes ſeruari poſſe, aduerſante humanæ vitæ conditione.

CAp. xv. Principis, peſtilens Pſeudo-politiæ Principium, & veræ Religioni aduerſum ſtatuit hiſce verbis: *Poſthabitis, quæ de Principe dumtaxat animo ſunt efficta, deq́; ijs quæ vera ſunt, differens, dico omnes homines, cum de his eſt ſermo, Principes præſertim, quod editiori in loco poſiti ſunt, harum rerum aliquâ notari ſolere. Vt alius liberalis, reſtrictus & tenax alius dicatur: quidam munificus, raptor alius: nonnulli crudeles, alij clementes: aliqui fœdifragi, religioſi alij: partim effæminati & molles, contrà alij viri fortes & feroces: multi humani, ſuperbiâ tumidi alij: complures libidinoſi, caſtitate præditi nonnulli: in non paucis vitæ integritas, fraus nocentiſſima in multis cernitur: moribus aſperi ſint quàm plurimi, facilitate & lenitate quidam ornati: nonnulli graues & ſeueri, ex contrario, qui leues ſint & diſ-*

& diſſoluti: pietatem colant multi, contra ſunt, qui plurimùm aduerſantur, & his ſimilia. Nemo non fatebitur ſcio, fore rem ſummis laudibus celebrandam, ſi omnibus his Princeps eſſet ornatus, quæ ex iam dictis bona exiſtimantur. Verùm cum nec haberi, nec aduerſante humanæ vitæ conditione ſeruari poſſint, neceſſarium eſt vti eâ prudentiâ, quâ eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi Imperium adimi poſſet.

§. II.

Macchiauellum cum hæreticis, Dei præcepta ſeruari non poſſe aſſerentibus, à Concilio Tridentino damnatum meritò cenſeri; abſolutè enim illum loqui, & contra aliorum ordinem.

IN verâ religione omnia vitia & peccata prohiberi, virtuteſque ad ea vitanda neceſſarias præcipi nemini dubium eſt. Hinc Chriſtianæ vitæ ac juſtitiæ ſumma, in ſacrâ Catecheſi hæc omnibus à puero proponitur: *Declina à malo, & fac bonum,* Pſal. 36. v. 27. quam Chriſtus expreſſit, cum dixit: *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata,* Matth. 19. v. 17. Non enim aliter mandata ſeruantur, quàm declinando à vitijs omnibus, & contrarias virtutum actiones exercendo. *Chriſtianæ vitæ ſumma.*

Contra quam veriſſimæ fidei doctrinã, quia Macchiauellus temerariâ, & *à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce*, vt loquitur Concil. Trid ſeſs. 6. cap. 11. virtutes, quarum bene longum Catalogum hìc texit, quaſque ſeruandis diuinis præceptis, & fugiendis vitijs contrarijs neceſſarias eſſe manifeſtum eſt, nec haberi, nec aduerſante humanæ vitæ conditione ſeruari poſſe aſſeruit: ideo ab eodem Concilio, communi cum noſtri temporis hæreticis, anathemate perculſus cenſeri debet, l. c. Can. 18 his verbis: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratiâ conſtituto, eſſe ad obſeruandum impoſsibilia, anathema ſit.*

Macchiauellus abſolutè loquitur.

Neque enim dicas Macchiauellum non abſolutè loqui, ſed ſub conditione; ſi quis Princeps Principatum quouis modo ſaluum eſſe, & tueri velit. Nam vt ſupra dixi, profitetur nouam & alienam ab aliorum ordine diſputationem. Non poſſe autem eum, qui decreuit eſſe malus, poſitâ eiuſmodi voluntate, virtutes habere, aut ſeruare, nec vitia omnia fugere: nihil nouum eſt, nec à veritate, aut aliorum ordine alienum. Categoricè igitur & abſolutè loquitur, ideoque reiecta aliorum

doctri-

Digitized by Google

doctrina veluti animo efficta, veram ſcilicet, ipſe pollicetur, non ſine graui veræ Religionis iniuriâ. Nam ſi communis ante Macchiauellum Politica, quia virtutes ſeruari iuſſit, vitiíque nullius licentiam, quocunque Imperij prætextu conceſſit, fictitia putanda eſt: neceſſe eſt Religionem Christianam non eſſe veriorem, cum ex illâ, velut primâ rectè viuendi regulâ, præcepta iuſtitiæ ac probitatis Politica deriuet, vti ſupra demonſtrauimus.

§. III.

Verba quoque Macchiauelli clara eſſe, cum negat aduerſante humana vita conditione id fieri poſſe; licet Sanctiſſimorum Principum exemplis refellatur.

ACcedit alterum clarum ex Macchiauelli verbis de mente illius argumentum. Dicit enim virtutes, à ſe enumeratas, *aduerſante humana vita conditione nec haberi, nec ſeruari poſſe,* non igitur ſolam prauæ voluntatis hypotheſin, obſtare judicat: ſed humanæ vitæ conditionem, cui repugnare non eſt hominis, quantumuis bonus eſſe velit.

Non ex hypotheſi loquitur Macchiauellus.

Sed tam falsò quam impiè iſtud dici, eorum Principum exempla demonſtrant, qui Sanctitate illuſtres, vel nullo grauiori

Digitized by Google

vitio admiſſo, vel noxis, ſi quas contraxerunt, ſeriò ſeuereque expiatis: virtutes implendis Dei præceptis neceſſarias, haberi ſeruarique poſſe, etiam in Imperio verbis & factis demonſtrârunt. Hoc de ſeipſo teſtatur, magnus Rex, & *vir ſecundùm cor Dei*, qui Pſa. 118. ſæpius ſibi magnâ cum fiduciâ ſpondet ac tribuit mandatorum Dei obſeruationē. Id Regi Ieroboam, qui ex *cogitato conſilio* Pſeudopolitico, *peccare fecit Iſrael*, exprobratur, 3 Reg. 14. v. 8. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo.*

Dauid mādatorum Dei obſeruans.

Item Ioſias.

Simili præconio celebratur Rex Ioſias 4. Reg. 23. v. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in toto corde ſuo, & in totâ animâ ſuâ & in vniuerſa virtute ſuâ, iuxta omnem legem Moyſi.* Ioſiæ adiungo, quem Scioppius quoque adiunxit S. Ludouicum Regem Galliæ, qui (vt habetur apud Surium in eius vita 25. Auguſti) ad eam virtutis perfectionem euaſit, vt vitam ab omni mortiferi peccati contagione puriſſimam exegiſſe diceretur; ex ſanctiſſimæ nimirum matris voto, & adhortatione. Hæc enim

Et S. Ludouicus.

Digitized by Google

enim non rarò illi fertur dixiſſe: *Equidem malim chariſſime fili, te extinctum cernere, quam letali alicui peccato obnoxium.*

Idem monitum S. Ludouicus, Philippo filio primogenito, teſtamento reliquit, hiſce verbis: *Deum liberâ mente amato, quo ſine nemo ſaluus eſt. Nullo illum crimine offendito. Tolerabilior tibi mors eſto, quàm Peccatum.*

§. IV.

Poſſe ac debere à Principibus omnia peccata mortalia vitari, & SS. exempla illis imitanda proponi

NOn ergo aduerſatur conditio vitæ humanæ, obſeruationi diuinorum præceptorum, quæ virtutum actibus vitiorumq; fugâ continetur. Teſtis eſt humanæ vitæ arbiter Deus, qui Principibus quoque leges dedit, nemini eas daturus, ſi ſeruari non poſſent. Dauidi potius, Ioſiæ, & S. Ludouico credat ſapiens Princeps, quam Macchiauello, poſſe nimirum à Principibus, peccata omnia vitari, quæ diuinam amicitiam tollunt, & ab æternâ morte, cuius reos nos conſtituunt, mortalia dicuntur. Leuibus ſolùm, quæ venialia appellamus, obnoxia eſt humana

Venialibus peccatis obnoxia humana infirmitas.

mana infirmitas, vt omnibus cauendis non ſufficiat; propter quæ bonorum Principum, & omnium *iuſtorum illa vox eſt & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra*, vt ait Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. De his autem non loqui Macchiauellum, tam apertum eſt ex ſceleribus, quæ locis allegatis & allegandis laudat, & neceſſaria putat, vt ſi quis id non aduertat, eius oſcitantia veniam non mereatur.

§. V.

Macchiauellum, non ex concupiſcentiâ vti Lutherum, ſed inde errorem ſuum fabricâſſe videri, quod putaret non poſſe nos vehementibus cupiditatibus obluctari, quin iis obſequamur.

ETſi verò Macchiauellus communem cum hæreticis doctrinam habeat, non ex Lutheri tamen aut Caluini principijs, quæ eius ætate ignota fuerunt, illam hauſit, ſed ex proprijs fabricauit. Illi enim concupiſcentiam, ſiue legem membrorum, eiuſque motus licet rationem præuenientes, peccata eſſe & quidem mortaliâ falsò arbitrati: cum ſine concupiſcentiâ, eiuſque motibus nemo viuat, legem diuinam à nemine ſeruari poſſe concluſerunt.

Digitized by Google

runt. Macchiauellus autem ex alio duplici errore in eundem errorem incidit.

Nam primùm putâſſe videtur, non poſſe hominem vehementioribus affectibus obluctari, quin ijs obſequatur, eaque faciat, ad quæ impellunt, quantumuis iniqua & improba ſint. Hâc certè ratione Principis Valentini res geſtas, perfidiâ, fraudibus & ſæuitiâ plenas, c. 7. excuſat, cum dicit *ſe non videre, quâ in re eum reprehendat, imò omnibus potius imitandum proponi, qui ad Imperia fortunâ duce, & alienis armis ſunt prouecti. Aliter enim* ait, *cum magnos & elatos animos gereret, illum animi propoſitis ad altiora impellentibus, rem ſuam adminiſtrare non poterat*, quàm ſcilicet perfraudes, cædes, aliâque ſcelera. Quæ vtique minus audacter Macchiauellus excuſâſſet, ſi eiuſmodi *animi propoſitis*, ad quæuis etiam iniqua impellentibus, reſiſti poſſe crediſſet.

Macchiauellus cenſuit affectibus reſiſti non poſſe.

Sed hâc in re Fidei & Scripturæ grauiter repugnat; quod enim Geneſ. 4. v. 7. Deus dixit inuido Caino, idem dicere putandus eſt ſuperbo Valentino, & cuiuis poſt concupiſcentias ſuas eunti: *Nonne ſi bene egeris recipies? Sin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit*, fruſtra eas clau-

Repugnat Fidei & Scripturæ.

Digitized by Google

dente malo ianitore Macchiauello. *Sed ſub te erit appetitus eius*, inuidiæ, ambitionis, ſuperbiæ, *& tu dominaberis illius.* Quo dominio niſi homines vti poſſe ac debere credamus, quæuis ſcelera vehementiâ affectuum excuſari poterunt, & debebunt.

§. VI.

Veriorem cauſſam illam eſſe, quod Imperium aliaq; bona externa, proprium præcipuumq; Politicæ finem eſſe ſtatueret.

VErum altera erroris huius cauſſa, multo certior eſt, imò omnibus Macchiauelli principijs ac fundamentis conſideratis, liquido explorata. Statuit nimirum, vti antè demonſtratum eſt, proprium præcipuumque finem Politicæ, eſſe Bona externa, ſiue Imperij incolumitatem, gloriam, opulentiam, potentiam: hæc autem cum ob hominum improbitatem, fraudes ac perfidiam, quorum *ratio viuendi, ab eâ, quâ æquum eſſet, vt viuerent, nimiùm quantùm abeſt*, ſolis bonis artibus retineri & conſeruari, non ſolere aduerteret, nec poſſe putaret: humanæ vitæ conditionem ſolis meriſque virtutibus aduerſari, ideoque *vitia ſine quibus dominatum non*

Prauus Politicæ finis.

Digitized by Google

non facilè, Princeps tueri poſſet, accedentibus præſertim *animi propoſitis ad altiora impellentibus*, non reformidanda eſſe concluſit.

§. VII.

Principatus, in quibus nihil peccetur, nullos & fictitios eſſe, neque talem imperandi rationem Principibus praſcribi.

ADuerſus quam Macchiauelli impiam doctrinam, hucuſque diſſeruimus, pro rectæ rationis, diuinarum humanarúmque legum jure, quod neque Bona fortunæ ſupremo loco, ſiue in ſupremi præcipuique finis ſede collocari, nec propter illa, bona animi violari patitur. Neque idcirco, ſicuti Macchiauellus criminatur, *Reſpublicas & Principatus quoſdam animo effingimus, qui nunquam ſub aſpectum venerunt, aut nunquam reuera extiterunt*.

Eos enim Principatus veræ Politicæ conſentaneos eſſe contendimus, qui in Politiæ formâ, ſiue legibus ſuis nihil vitij continent, & nullam peccandi licentiam permittunt. Quales Reſpublicas, ſeu Principatus nunquam ſub aſpectum veniſſe falſum eſt; multas enim eiuſmodi Politias

Principatus legitimi multi.

Politias ſine vllo legum vitio conſtitutas, & olim, inter Catholicos præſertim, extitiſſe, & etiamnum extare, certiſſimum eſt.

Leges nunquam integrè & perpetuò, ab omnibus ſeruantur.

Si de legum obſeruatione agatur, fatemur eas in nullâ Republicâ integrè & perpetuò ab omnibus obſeruatas vnquam fuiſſe, aut hodie obſeruari; vbique enim optimis permixti ſunt peſſimi, & bonis mali. Quos omnes à ciuili Societate excludi poſſe aut debere, aut etiam bonos non aliquando ceſpitare qui putat: is profectò talem Rempublicam aut Principatum animo effingit, qualis nunquam ſub aſpectum venit, nec reuera extitit.

Quid Principibus & Imperantibus incumbat.

Hoc autem neque negotium noſtrum, neque conſilium eſt, quod eò ſolùm ſpectat, vt Principes, alijque imperantes, ſtudium & curam ad virtutem probitatemq; præcipuè referant; & ſi quæ ipſi peccant, ipſi emendent; quæ ſubditi delinquunt, legitimis pœnis coerceant; nec ſibi autem peccandi, legeſque violandi licentiam vſurpent, nec ſubditis concedant; ex quibus quo plures bonos effecerint, aut retinuerint, tanto melior Politia judicabitur. Hanc imperandi rationem, vti legitimam boniſque Principibus ac Rebuſpublicis com-

communem & neceſſariam eſſe nemo negare poteſt: ita *ſolo animo effictam, nunquam ſub aſpectum veniſſe, vel renera extitiſſe*. nemo cum Macchiauello criminari debet. Cuius hæreticum errorem, vt in apertum ex ſuis latebris educeremus, neceſſe fuit ea dicere, quæ non à multis animaduerſa videri poſſunt.

§. VIII.

Si Macchiauellus ſeriò tribunal iudicis Vinorum & mortuorum credidiſſet, Principibus ſuaſurum non fuiſſe: Vt tribunalis ſecuri, & ſolâ honeſti ſpecie contenti, quibuſuis rationibus Imperium tuerentur.

CAP. XVIII. Principis, *In hominum autem* ait, *præſertim Principum actionibus, vbi nullum habetur conſtitutum, ad quod vocentur iudicium, rerum euentum plerique obſeruantes expectant. Vitam igitur Princeps tueatur, curetq́ Imperium conſeruare; quibus autem id fiat rationibus, ea modo honeſti ſpeciem præ ſe ferant, nunquam non honore dignæ, laudibuſque exiſtimabuntur. Ducitur namque captiuum perpetuò vulgus ſpecie recti, & rerum euentu; & planè nihil, quàm vulgus toto in orbe verſatur.*

Digitized by Google

Videri poſſet Macchiauellus nihil hic aduerſus veram fidem loqui, cum negat *haberi conſtitutum, ad quod Principes vocentur iudicium.* Etenim ſi de ſupremis Principibus & Rebuſpublicis loquamur, quæ ſuperiorem non agnoſcunt, verum eſt in hac vitâ nullum extare tribunal, quò ad cauſſam dicendam vocari, & vbi accuſari vel damnari poſſint. Illud quoque veriſſimum eſt, Principes improbos hâc ſupremâ poteſtate, ad criminum licentiam, ſubditorúmque iniurias, frequenter abuti.

Supremi Principes in hâc vitâ tribunal nō habent.

Verum non intra hos limites loqui Macchiauellum, ſed illud quoque tribunal, *ante* quod *omnes nos*, ſeu Principes, ſeu ſubditos, *ſtare & manifeſtari oportet,* teſte Apoſtolo Rom. 14. v. 10. & 1. Cor. 5. v. 10. inficiari, non vana ſuſpicio eſt. Nam alibi ità loquitur, vt animam quoque humanam mortalem & caducam credere videatur, adeoque non magis hominibus quàm brutis, aliquod poſt mortem judicium ſupereſſe.

Concluſio deinde, ſeu monitum, quod ex Principum ſupremâ poteſtate nulli judicio aut judici ſubiectâ elicit: hominem tot impietatis præjudicijs jam antè labo-

ran-

rantem, multò vehementiùs ſuſpectum reddit. Si enim credidit venturum eſſe aliquando *iudicem viuorum atque mortuorum*, malè Principibus ſupremis conſulit, vt *quibuſuis rationibus vitam & Imperium tueantur, & ſolâ honeſti ſpecie contenti* laudis exiſtimationiſque ſecuri ſint. *Ducitur* quidem *vulgus ſpecie recti*, ſed non Deus, *qui interrogabit opera Principum, & cogitationes ſcrutabitur*, Sap. 6. v. 4.

Macchiauellus Principibus non bene conſulit.

Contrarium ergo inferre & monere debuit Macchiauellus, ſi veræ pietati ac Religioni Principum ſaluti contrarius non eſſet. Nullum equidem in hâc vitâ conſtitutum habetis iudicium Principes, ſed *ſtatutum eſt* vobis, ſicut alijs *hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium*, Heb. 9. v. 27. quod declinare nemo Regum poteſt. Vitam igitur & Imperium conſeruate ijs rationibus, quæ non ſolum ſpecie recti homines capiant, ſed Deo quoque placeant. Si enim, vt Sapientiæ vocibus vos adhorter; *cum ſitis miniſtri regni illius, non rectè iudicatis, nec cuſtoditis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulatis: horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſeri-*

Adhortatio ad Principes.

Digitized by Google

ſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura illi eſt de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo reges & Principes ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Qui enim cuſtodierint iuſta iuſtè, iuſtificabuntur: & qui didicerint iſta, inuenient quid reſpondeant, in tremendo iudicio. Vbi obmuteſcent Principes amplexi præcepta Macchiauelli, qui homines quidem non metuere, illoſq; honeſti ſpecie fallere, Deum autem offendere, docet, & contemnere, imò & negare. Huc prolabi neceſſe eſt eos, qui alienum cenſent à Politicâ, principia Chriſtianæ fidei præ oculis habere, aut fidem illis adhibere.

CAP. III.

Digitized by Google

Cap. III.

Doctrinâ Macchiauelli de Fato & Fortunâ, à Dei prouidentiâ & virtute animos abduci, ac liberum arbitrium peruerti.

§. I.

Macchiauelli de fortunâ ac fato, & liberi arbitrii aduerſus illud viribus doctrina.

CAP. XXV. De fortunâ non ſine graui iniuriâ & contumeliâ diuinæ prouidentiæ diſputat, vt ex hiſce verbis perſpici poteſt: *Ne arbitrium noſtrum extinguatur, eam opinionem ſequor, vt alteram noſtrarum rerum partem, fortunæ arbitratu iudicem procurari, alteram, vel paulò minus nobis adminiſtrandam relinqui. Fortunam enim montano flumini omnia proſternenti comparare ſoleo, &c. Nihilominus, cum tali feratur ingenio, nihil impedit, quo minus homines pacatioribus temporibus poßint obicibus, aggeribuſq; proſpicere, vt iterum exundans canalibus defluat; aut impetu repreſſo, tam effusè pernicioséque non feratur. Idem accidit de fortunâ, quæ vim ſuam exerit, vbi nulla adeſt ad reſiſtendum inſtructa virtus; eò ſuos impetus conuertit, vbi nullos aggeres, nulla impedimenta, quibus ſibi ob-* *Macchiauellus diribitor fortunæ & liberi arbitrii.*

 bi ob-

bi obuiàm iri poſsit, nouit eſſe extructa, &c.

Tempora modo agendi congrua, felices faciunt.

Illum etiam felicem exiſtimo, cuius in adminiſtrando conſilia, temporum conditioni reſpondent: viciſsimq; infelicem illum puto, à cuius rerum gerendarum procuratione tempora diſcrepare videntur. Conſtat enim homines in ijs rebus, quibus ad finem deducuntur (quem finem ob oculos propoſitum habent, nempe gloriam & opes) non vnâ ratione deliberare. Nonnulli circumſpectè quodammodo, alij impetu, complures vi, arte multi, ſunt qui patienti animo, effrænato quam plurimi, & vnus quisque his modis inter ſe repugnantibus, eò peruenire poteſt. Alterum præterea è duobus videmus, cui in agendo obſeruatio eſt, quò deſtinauit, perueniſſe, alterum nequaquam. Viciſsim ex duobus alteris, videmus vtrumq; contrarijs ſtudijs æquè felices fieri. Quæ res aliunde non manat, quàm à temporum conditione, quæ cum eorum agendi modis, vel conſentit vel repugnat, &c.

Stet itaque ſententia, ſi cum fortunæ viciſsitudine pulchrè conſentit, hominum obſtinata in procurandis rebus, ratio illa & modus, felices dicentur. Contra ſi cum illâ diſſidet, miſeri ſunt. Satius tamen iudico ferocem eſſe, quàm circumſpectione duci. Fortuna

Digitized by Google

tuna namq; femina eſt, & vt quis eam ſubijciat, neceſſe eſt, vt fuſte eam ſubagitet, atq; inſtiget. Nemo non videt eam libentius ab ijs, qui ardentiores, quã ab illis, qui in agendo frigidi ſunt, pati ſe vinci. Proinde quà femina eſt, eà iuuenum amicitiam amplectitur. Minus enim rerum rationem habent, & ad omnia ſunt ferociores: ſic, vt & in ipſam etiam fidentiori animo Imperium exerceant.

Fortuna Macciauello fœmina eſt.

Adiungo, quæ ad eandem rem pertinentia, ex eâdem farinâ pinſit, lib. II. diſcurſuum, cap. XXIX. de Fato ſeu Fortunâ. Pro eodem enim hæc duo illum habere, apparet vel ex titulo, cui, licet Fatum frequentius nominet, ſolius Fortunæ nomen inſcripſit hiſce verbis: *Fortuna hominum animis tenebras offundit, ne vim ſuam ingruentem refringant;* quâ de re capitis decurſu ita diſſerit.

Si rerum viciſſitudinem contemplemur, comperiemus multa accidere ex Fato ità vrgente, vt ijs obuiam ire nemo poſſit, quamuis in promptu remedia fuerint. Et ſi P.R. talia quædam acciderunt, in quo omnis generis virtutes enitebant, & religionis inprimis, ac rei militaris ſtudium vigebat: cui mirum videri debet, ſi alijs Rebuſpublicis

Digitized by Google

prouinciiſq; etiam eueniant, in quibus nullæ harum virtutum tantopere elucent? Inprimis igitur habenda ratio eſt earum rerum, quæ fato ipſo, ſeu aſtrorum influxu euenire videntur: & quibus vt reſiſtamus, fortuna non permittit.

Fato & aſtris, non ſemper reſiſti poſſe putat.

Quarum exemplum luculentiſſimum eſt id, quod P. R. clade Gallicâ accepit, &c. Quod ſi quis igitur animo comprehendat, res à P. R. prius, tam præclarè longo annorum numero geſtas: iiſque has conferat, quas aduerſus Gallos geſſerunt, tam diuerſas eſſe comperiet, vt non ab vno eodemque, ſed diuerſis populis geſta eſſe videantur. Vſq; adeò ſcilicet occœcat fortuna animos hominum, ait Liuius, *cum vim ſuam ingruentem refringi non vult.*

Doctrina peruerſa.

Quo fit, vt qui in perpetuis periculis verſantur, minùs vituperari debeant: & minùs laudari, qui continuâ felicitate fruuntur, cum & illos & hos fata eò trahere videantur: neque conſilium illorum ad reſiſtendum malis, neque horum virtus ad comparandam felicitatem multùm facere queant. Solent equidem fata ſuis vti mediis. Nam ad res magnas patrandas, non niſi viris egregiis vtuntur, qui oblatas fortunæ occaſiones arripere queant: & ſi quæ magna

moles

moles impendeat malorum, prius quàm eueniant, ſolet eos viros, qui conſilio ijs obuiam ire poſſent, aut abolere, aut certè ità affligere, ne reſiſtere vllo modo poßint, &c.

Hoc vnum pronuntiabo de fortunæ viribus, & fati neceßitate, quod hiſtorias omnis generis percurrenti facilè apparebit, homines fati neceßitatem euitare non poſſe: ſed faciliorem euentum ijs, quæ ab eo impendent, efficere, eumq; promouere: adeoq; Parcarum telas texere, non retexere, aut rumpere. Quod e ſi ità ſe habeat, non decet tamen, vt animum abijciamus, noſq; planè committamus fato, ſed quâcunque fortunâ aſpirante bene ſperemus, diligenter prudenterq; rebus noſtris prouideamus: quod fatorum via, & rationes producendorum effectuum, obſcuriores ſint, quàm vt à nobis intelligi queant.

Parcarum telas texi poſſe, non retexi, aut rumpi.

Atque hic eſt Macchiauelli ſenſus de Fortunâ & Fato, ex quorum arbitrio & decretis Pſeudopoliticam felicitatem totam ferè ſuſpendit: non ſine multis grauibuſque erroribus, quos præterire nobis non licet, cum improbitatem mali ſcriptoris, & Pſeudopoliticæ fallaciam, clarius ob oculos ponant.

§. II.

Fatum in ſiderum influxu, à Macchiauello collocari; eius tamen vim à nobis reſtringi, & fortunam femina inſtar fuſte ſubagitari poſſe; hocq; ludibrio fatum & fortunam à Dei voluntate alienari; neq; Macchiauellum ſatis in errore ſibi conſtare.

FAtum in ſiderum influxu Macchiauellus collocat, cui tribuit quoque *certum vitæ ſpatium, quo omnia in hoc vniuerſo contenta terminari* affirmat l. 3. diſcurs. c. 1. Non igitur aliter fatum accipit, quàm quod teſte S. Aug. l. 5. de ciuit. c. 1. *homines vſitatâ loquendi conſuetudine intelligunt, vim nimirum poſitionis ſiderum, eam præcipuè, quæ eſt, quando quis naſcitur, ſeu concipitur. Quod aliqui alienant à Dei voluntate* (*vocantes*, vt paulò ſupra ait, *ea fatalia, quæ præter Dei & hominum voluntatem, cuiſ udam ordinis neceßitate contingunt,*) *aliqui ex illâ etiam hoc pendere confirmant.*

Fatum quid.

Sed non omnimodam neceſſitatem Macchiauellus Fortunæ & Fato tribuit. Fortunam enim, veluti fœmineæ indolis, fuſte ſubagitari, & inſtar fluminis obiectis aggeribus reprimi putat; ideóque ferociam potius ſuadet, quàm circumſpectionem.

ctionem. Quâ in re Platonem aliquâ ratione ſequitur, qui in poſtremo de Republicâ aſſerit, *Neceſſitati ne Deos quidem reſiſtere, quæ verò ab aſtris geruntur, talia interdum eſſe, vt euitari ſapientiâ, induſtriâ, labore queant, in quo ſita eſt fortuna; quæ verò certis cauſſis progrederentur ac permanerent fixa, id dici fatum.* Vbi apparet hæc duo à Platone diſtingui, etſi nec à fato quidem, velit neceſſitatem inferri electioni.

Macchiauellus Platonem ſequitur.

Verùm Macchiauellus fortunæ vim fuſte, & maiori vi obiectâ repelli & cohiberi aſſerens, eam ſententiæ ſuæ ludibrio à voluntate Dei alienat. Nam ſi à Dei prouidentiâ decerni, & ab eiuſdem potentiâ effici credit, quæ loquendi abuſu fato ac fortunæ tribui ſolent, impiè Deo fuſtem intentat, & aggeres ac ferociam opponit: cuius *voluntati reſiſtere nemo poteſt*, & contra quem non eſt conſilium; cuius potentiam ac ſapientiam fœmineæ imbecillitati & ſtultitiæ comparare, non minus ſtultum quam blaſphemum eſt. Neque enim ſolùm Fortunæ effectus intelligit, contra quos valere poteſt illud Poetæ: *Tu ne cede malis; ſed contra audentior ito*; ipſas rationes producendorum effectuum, & fa-

Fortunam à voluntate Dei alienat.

torum vias, Macchiauellus verbis & ſententijs deſignat, vt legenti & intelligenti planum eſt.

Suâ ergo vi Fortuna Macchiauelli nititur, nihil Deo debet, nec Imperium aut vires illi fert acceptas, quas ſi diuinas, diuinitatis contemptor crederet, à fœminei nominis contumeliâ abſtineret. *Sed illi* ait S. Auguſt. l. c. *qui ſine Dei voluntate decernere opinantur ſidera, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorúmue patiamur, ab auribus omnium repellendi ſunt: non ſolùm eorum, qui veram religionem tenent, ſed qui Deorum qualiumcunque, licet falſorum, volunt eſſe cultores. Hæc enim opinio quid aliud agit, niſi vt nullus omnino credatur aut rogetur Deus?* Quod ipſum profectò agit Macchiauellus, cum docet omnem felicitatem aut infelicitatem à modo agendi, ac res ſuas procurandi, temporũ conditioni conſentaneo vel diſſentaneo pendere. Sibi ergo quiſq; Deus eſt; neque cauſſam habet, cur alicui ſupplicet, aut è cœlo ſpem rerum ſuarum ſuſpendat, qui non aliunde, proſperitatem manare perſuaſum habet, quàm ab agendi modo, & animi ferociâ, ſi eam ſecundùm temporum conditionem rectè moderetur.

Ab auribus repelli debet.

Etſi

Etſi hoc in errore impoſtor ſibi parum conſtat. Poſteriori enim loco, quod priùs libero arbitrio conceſſerat, totum ferè rurſus adimit, cum ait, *neque conſilium ad reſiſtendum malis, neque virtutem ad comparandam felicitatem, multum facere poſſe*; falsò igitur antè virtuti, aggeres cuiuſuis infelicitatis flumine validiores, adſcripſit, & *obſtinatâ in rebus procurandis ratione, ac modo cum temporum viciſsitudine pulchrè conſentiente, homines felices effici ac dici* pronuntiauit. *Macchiauellus inconſtans.*

Cui illud quoque aduerſatur, quod Liuij ſententiam amplexus, cenſuit *occacari à fortunâ animos hominum, cum vim ſuam ingruentem refringi non vult*. Nullos ergo aggeres virtus obijcere, nec modus agendi temporibus ſeruire poterit, ſi fortuna oculis animi glaucoma obijciat: vt neque quà aggeres obijci debeant, neque temporum conditionem cernere & intelligere valeat. Quod fortuna quidem faciet, quoties vim ſuam refringi nolet; ſemper autem nolle poterit.

Vnde ſequitur nullam rerum noſtrarum partem nobis adminiſtrandam relinqui, ſed ſolius fortunæ arbitratu procurari; alteram enim partem Macchiauellus vltro *Nihil tandem libero arbitrio relinquit.*

Aa 5 ipſi

ipſi concedit, *alteram verò, vel paulò minus*, quam virtutis aggeribus & congruo modo res gerendi circumſcribit, eidem arbitrio, ſui immemor relinquit. Ex fortunæ enim arbitrio pendere, hoc ipſum neceſſe eſt, an cernere nos velit, quomodo aggeres infortunijs obijcere & tempori congruerè oporteat; quod ſi cerni à nobis nolit, ea quoque pars, quæ nobis reliqua videbatur, pro fortunæ nos occæcantis arbitrio perit. Ita *in circuitu ambulant impij*, & pugnantium errorum vertigine rotantur, poſtquam à veritate, infelici diuotio receſſerunt.

§. III.

Macchiauellum cenſuiſſe libertatem arbitrij extingui, niſi bona externa in poteſtate habeat.

ENimuero Macchiauellus Liberi arbitrij naturam, cuius ſeruandi cauſsâ infelicem hanc de Fortunâ opinionem ſecutus eſt, non ſecundum veræ Fidei regulam intellexit. Res enim noſtras, quarum partem fortunæ ereptam, nobis procurandam relinqui voluit: non conſtituit in bene & male agendo, ſeu virtutibus & vitijs, ſed in gloriâ & opibus, *quem finem*

ob

ob oculos hominibus propoſitum eſſe contendit. Cenſet ergo libertatem arbitrij noſtri extingui, ſi honores & opes ſolius fortunæ arbitratu, procurari ac diſpenſari dicantur; eamque ob cauſſam, ab hâc ſententiâ, in quam aliquâ ex parte ſe inclinâſſe fatetur, in illam opinionem venit, quam iſto loco explicat. In noſtro nimirum arbitrio eſſe, obiectis aggeribus fortunæ reſiſtere, ne gloriam & opes, ſeu Imperia & dignitates eripiat, quod putat ſuâ ætate *Italiam cauere potuiſſe*, *ſi* ait, *quâ deceret patriâ virtute ſuffulta eſſet, vti Germaniam, Hiſpaniam, Galliam cernimus.*

Libertas arbitrii à Macchiauello malè explicata.

§. IV.

Deum in manu arbitrii & conſilii noſtri reliquiſſe actiones animi bonas & malas, virtutem & vitium; non item bona externa imperium, opes, honores; ſi Principes bona interna non negligant, Deum externa proſperaturum.

SEd liberi arbitrij defenſio & explicatio, à Macchiauello ſuſcepta, à verâ ratione & fide longè abeſt. In eo enim liberum arbitrium ſitum eſt, quia in noſtrâ poteſtate eſt virtus, & vitium, non aurum & Imperium; quia poſſumus agere honeſta & turpia, ac itidem non agere, ſeu eſſe boni

Liberum arbitrium in quo ſitum.

boni & mali, non quia poſſumus gloriam & opes conſequi, aut non conſequi.

Eſt hæc ſacrarum literarum ſententia: Eccleſiaſtic. 15. à v. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Imperij autem, honorum opum optionem non addidit Deus, ſed ſuo diſpenſanda arbitrio reſeruauit; innumeris nullus ad iſta patet aditus; non igitur ideo arbitrium noſtrũ extinguitur, quia hæc in noſtro non ſunt arbitrio.

Epicteti duplex monitum.

Quod ſolâ naturâ tenuem licet facem prælucente, vidit & monſtrauit Epictetus, Enchiridij ſui, primis duobus aureis ſeu monitis, ſeu capitibus.

1. *Rerum* ait, *alia in poteſtate noſtrâ ſunt, alia non ſunt. In noſtrâ poteſtate eſt, opinio, conatus, deſiderium, auerſatio: & vno verbo quælibet noſtra actiones. In noſtra verò poteſtate non ſunt corpus, poſſeßio, honores, imperia: & vno verbo, quæcunque noſtra actiones non ſunt.*

2. *Ac*

2. *Ac ea quidem, quæ in noſtrâ poteſtate ſunt, naturâ libera ſunt, nec prohiberi, aut impediri poſſunt. Quæ autem in noſtrâ poteſtate non ſunt, infirma, ſeruituti & impedimentis obnoxia, ac aliena ſunt*; illius inquam Domini, cuius ſupremum in hæc dominium agnoſcere & venerari Reges & Principes, magnus Rex docuit: cum offerens ſuas & populi Iſrael, inæſtimabiles pro templo Domini impenſas, dixit. 1. Paralip. 29. v. 11. 12. 14. 17.

Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria: & tibi laus. Cuncta enim, quæ in cœlo ſunt, & in terrâ, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes Principes. Tua diuitiæ, & tua eſt gloria: in manu tuâ magnitudo, & Imperium omnium, &c. Quis ego, & quis populus meus, vt poßimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia: & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi, &c. Domine Deus noſter, omnis hæc copia, quam parauimus, vt ædificaretur Domus nomini ſancto tuo, de manu tuâ eſt, & tua ſunt omnia. *Dauid omnia Deo tribuit.*

Non igitur ad libertatem arbitrij pertinet, iſta obtinere vel retinere, ſed bene illis vel malè vti, ſi Deus ea conceſſerit: & patienter acquieſcere, ſi quæ dedit, abſtulerit, *Bona externa non ſunt noſtri arbitrii.*

lerit, aut quæ deſideramus, non dederit. Conari etiam ad hæc temporalia vel adipiſcenda, vel retinenda noſtri eſt arbitrij: qui conatus ſi bono fine aut ex officio ſuſcipitur, virtutis eſt & laudis: ſi finem prauum habet, aut modum excędit, vitij eſt & vituperij.

Virtus & vitium, bene & malè agere, tota eſt Liberi arbitrij optio; quam ità noſtræ poteſtati conceſſit Deus, vt malè agere noſtrum dumtaxat ſit, bene agere & noſtrum ſit, & Dei, cuius gratiâ neceſſe eſt nos adiuuari. *Sufficit enim ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt ad tenebras; ad videndum verò lumine ſuo non ſibi ſufficit, niſi illi extrinſecus adiutorium clari luminis præbeatur*, ait S. Auguſtinus, cap. 3. de geſtis Pelagij.

Principibus Macchiauelli fortunâ opus non eſt.

Hanc diuinæ gratiæ lucem, ſine quâ ambulamus in tenebris, hunc eiuſdem gratiæ viuidum calorem, ſine quo torpemus ad benè operandum, ſi toto pectore recipiant. Principes: & quod arbitrij ipſorum eſt, in vſum ſalutemque ſuam & ſubditorum conuertant, impij Macchiauelli fortunâ ſibi opus non eſſe, neque illius fata formidari debere intelligent. Quod in poteſtate ipſorum poſuit Deus, vt

vt exemplo Dauidis *cuſtodiant mandata Domini, & ſequantur illum in toto corde ſuo, facientes, quod eſt placitum in conſpectu illius*. Hoc faciant: & faciet Deus, quod eſt poteſtatis ſuæ, non illorum: vt imperia & principatus ipſis commiſſos ſtabiliat, augeat, omnique felicitate cumulet.

Sed peruertunt Pſeudopolitici liberi arbitrij vſum, cum omiſſis animi bonis, quæ ità in noſtrâ poteſtate ſunt, vt nullâ Fortunæ aut fati injuriâ eripi poſſint, aut impediri, externa ſolùm curant: quæ dat Deus cuicunque voluerit, non negligenda quidem, ſed minori, curâ quàm illa, neque aliter quàm ſecundum leges illius qui dedit, quærenda, retinenda, & adminiſtranda.

§. V.

Virtutem in aduerſis & proſperis, contrà quàm opinatur Macchiauellus plurimùm momenti & efficaciæ habere; ac in vtriſque laudem mereri.

VNde rurſus elucet, quàm præpoſterè Macchiauellus dixerit, eos *qui in perpetuis periculis verſantur, minùs vituperari debere, & minus laudari, qui continuâ felicitate fruuntur; cum & hos, & illos fata*

còtra-

eò trahere videantur : neque conſilium illorum ad reſiſtendum malis, neque horum virtus ad comparandam felicitatem multùm facere queant. Perpetua pericula & aſſiduæ huius vitæ calamitates nullam vituperationis, ſed maximam laudis materiam præbent, ſi magno & excelſo animo perferantur.

Patientiæ magna laus.

Multum valet patientia, *quæ opus perfectum habet*, ad reſiſtendum malis, cuius clypeo munitus S. Paulus 2. Cor. 7. v. 4. *repletus eſt conſolatione, & ſuperabundauit gaudio in omni tribulatione ſuâ.* Grauem cæcitatis *tentationem ideo permiſit Deus euenire* Tobiæ, *vt poſteris daretur exemplũ patientiæ eius, ſicut & S. Iob.* Tobiæ 2. v. 12. *Alios verò ludibria & verbera expertos, inſuper & vincula & carceres, lapidatos eſſe, ſectos eſſe, tentatos eſſe, in occiſione gladij mortuos eſſe, circuiſſe in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiatos, afflictos, quibus dignus non erat mundus,* teſtis eſt prædicator veritatis, Hebr. 11. v. 36. 37. 38. Hanc autem inter calamitates felicitatis laudem, etiam Reges & Principes mereri poſſe, S. Iob perſuadet, cui ſeu regi, ſeu principi inſultabant Reges, Tob. 2. v. 15. Neque alia exempla deſunt imitari cupientibus.

Sed

Sed inter proſperitates quoque, virtuti locus & ſua laus eſt, ſi animus ijs ſe non patiatur corrumpi, & pabula vitiorum vertat in inſtrumenta virtutum; quæ laus tanto maior eſt, quanto difficilior eſt laudis materia, tot vndique illecebris ad vitia prouocantibus.

Virtuti in proſperitate locus.

Nihil igitur fata ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis virtuti obſtant, nec laudes eius minuunt, quia vel nulla ſunt, vel ſi profano nomine vti libeat, ipſa diuinæ voluntatis decreta ſunt; quibus bona externa vel dantur, vel auferuntur, abſque liberi arbitrij & virtutis præjudicio. Semper enim Deus integram relinquit bene-agendi poteſtatem, quâ ſi vti volumus, inter quæuis pericula & aduerſa ſecuri, & felices ſumus. Quod Macchiauellus non intellexit, quia felicitatem, contra rectæ rationis & veræ fidei regulam, in bonis externis, honoribus, opibus, imperio collocauit; quæ ideò *nemini conferunt veram felicitatem, quia non extinguunt inſatiabilem cupiditatem*, ait S. Aug. in Pſal. 115. & ideo *vera bona non ſunt, quia à bonis & malis haberi poſſunt; & cum bona ſint, bonos tamen facere non poſſunt,* ait idem Serm. 5. de verbis Domini in Matthæum.

Fata virtuti non obſtant.

Id Macchiauellus non intellexit.

§. VI.

Macchiauellum fati ſiderei, contra doctrinam Catholicam aſſertorem, abducere animos à diuinâ prouidentiâ; eam vti ad magna magnus & paruis, quos magnos facit; ex eiuſdem ordine diuinam vindictam placari poſſe.

EX quibus omnibus iſtud tandem efficitur, Macchiauellum fati ſiderei eſſe aſſertorem, quem errorem damnârunt Patres Concilij Bracarenſis, I. c. 1. can. 8. his verbis: *Si quis animas & corpora humana, fatalibus ſtellis credit adſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Vnde conſequens eſt eius Politicam, non eſſe niſi flagitioſam & pernicioſam, cum hæretico ſuperſtitioſoq; fundamento innixa, à verâ felicitate Deique prouidentiâ homines auertat, & excuſſis veræ fidei frænis, ſcelerum neceſſitatem licentiamq; perſuadere laboret.

Politica Macchiauelli pernicioſa.

Prorſus itaque diuinâ prouidentiâ regna conſtituuntur humana. Quæ ſi propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat, ait S. Auguſt. lib. 5. de ciu. cap. 1. *Quia cum infidelibus nec nomina debemus habere com-*

Fati nomine rectius abſtinetur.

communia, ne ex conſortio nominum poßit ſumi erroris occaſio, vt ait S. Thomas contra gentes, cap. 39. *Solùm igitur, in quantum omnia, quæ hìc aguntur, diuinæ prouidentiæ ſubduntur, tanquam per eam ordinata, & quaſi prælocuta, fatum ponere poſſumus: licet hoc nomine Sancti Doctores vti recuſauerint, propter eos, qui ad vim poſitionis ſiderum hoc nomen retorquebant*, vt docet idem S. Thom. 1.p.q 116. a. 1.c.

Quæ improbá ſignificatio cum hodie quoque multorum animis hæreat, ſatius eſt hoc nomine abſtinere, aut certè illud non frequentare. Quin etiam fortunæ nomen S. Auguſtino diſplicuit, quo in tribus libris contra Academicos ſe vſum dolet, lib. 1. Retract. c. 1.

Sed quamuis vtrumque expediat, modum tamen ſentiendi, quam loquendi corrigere præſtat; quod fiet, ſi Principes pariter ac ſubditi felicitatem ſuam in diuinâ voluntate implendâ, & ſequendâ ſitàm eſſe intelligant; & in ijs quæ bene, vel malè agunt, nullam omnino, in bonis autem & malis externis, non aliam neceſſitatem & diſpoſitionem agnoſcant, præter eam, quàm Diuina prouidentia imponit & facit. *Quæ attingit a fine vſque ad finem, fortiter*

Quid de fato & fortunâ ſentiendum.

titer & diſponit omnia ſuauiter, ad imperia & res magnas vtens non ſolùm magnis, vti Macchiauellus de ſuis fatis fabulatur, ſed etiam paruis: quos facit magnos, cum ipſi placuerit, cui nihil magnum eſt.

Dauid ex Paſtore Rex.

Sic *elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium. de poſt fatantes accepit eum.* Pſa. 77. v. 70. eodẽ more ac jure ſuo, *quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro*, Rex, Princeps, Reſpublica *in conſpectu eius*, 1. Cor. 1. v. 27. 28. 29. Idem enim qui illos in ſolio collocauit, inde detrahere poteſt; idem qui clauum tenere juſſit, illum de manibus excutere poteſt, in pænam vel eorum qui malè tenent, vel eorum qui bonis gubernatoribus digni non ſunt.

Quo ſenſu non quidem de fato, ſed juſtitiâ Dei, ſeu vindice Prouidentiâ verum eſt, quod Macchiauellus dixit, *ſi qua magna moles impendeat malorum, priuſquam eueniant, ſolere eos viros, qui conſilio ÿs obuiam ire poſſent, aut aboleri, aut certè ita affligi,*

ſligi, ne reſiſtere vlla modo poßint, in pænam aut ſuam, aut aliorum.

Etſi verò Diuinæ prouidentiæ ordinem nec effugere, nec retexere, aut rumpere poſſimus, eſt tamen hic ipſe illius ordo: precibus multa, aliàs neganda concedere, pænitentibus item & deprecantibus pænas aut indulgere, aut mitigare. Quare poſſunt Principes ac ſubditi, ſecundùm veræ Fidei ac Politicæ principia, faciliorem mitioremque euentum ijs, quæ à juſtitiâ diuinâ impendent, precibus & pænitentiâ efficere, multaque quæ deſiderant impetrare: cum contra Pſeudopolitici fatalibus fabulis, veriſque ſceleribus diuinam iram magis prouocent, in ruinam imperiorum, & ſalutis ſuæ æternum diſpendium. *Ordo Diuinæ prouidentia.*

Rectius itaque ſimilibus verbis, qualibus Macchiauellus infortunatam de fortunâ ac fato diſputationem claudit, ego hanc cum eo pugnam finio, Etſi inquam diuina prouidentia ità ſe habeat, vt bona huius vitæ, communia bonis & malis, det & auferat tum his, tum illis pro arbitrio non decet tamen, vt animum abijciamus; ſed quâcunque aurâ aſpirante, ſeu proſperâ, ſeu aduersâ bene, ſed magis de di- *Animus non abijciendus.*

uinâ bonitate, quam noſtrâ induſtriâ, ſperemus; diligenter prudenterque rebus noſtris prouideamus, ijs inquam modis, quos prudentia filiorum Dei, non huius ſeculi dictauerit. Quamuis enim ignotæ ſint nobis, diuinæ prouidentiæ viæ ac decreta, at illud ignotum eſſe non poteſt: nec injuſta eſſe, nec quidquid de rebus huius vitæ ſtatuant, ſaluti æternæ aduerſa, niſi ſponte perire velimus.

§. VII.

Macchiauello autore ea arma pia eſſe, in quibus ſolis ſpes vertitur; ſed aduerſari Deum, & SS. Scripturas.

CAP. XXVI. Principis affirmat *Id bellum eſſe iuſtum, quod eſt neceſſarium: & ea arma pietatem redolere, cum nullâ aliâ in re, quàm in illis ſpes omnis vertitur.* Non poſſumus Macchiauello credere, bellum neceſſarium eſſe iuſtum, vt enim neceſſariam Principi ſupra dixit, eſſe improbitatem, ſi ſe ſaluum velit: ità ob eandem cauſſam, non poteſt non dicere, eſſe neceſſarium bellum iniuſtum, ſi aliter Imperium comparari vel cõſeruari nequeat. Etſi quia finis ille, Macchiauello ſcilicet autore bonus eſt, eodem decernente belli iniuſti-

Digitized by Google

iniuſtitia, in iuſtitiam mirabili Metamorphoſi transformetur. Sed non repetimus iam diſputata.

Si neceſſitas conſeruandæ legitimæ Reipublicæ, aut iuſti Principatus, aut veræ Religionis, bellum poſtulet, illud ſanè iuſtum erit, quia neceſſarium. Verùm hæc neceſſitas à Macchiauello ignorata aut neglecta fuit, ideóque de eâ intelligi non poteſt, nec explicari tam benignè meretur, cum præſertim de belli pietate, impiam ſententiam mox ſubiungat, & quid prius de neceſſitate ſenſerit, aperiat.

Bellum quod iuſtum & neceſſarium.

Si ea enim *arma pietatem redolent, in quibus ſolis ſpes omnis vertitur*, nulla igitur arma magis pia ſunt, quàm Tyrannorum & impiorum; hos enim bonitate cauſſæ deſtitutos, injuſtitiæ ſcelerumque conſcientia, nullam in diuino auxilio ſpem reponere ſinit; ſolâ ergo virium militúmque ferociâ & fiduciâ nituntur. Quod cum etiam in bona cauſsâ pietati aduerſetur, euidens eſt eidem, in bello injuſto multo magis repugnare.

Impii armis maximè fidunt.

Sæpius ſacræ literæ eiuſmodi fiduciam damnant, eamque inanem, & Deo exoſam eſſe oſtendunt. *Væ* ait Iſaias c. 31. v. 1. *qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium,*

in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multa ſunt, & ſuper equitibus, quia praualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt,&c. & v. 3. *Ægyptus homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non ſpiritus: & Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præſtatur auxilium.* Ierem. c. 17. v. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.*

An igitur ſpes in ſolis armis pietatem redolere poteſt, cui *Væ* & *ruinam*, & *conſumptionem* & *maledictum* Prophetæ denuntiant? Ad alios Magiſtros eat Princeps, ſi veram ſeu in Deum, ſeu in patriam pietatem diſcere velit. Grandis eſt tantæ virtutis iniuria, eam ſcelerum confidentiæ adſcribere. Sed hos cum Macchiauello *in curribus, & in equis* ſuis maledictos relinquamus; nos autē *in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus*, Pſa. 19. v. 8. hortabimurque pios Principes, vt ſi victoriam aduerſus hoſtes optant, illam non à ſe, ſed Domino exercituum ſperent: qui ſuperbis & de ſuâ potentiâ præſumentibus, eam non rarò negauit.

Victoria à Deo ſperanda.

§. VIII.

§. VIII.

Appendix ex Libro I. Diſcurſuum de Republicâ.

CAP. IX. Ponit præcipuum Pſeudopolitiæ fundamentum: *malefacta bono fine & euentu excuſari.* De quâ doctrinâ ſcripturis, & veræ fidei contrariâ, iam ſuprà egimus.

CAP. IV.

Verum Dei timorem ſub Numa tempora, in regno Iudâ, non apud Romanos viguiſſe; nec cauſſam tanti Imperij, falſæ religioni à Macchiauello rectè adſcribi.

§. I.

Macchiauello autore, cultum Religionis præclarè à Numâ inſtitutum; & inde multis ſeculis nuſquam gentium tantum Dei timorem extitiſſe, hancq; cauſſam tanti Imperii eſſe.

CAP. XI. Libro I. Diſcurſuum de Republicâ, de falsâ Romanorum Religione, non ſecundum veræ Religionis regulam Macchiauellus diſſerit. *Quamuis* ait, *à Romulo Roma primam originem traxerit, eumq; vt filia patrem meritò agnoſcere debeat: nihilominus tamen viderunt Dij*

immortales, quod leges a Romulo lata & inſtituta: ad tantum Imperium acquirendum non ſufficerent. Quamobrem eo ex hâc vitâ migrante, Senatum mouerunt, ad Numam Pompilium ſucceſſorem eligendum, vt is videlicet ea ſuppleret, qua à Romulo neglecta fuiſſent.

Stolida Macchiauelli impietas.

Cum is ergo ad Imperium perueniſſet, P. R. ad belli artes inſtitutum, ferocemq́; deprehendit: quem cum ad pacem, & tranquillitatem inſtituere cuperet, ad religionis cultum conſtituendum omne ſtudium conuertit. Quem aſſerit *tam praclarè inſtitutum fuiſſe, vt multis ſeculis nuſquam gentium, tantus timor Dei extiterit, quantus apud Romanos, ex Numa inſtitutione erat.*

Poſtea verò concludit, *cultum Religionis à Numâ Pompilio inſtitutum, vnam è primarijs cauſſis extitiſſe, propter quas Romani in rebus gerendis tam felices fuerint.*

§. II.

Cultum falſorum Deorum praclarè inſtitutum dici non poſſe.

NOn ſolum cum hæreticis ſentit Macchiauellus, verùm etiam cum Ethnicis loquitur, *Deos immortales* reuerenter appel-

appellans, & tanquam prouidos præclaræ Religionis per Numam autores prædicans. Vbi hominis tam ſtultam temeritatem, quàm profanam impietatem mirari ſubit, quod cultum Religionis ſacrilegæ, præclarè inſtitutum affirmet: & ijs quidē autoribus, quos colere & venerari quia docuit Numa, in ſuperſtitionis ac idololatriæ barathrum Romanos profundiùs immerſit.

Quod an præclarè factum putet, ſi ſententiam dicere debeat S. Paulus, repetet, quod jam olim ad Romanos, 1. v. 22. 23. 25. de idolorum cultoribus ſcripſit: *euanuiſſe illos* cum Numâ *in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſſe inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtultos factos eſſe, & mutauiſſe gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*; &: *commutaſſe veritatem Dei in mendacium, & coluiſſe, & ſeruiſſe creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula Amen.* *S. Paulus Macchiauello aduerſatur.*

Hoc ſcilicet Macchiauello judice eſt præclarè religionis cultum inſtituere. Neque enim alios Deos quam Dæmones, & idola colere docuit Numa; neque vanus

&fa-

Falſorum Deorum timor ſuperſtitioſus.

& fanaticus falſorum Deorum timor, quidquam virtutis aut laudis habet, ſed plurimùm ſuperſtitionis & deteſtandæ impietatis. Quanti enim eſt Dœmones, idola, aurum, argentum, lingua & lapides timere; & Deum verum, qui fecit hæc omnia contemnere? *Cuius inuiſibilia à creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles, qui illum non cognouerunt, aut cum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt*, vt ait idem Apoſtolus l. c. v. 20. & 21.

§. III.

Temporibus Numæ, ante item & poſt, ſub Ezechia & Ioſiâ, Dei cultum ac timorem floruiſſe, & refloruiſſe.

ILla deinde in Deum verum, eiuſque legitimum cultum grandis injuria eſt, cum ait, *multis ſeculis nuſquam gentium tantum timorem Dei extitiſſe, quantus apud Romanos ex inſtitutione Numæ erat*. Non fuiſſe verum Dei timorem apud Romanos, qui *eſt initium ſapientiæ*, inde apparet, quia veri Dei notitiâ & religione caruerunt, quæ vltimis Numæ annis, & antè

vige-

vigebat apud Iudæos, ſub Ezechiâ rege optimo & ſanctiſſimo. *Ipſe enim fecit, quod bonum erat coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.* 4 Reg. 18. v. 8. Lege etiam 2. Paralip. 29. & 31. *Ezechias Rex optimus.*

A cuius pietate degenerauit quidem filius Manaſſes, & *ſeduxit Iudam, & habitatores Ieruſalem*, ibid. cap. 23. v. 9. *ſed poſtquam* Aſſyrij *captum & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem, coanguſtatus orauit Dominum Deum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſq; eſt eum, & obſecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum Ieruſalem in regnum ſuum. Et cognouit Manaſſes, quod Dominus ipſe eſſet Deus.* ibid. v. 11. 12. 13. *& abſtulit Deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini, &c.* ibid. v. 15. 16. *Manaſſes pœnitens.*

Manaſſen poſt duos annos, quibus regnauit Amon filius eius, paternæ impietatis, non autem pœnitentiæ hæres, ſecutus eſt nepos Ioſias octo annos natus, ib. c. 34. v. 1. *Octauo autem anno regni ſui, cum adhuc eſſet puer, cœpit quærere Deum patris ſui Dauid. Abſtulit ergo Ioſias cunctas abominationes de vniuerſis regionibus filiorum Iſrael, & fecit omnes, qui reſidui* *Ioſias piiſſimus.*

erant

erant in Iſrael, ſeruire Domino Deo ſuo, Cunctis diebus eius non receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum. v. 33.

Falſum igitur eſt *multis ſeculis nuſpiam gentium, tantum timorem Dei extitiſſe, quãtus apud Romanos ex Numæ inſtitutione erat.* Eodem enim ſeculo, ijſdem Numæ annis, & proximè antecedentibus ac ſequentibus, vixerunt hi Reges veri Dei cultores eximij, timoriſque diuini aut reſtauratores, aut propagatores; aut eodem timore ad ſcelerum pœnitentiam compulſi. Vt taceam de Saule, Dauide, Salomone, aliiſque deinceps vſque ad Ezechiam regibus, quorum illi vix tribus, reliqui proximioribus ſeculis Numam antegreſſi ſunt: vigente ac florente identidem, in ſubditis & Principibus timore Dei, per impietatis interualla ſæpius quidem interpolato, ſed paulò poſt per pœnitentiam reſtituto.

§. IV.

Timorem Dei apud Romanos verum non fuiſſe, cum à falſis Diis, nulla publica probitatis præcepta, ſed multa ſcelerum exempla acceperint.

HVic ſanctiſſimo caſtiſſimoque timori, profanus impuruſq; timor à Numâ

mâ inuectus, comparari non poteſt. Inſtituit ille Dæmonum cultum, Reges & filij Iſrael ac Iuda, eundem ſuſtulerunt; aras ſacrilegas, lucos, ſimulacra, ſculptilia ille erexit, iſti demoliti ſunt; ſacerdotes, & flamines, pro impijs ſacris initiauit, iſti oſſa illorum combuſſerunt; ille debitum Deo vero cultum abſtulit, iſti reddiderunt; ille nulla bene viuendi præcepta Deorum falſorum autoritate conſtituit, iſti *operati ſunt bonum & rectum, & verum coram Domino Deo ſuo*, non declinantes à ſanctiſſimis legibus, *neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*.

Vnde apparet non potuiſſe caſtè Deos falſos à Romanis timeri, à quibus *nulla vnquam publica præcepta probitatis acceperunt*, vt demonſtrat S. Aug. cap. 4. 6. 16. 22. Nihil verò proderant *ſecreta quædam dæmonum monita, quæ pertinere videbantur ad bonos mores, cum palàm in ſacris eorum omnis nequitia diſceretur*; vt oſtendit idem cap. 26. multa de obſcœnitate ludorum, quos ipſi Dij inſtitui à Romanis iuſſerunt, diſſerens; in quibus Deorum ſcelera oculis & auribus repræſentabantur; *magis intuentibus Romanis*, vt ait cap. 17. *quid Iupiter fecerit, quàm quid docuerit* *Secreta dæmonum monita inutilia.*

Plato,

Plato, vel cenſuerit Cato. Hinc apud Terentium flagitioſus adoleſcens, ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danaæ, miſiſſe aiunt in gremium, quondam imbrem aureum. Atque ab hâc tantâ auctoritate, adhibet patrocinium turpitudini ſuæ, cum in eâ ſe iactat imitari Deum. At quem Deum? inquit; Qui templa cœli ſummo ſonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud feci ac lubens.

Non eſt timor iſte diuinus, qui nullis bonis præceptis à malo auocat, & malis eorum qui timentur exemplis, ad ſcelera prouocat. Fruſtra Numæ numina incuſſere terrorem, quorum facta vitijs conciliârunt autoritatem. Si quæ illorum reuerentiâ aut metu Romani religiosè egerunt, aut omiſerunt, ſuperſtitio fuit, vel probitas ludicra: maioribus alijs vitijs ſceleribuſque, & publicè & priuatim compenſata, imò ſuperata.

§. V.

Romanos non Sacrilego Deorum cultu, ſed qualibuſcunque bonis moribus, Imperii magnitudinem adeptos eſſe.

EX quibus denique conſequens eſt, falsò itidem & improbè Macchiauellum

uellum ſenſiſſe, quod cultus Religionis à Numâ inſtitutus, vna è *primarijs cauſſis extiterit, propter quas Romani in rebus gerendis tam felices fuerint.* Negant id Tertullianus in Apologetico, c. 25. S. Cyprianus lib. de idolorum vanitate, Minutius in Octauio, S. Aug. l. 4. de ciu. c. 9. & 28. eo inter alia argumento, quod, ſi vlla falſæ Religionis in comparando, augendo, conſeruandoque Imperio vis eſſet, id beneficiũ ſi potuiſſent, Græcis potiùs quàm Romanis falſi Dij contuliſſent: cum illi ante hos, eorum cultui dediti fuerint, multaque inuenerint, quæ Romani ab illis hauſta in ſuos ritus tranſtulerunt. *Dii Græcos non iuuerunt.*

Accedit ratio palmaris, quod, cum Religio Romanorum, impijs ritibus & ſacris, naturâ repugnante falſis Dijs deuota fuerit: indignum ſit credere Deum verum, ſacrilegia & diuinitatis ſuæ iniurias, terreni felicitate Imperij eſſe remuneratum. Non igitur impio Deorum cultu, ſed bonis quibuſdam moribus, antiqui Romani meruerunt, vt Deus verus, quamuis non cum colerent, eorum augeret Imperium. Quos mores deſcribit S. Aug. lib. 5. de ciu. cap. 12. & *de mercede* hâc *temporali, quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum,* *Deus ſacrilegia non remuneratur.*

 diſſe-

Digitized by Google

diſſerit, cap. 15. quod breue ſit, ad obſtruendum os Macchiauelli, totum inſerere viſum eſt:

Romani cur tam felices.

Quibus ergo ait, *non erat Deus daturus vitam æternam, cum ſanctis Angelis ſuis in ciuitate ſuâ cœleſti, ad cuius Societatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſeruitutem religionis (quam latriam Græci vocant) niſi vni vero Deo, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi Imperij concederet: non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt, virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, vt glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.*

Sic & iſti priuatas res ſuas pro re communi, hoc eſt Republicâ, & pro eius ærario contempſerunt, auaritiæ reſtiterunt; conſuluerunt patriæ conſilio libero, neque delicto ſecundum ſuas leges, neque libidini obnoxij. Sed his omnibus artibus, tanquam verâ viâ niſi ſunt ad honores Imperium, gloriam; honorati ſunt in omnibus ferè gentibus: Imperij ſui leges impoſuerunt multis gentibus: hodieq́ literis & hiſtoriâ glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus. Non eſt quod de ſummi

& veri

Digitized by Google

& veri Dei iuſtitiâ conquerantur; percepe-runt mercedem ſuam. *Receperunt mercedem ſuam.*

Non igitur cultus Religionis falſæ, cauſ-ſa primaria, ſed nulla fuit felicitatis Romanæ; quam impietas ſuperſtitioſa dudum euertiſſet, niſi qualibuſcunq; bonis moribus illorum, temporalis regni mercedem, benignitas Dei reddere decreuiſſet, quos à felicitate regni æterni, idololatria præcipuè excluſit. Quæ aduersùs Macchiauellum prolixius diſſerenda fuerunt, vt profani hominis de religione & rebus ſacris, impium ſenſum, clarius conuinceremus.

CAP. V.

Macchiauelli in Eccleſiam Romanam & Eccleſiaſticos, iniuria & contumelia.]

§. I.

Falſam religionem, propter rationem Status, fouendam non eſſe.

CAP. XII. Libri I. Diſcurſuum de Republicâ, titulum Romanæ Eccleſiæ contumelioſum hunc habet. *Quantum interſit ad conſeruandam Rempublicam, vt ratio diuini cultus, atque religionis habeatur: & quod in Italiâ propter Romanam*

Eccleſiam, deficiente eâdem religione, ruina Imperij ſecuta ſit.

Tum luſciniæ cantu orſus, Principibus & Rebuſpublicis verum Religionis cultũ, ad ſui conſeruationem præ cæteris ſuadet. Sed mox coruus crocitatione ſe prodit: cum monet, *quacunque fidem fundamentis Religionis conciliant, ea foueri debere, etſi non vſq; adeò conſtiterit omnibus, quod certa veráq; fuerint.* At enim veræ Religionis fundamenta mendacijs figmentiſque niti non poſſunt, aut fulciri debent. Neque id quiſquam dixerit, niſi qui cum Macchiauello veram Religionem ludibrio habet, & mancipij inſtar Rationi ſtatus ancillari cogit: vt falſis vaniſque opinionibus conſtricti ſubditorum animi, tanto faciliùs in ſeruitute contineantur. Quam ob cauſſam iſtud ſupra inter falſa ſtatus conſeruandi media, à Macchiauello aſſignata, retulimus.

Vera religio figmentis non nititur.

Vera enim Politica, ſi deprehendat falſam Religionem pro verâ, in Republicâ aut Principatu vigere, illam repudiat, iſtam amplectitur; nec timet de temporalibus periclitari, ne detrimentum patiatur æternorum. Etſi Deus *regnum ſuum quærentibus,* illa non adimat habentibus, ſed

Vera Politica falſam religionem repudiat.

Digitized by Google

ſed non habentibus adijciat; poſſitque cuiuis Principi aut Reipublicæ, Religionem veram propter rationem ſtatus non amplectenti, meritò illud dici: *Chriſtum venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.*

Sed nunc Macchiauelli in Eccleſiam Romanam, & veram Religionem calumnias ac iniurias, quas in hoc capite plenis buccis, euomit, audiamus.

§. II.

Macchiauelli ſententiâ, Religionis præcepta in Romanâ Eccleſiâ adulterari atque corrumpi; eandem in cauſsâ eſſe, cur Italia in partes diuiſa multis Principibus pareat, & aliorum præda ſit; niſi Viri ſancti Chriſtianam religionem ad ſua principia reuocâſſent, eam Epiſcoporum, aliorumq; Eccleſiaſticorum prauis moribus, perire & corrumpi planè potuiſſe.

POſt Romanorum itaque Religionem, ſeu verius ſacrilegam ſuperſtitionem laudatam, ità diſſerit: *Quod ſi hæc tam diligens cura diuini cultus, à Republica Chriſtiana Principibus obſeruata eſſet, ſecundùm primam inſtitutionem & præcepta eius, qui illum nobis primùm tradidit: longè maiori felicitate ac pace in Chriſtiano orbe frueremur.*

Maledicentia inſignis.

mur. Nunc cum nuſquam minus vel pietatis, vel religionis ſit, quàm in iis hominibus, qui Romæ viciniores habitant: eaq́ue Chriſtianæ Religionis caput cenſeatur, facilè conyicere potes Chriſtianum orbem magnopere periclitari.

Quod ſi quis etiam diligenter conſideret, eum Religionis cultum, qui noſtrâ ætate in vſu eſt, eumq́ue conferat cum primâ Chriſtianæ Religionis inſtitutione, ac veris fundamentis: is non poteſt vel illius interitum non metuere, vel diuinam vltionem non formidare. Et quamuis non deſint, qui opinantur, omnem quam Italia habeat felicitatem, ab Eccleſiâ Romanâ dependere: tamen contrariam ſententiam quis veriorem exiſtimauerit: conſiderando eos, qui in Romanâ Eccleſiâ, nequaquam ſecundùm Chriſtianæ Religionis præcepta viuunt, ſed ea adulterant atque corrumpunt.

Religionis interitum Macchiauellus formidat.

Quibus hoc etiam accedit, quod eadem hæc Romana Eccleſia in cauſſâ eſt, cur Italia in partes diuiſa diuerſis Principibus pareat: cum tamẽ nulla regio verè felix ſit, niſi ſub vnius ſiue Reipub. ſiue Principis Imperio pareat, vt noſtrâ memoriâ Galliæ, Hiſpaniæq́ue accidit. Cuius rei ratio eſt, quod cum non modò in res ſacras, ſed etiam in res humanas Impe-

Calumnia Pſeudopolitica.

Imperium ſibi vendicauerit Romana Eccleſia: non habuit illa quidem tantas vires, vt vniuerſam Italiam occupare potuerit, ſed neque interim tam debilis fuit, quin euocare poſſet ad ſe aliquem præpotentem Principem, aduerſus eos, quorum potentia illi in Italiâ formidoloſa videretur.

Id multis exemplis patet, cum vetuſtis, tum recentibus. Nam & Caroli Magni auxilio Longobardos expulit, qui propemodum toti Italiæ imperabant: & patrum noſtrorum memoriâ, Gallorum auxilio Venetorum potentiam fregit: eoſdemq́; Gallos poſtmodum Heluetiorum copiis ex Italiâ eiecit. Eccleſia Romana, igitur, cum neque tantas vires habuerit, quibus ipſa potuerit vniuerſam Italiam occupare; neque etiam alteri, vt eam occuparet, permiſerit, cauſſa fuit, ne ſub vnius Imperium redigeretur, ſed in varias partes diuiſa, multis Principibus parere cogeretur. Ex eo accidit, vt ob diſcordias Principum debilitata, non modo potentum atque Barbarorum, ſed cæterorum quorumcunq́, qui illam inuadere auſi ſunt, libidini in prædam ceſſerit; quod quidem nos Itali ſoli Romani Eccleſiæ debemus. *Exempla falſa.*

Quod ſi quis hæc omnia, quæ de Romana Curiæ deprauatione narraui, certo experi- *Experientia fallax.*

mento cognoſcere vellet, eum tam potentem eſſe oporteret, vt illam ad Heluetios, qui ſoli noſtri tempore, veterem Religionis cultum & diſciplinam militarem conſeruare videntur, ad habitandum cogere poſſet: conceſſâ illi videlicet iſthic eâdem potentiâ, quam in Italiâ habet. Nam certum eſt, ſi id fieret, breui temporis ſpatio, illorum quoque hominum mores, huius Curiæ prauitate, tantopere corruptum iri, quantopere id illis ex vllâ aliâ cauſſâ contingere vnquam queat.

Hiſtoria Macchiauello repugnat.

De Italiâ ſimilem querelam habet cap. 12. Principis. *Animo* ait, *comprehenſum velim, quod vbi primũ Romanum Imperiũ ex Italiâ aliò tranſlatũ fuit, ac Pontifex in ÿs, quæ profana erant, maiorẽ in dies autoritatem ſibi aſſumeret, tota Italia in plures dynaſtias diſſecta eſt. Celebriores enim vrbiũ in ſuos primarios, quibus antea Imperatorũ fauore oppreſſæ parebant, arma ſumpſerunt: ad quod etiã Pontificÿ, vt inde exiſtimationẽ in ÿs, quæ ſacra non erant, compararent, opem ferebant. Ex his etiam nonnullæ in ditionẽ & dominatũ ſuorum ciuium ceſſerunt. Ex quo cum Italiæ rerum procuratio, in manus ac poteſtatẽ Pontificiorũ, & nonnullarum Rerumpublicarum deueniſſet; cum huius generis homines, hiq; ciues omnino rei*

bellicæ

bellicæ expertes & ignari eſſent, cœptum eſt ab ipſis ſtipendia militibus perſolui.

De prauis Eccleſiaſticorum moribus, malè itidem loquitur lib. 3. diſcurſ. cap. 1. *Ad conſeruandas* ait, *etiam ſectas neceſſe eſt, adhibere idem remedium, vt illæ quaſi renouentur, ac ad principia reuocentur, & emendentur. Quod niſi aliqui viri ſancti, in Chriſtianâ noſtrâ Religione præſtitiſſent, præſertim D. Dominicus, & Franciſcus, dudum periiſſet vniuerſus illius cultus. Ij enim in paupertate viuentes atq; humilitate, Chriſtianæ vitæ exemplũ hominibus propoſuerũt: quo tantum certè effecerunt, vt quæ Religio Epiſcoporũ, cæterorumq; noſtrorum Eccleſiaſticorum prauitate vitæ, corrumpi planè potuiſſet, ea etiamnum ſubſiſtat, cum videamus homines religioſo quodam metu, illis etiamnum delicta ſua confiteri, in honore eos vitia ipſorum non damnare, ſed Dei arbitrio commendare.* Ità de Religione eiuſque Præſidibus Macchiauellus. *Religio Chriſtiana perire non poteſt.*

Cuius iniuriæ & criminationes generatim triplices ſunt. Quædã enim Eccleſiæ & aulæ Romanæ, aliorumq; Eccleſiaſticorũ mores; aliquæ Religionis doctrinam & interitũ; aliæ demũ Statum Italiæ concernunt. Singula paucis refellenda ſunt.

§. III.

De moribus dudum reſpondiſſe Chriſtum; quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite &c. Habere hoc omnem aulam, vt mores corrumpat.

DE moribus dudum reſpondit Chriſtus, Matth. 23. v. 2. & 3. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Addo interpretem S. Auguſt. qui lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 27. ità ait:

Audiuntur vtiliter, qui vtiliter non agunt.

Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, ſed ipſum Deum obedienter audiunt, qui ait: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim & non faciunt: ideo audiuntur vtiliter, qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent, de loco ſcilicet ſuperiore ſedis Eccleſiaſticæ, quam ſana doctrina conſtituit. Propter quod ipſe Dominus, priuſquam de talibus, quod commemoraui, diceret, præmiſit: ſuper cathedram Moyſi ſederunt. Illa ergo Cathedra non eorum, ſed Moyſi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes.

Agunt ſua, non docent ſua.

Agebant ergo ſua in vitâ ſuâ: docere autem

tem ſua, cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque proſunt dicendo, quæ non faciunt: ſed longè pluribus prodeſſent faciendo, quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ ſuæ defenſionem, ex ipſis ſuis præpoſitis & doctoribus quærunt: reſpondentes corde ſuo, aut etiamſi ad hoc erumpunt, ore ſuo, atque dicentes: quod mihi præcipis, cur ipſe non facis? Ita fit, vt cum non obedienter audiant, qui ſe ipſe non audit, & Dei verbum, quod eis prædicatur, ſimul cum ipſo prædicatore contemnant.

Quod facere etiam Macchiauellus non dubitauit, ſuo ſe ore violatæ Religionis condemnans. Nam iſtam etiamnum ſubſiſtere inde colligit, quod videamus, *homines religioſo quodam metu* Eccleſiaſticis *etiamnum delicta ſua confiteri, in honore eos habere, vitia ipſorum non damnare, ſed Dei arbitrio commendare.* Ipſe autem honorem Romanæ Eccleſiæ ſtatuſque Eccleſiaſtici grauibus contumelijs violat, vitia vero damnat, non Dei arbitrio cõmendat; eſt ergo à religioſo illo metu, quo vera Religio in animis hominum ſubſiſtit, quàm maximè alienus.

Iam illud, quod de Heluetiorum corruptione ſi Romana Curia ad eos transfer-

ferretur, certo ſecuturâ attexit, *felle amaritudinis & obligatione iniquitatis* act. 8. v. 23. refertum eſt. Habet hoc ferè aula, vt mores incautorum corrumpat; ob miniſtrorum, hominumq; omnis generis ſeu multitudinem, ſeu colluuiem, rerum item affluentiam, & vitæ otioſam atque honoratam licentiam.

Aulæ malis Principes non ſemper mederi poſſunt.

Neque pijſſimi licet Principes, hiſce malis, ſemper mederi poſſunt; aulici, enim alijque qui aulam frequentant, ingentia plerumque vitia, & peruerſa ſtudia ſecum afferunt, eáque Principibus ignota, quæ aut difficulter, aut non niſi ſerò, deprehenduntur. Adhæc, cum alienis oculis auribus, & manibus pleraque credere & gerere eos oporteat, (neque enim omnibus intereſſe poſſunt, aut debent;) contingit ipſos frequenter falli, dum virtutib9 ſimulatis vera vitia improbi tegunt; aut facta mentiuntur, quæ infecta ſunt; aut facturos ſe ſpondent, quæ Princeps mandauit, cum mandatis contraria in animo habeant; aut malos excuſant, bonos incuſant; aut alijs denique modis virtuti ac probitati ianuam claudunt, improbitati aperiunt.

Quare non ſolius Curiæ Romanæ, ſed com-

communis ferè aularum infelicitas eſt, quod inuitis licet bonis legibus ac Principibus, aliquam morum corruptelam ſecum trahant apud eos, qui propter delicias, vel gloriæ & opulentiæ aucupium, in ijs verſantur. Nam propter pias cauſſas *etiam conuenit religioſis adire Regum Palatia, ad eos arguendos, vel dirigendos, ſicut Ioh. Baptiſta arguebat Herodem, vt dicitur Matth.14.* ait S. Thomas 22. q. 137. a. 2. ad 3.

§. IV.

Minorem eſſe corruptelam in Curiâ Romanâ, quàm paſſim in aliis aulis, teſte oculato Æneâ Sylvio.

CORruptelam autem minorem eſſe in Curiâ Pontificiâ, quam paſſim in aulis, æquus rerum æſtimator facilè ſibi perſuaderi patietur. *Fatemur* ait, Æneas Syluius tum Cardinalis, poſtea Pontifex Pius II. in epiſt. de moribus Germaniæ, *in Romanâ Curiâ, quam regunt homines, non omnia eſſe nitida, & plurima fieri digna correctione. Nec ambigimus ipſos primæ vrbis antiſtites, cum Chriſti Dei noſtri Vicariatum aſſumunt, homines remanere, ac propterea falli, errare, labi, ac decipi poſſe. Se-* *Pontifices homines ſunt.*

dent

dent pij Patres in thalamo ſuo; veniunt ad eos nunc Cardinales, nunc Epiſcopi, nunc ſortis alterius homines: & modò hunc, modò illum laudibus cumulant, dignumq́ grandi regimini adſcribunt, adſtruunt. Credit Apoſtolica pietas, hisq́ beneficia mandat, quos commendatos accipit. Atque ità fit, vt aliquando virtus pecuniæ cedat; non quia Pontifex probitati præferat aurum, ſed quoniam internuntij, ſiue vt aiunt, mediatores argento aut amicitiâ victi, indignum digno præponunt.

Decipiuntur interdum.

Decipitur interdum Romanus Antiſtes; quis dubitat? homo eſt, & inter homines viuat, neceſſe eſt. Sunt in Romanâ Curiâ & auari, & ſeductores: quis neſcit? Et paulò poſt: *Pauci ſancti & digni, quos optimus amet Deus: quos auaritiæ non agant ſtimuli. Sed maxima pars hominum ficta, fucataq́ eſt; plures videri boni, quàm eſſe volunt, ſub ouinâ pelle, ſæpe lupinum offendes animum. Nil igitur mirum eſt, ſi Romani Pontificis aliquando prouidentia fallitur, & Beneficia pecunijs extorquentur.*

Sordes in omni palatio.

Et paulo poſt. *Nec Curia eſt à crimine munda; ſordes in omni palatio reperias. Luſtrauimus & nos ætate noſtrâ multorum Principum aulas conſiderauimus regum mores,*

res. Nulla regio eſt, quam non Harpyiæ fœdârunt; omnis prouincia ſuos habet Phineas; omne atrium ſuis deformatur inquinamentis. Nihil eſt inter homines ex omni parte perfectum; ſed maiora illic inuenies crimina, vbi maiora geruntur negotia.

At ſi velis ſimul conferre omnia; & minores ſedes pro ſuis portionibus comparare maioribus, nullam oſtendes Curiam, in quâ minus hoc morbi graſſetur, & in quâ magis ex ordine, rectoq; inſtituto, quàm in hâc Romanâ res gerantur. Nec vſquam terrarum tantam doctrinam, tantam rerum experientiam, tot bonarum artium ſtudia, tot viros Sanctimoniâ vitæ præclaros, quot in Romanâ reperies Curiâ: vt rectè hic eſſe domicilium literarum, & officinam virtutum quis affirmauerit. Quod ſi turpitudo illis eſt admiſta, humanitati adſcribendum eſt, quæ nuſquam candida reperitur.

Romana Curia aliis magis innoxia.

Et infra. *Sed quid obſecro eſt, quod in Romano Præſule videamus indignum? An forſitan, ſicut pleroſque Prælatorum & Principum, videmus ire venatum, aut aucupatum. Equoſne Pontifex Romanus, aut canes, aut aues ad delicias paſcit? Quis eum aliquando in ſpectaculis, aut ludis vidit? Saltationes, & choreas, & cantus mulierum inſpi-*

inſpicit? Quando ille conuiuia laſciuia, aut ebrietatem ſpectauit? aut aleâ luſit, aut ſchacco? Aliena ſunt hæc ab Apoſtolico Palatio.

Studia & occupationes Pontificis.

Studia Pontificis Maximi, & occupationes ſunt, diuinis intereſſe myſterijs, & ſacram rem facere diebus celebrioribus. Audire legationes Principum, populorumq́ꝫ ſignare ſupplicationes, conſolari miſeros, peccatores coercere, prouidere viduatis Eccleſiis, dicere ſuas horas. Vix illi ſupereſt tempus, in quo cibum ſumat, & corpori, quantum neceſſe eſt, ſomnum tribuat. Adhæc ſemper querelas audit & lamenta; cum ſpoliatis & afflictis loquitur. Nemo ad eum venit, vt conſoletur eum, aut iucunditatis aliquid afferat. Aut queruntur, qui eiecti ſunt Epiſcopi, vel alij: aut cupidi plura petentes veniunt. Hic Status Papæ, hæc voluptas.

Ita vir Curiæ Romanæ & aularum peritiſſimus, magnoq; vſu pollens, ad *Martinum Meir Archiepiſcopi Moguntini Cancellarium*, qui prius in quâdam Epiſtolâ multas contra Romam & Romanos querelas effuderat, ſimili fere, quo Macchiauellus oeſtro percitus.

Sed ipſi quoque Heluetij, quos longis jam

jam annis Summi Pontifices, ob perſpectam fidem & animi fortitudinem, ad corporis cuſtodiam adhibuerunt, non inuiti pro Sede & Curiâ Apoſtolicâ, aduerſus has calumnias teſtimonium ferent. Qui cum gentis ſuæ laudes ac mores, ibi integros ſeruent, parum periculi veris virtutibus ab eâ Curiâ imminere: minoreſque ſi inter Heluetios, aut ipſis ſimiles conſiſteret, eius corruptelas fore, ipſo experimento ſpem, aut fidem faciunt. Graui igitur iniuriâ Macchiauellus Eccleſiam & Curiam Romanam affecit, & vipereum animum ac dentem exeruit, cum Matris ſuæ honorem, quem tueri debebat, immeritò lacerauit.

§. V.

Corruptelam morum impiè à Macchiauello, ad doctrinam transferri; Religionis præcepta in Eccleſiâ Romanâ adulterata nunquam eſſe; neque eam deficere, aut perire poſſe.

GRauius verò alterum eſt, quod corruptelam morum ad doctrinæ deprauationem transfert, & Religionis interitum inde metuit. Cenſet, *eum Religionis cultum*, qui ipſius ætate in vſu erat, *non conuenire cum primâ Chriſtianæ Religionis*

Digitized by Google

gionis inſtitutione, ac veris fundamentis. Idem Lutherus & Caluinus paulò poſt cenſuerunt; & apparet tam improbum fuiſſe Macchiauellum, vt ſine his magiſtris illorum inſaniam ex ſe diſceret. Addit ab ijs, qui *in Romanâ Eccleſiâ, nequaquam ſecundùm Chriſtianæ Religionis præcepta viuunt, ea adulterari atque corrumpi.* Eadem funeſta criminatio hæreticorum eſt, qui non cogitant, tam hodie in cathedrâ Chriſti, quam olim in cathedrâ Moyſi ſedentes, diuinitus dirigi: vt bona ac vera doceant, etiam non bene facientes.

Macchiauelli idem ſenſus, qui Lutheri & Caluini.

Sancti verò Dominicus & Franciſcus, qui frequenter in ore & corde habuerunt, illud Pſal. 15. v. 2. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,* nunquam exiſtimârunt, vllâ morum prauitate Religionem corrumpi planè potuiſſe, ſi ipſi non obſtitiſſent. Etſi enim diuina prouidentia, Sanctiſſimorum virorum operâ vſa fuerit, ad ſuffulciendam domum, ſeu Eccleſiam ſuam, non deerant tamen aliæ rationes; & potuit inter quaſuis morum corruptelas, incorruptam fidei veritatem, diuina veritas cuſtodire.

Sanæ igitur doctrinæ denuò aduerſa-

tur

tur Macchiauellus cum arbitratur Eccleſiam deficere & interire poſſe, vel potuiſſe. Reclamant apertæ Chriſti promiſſiones, Matth. 19. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nō præualebunt aduersus eam*, & c. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi*; & quod Apoſtolicam S. Petri cathedram, eiuſque ſucceſſores clariùs attingit, Lucæ 22. v. 31. *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua.* Quibus tot calculis, quot verbis, ſacrilega & hæretica Macchiauelli temeritas, damnata meritò, cenſeri debet.

Eccleſia deficere non poteſt.

§. VI.

Romani Imperij in Italiâ ruinam, Pſeudopoliticorum conſiliis & ambitione, non Eccleſiæ Romanæ culpâ contigiſſe.

QVod denique Italiam culpâ Romanæ Eccleſiæ, *in plures dynaſtias diſſectam, Principum diſsidijs debilitatam, in prædam libidini potentum atque barbarorum ceſsiſſe* ait, homini de pluribus fraudibus ac mendacijs iam ante conuicto, & ſiniſtris hæreticiſq; affectibus in tranſuerſum acto, nemo

ſapiens credet. Neque opus eſt præteritorum ſeculorum hiſtorias operosè retexere, cui rei nec tempus iam vacat nec animus; ſed ex his ipſis, quæ homo emotæ mentis falſa, & inter ſe pugnantia effutijt, calumniæ corruent.

Imperium in Occidente quando collapſum.

Falſum primò eſt, in Italiâ *propter Romanam Eccleſiam, deficiente eâdem Religione, ruinam Imperij ſecutam eſſe.* Collapſum enim eſt Imperium Romanum in Occidente, cuius Italia ſedes erat, A. C. 476. cum Odoacer Rex Erulorum, Auguſtulo vltimo Imperatore deuicto & exauctorato, ſibi Italiam ſubiecit. Quem id maximè appetentem, aduerſus Auguſtulum euocârant, qui partes Nepotis, (ab Oreſte Auguſtuli parente, Imperio deiecti) ſequebantur, vti narrat Baronius A. C. 475. Vnde apparet, Imperij Romani in Italiâ ruinam, ex Pſeudopoliticorum conſilijs & ambitione ſecutam eſſe: nullâ Romanæ Eccleſiæ culpâ, cui tum præerat Sanctiſſimus Pontifex Simplicius.

Narſes Italiam recuperauit.

Poſt Odoacrem Gothi regnum Italiæ tenuerunt, vſque ad A. C. 553. quo Narſes Eunuchus Totilâ primum, & Theia deinde, vltimo Gothorum in Italiâ Rege, cæſis atque occiſis, eandem Italiam Iuſtiniano

niano Imperatore, Romano Imperio rurſus adiecit, eique titulo Ducis aliquot annis præfuit. Sed paulò poſt A. C. 567. idem Narſes, ab inuidis apud Iuſtinum Imperatorem accuſatus, & ſucceſſore ſibi miſſo Longino, ac Sophiæ Auguſtæ ad Gynæcæi lanas ipſum reuocantis, conuitio irritatus: Longobardos ex Panoniâ ad Italiam inuadendam inuitauit, teſte Paulo Diacono de geſtis Longobardorum l. 1. c. 5.

Eandem Longobardis prodidit.

Quam proximo anno Alboinus eorum Rex, cum ingentibus copijs ingreſſus, tenuit annis tribus & menſibus ſex. Ei arte coniugis ſublato, ſubrogatus eſt Clephis. Quem cum poſt annum vnum, & menſes quinq; ſeruus interemiſſet: interregnum fuit annis decem, vt Paulus Diaconus ait, l. 2. c. 17. Interea triginta ſex militum Duces, partiti quas cepiſſent in Italiâ ciuitates, in Eccleſias, monaſteria, ſacerdotes, alioſque Chriſti fideles tantâ crudelitate ſæuierunt: vt S. Gregorius eam Longobardorum graſſationem, inter ſæuiſſimas Eccleſiæ perſecutiones numeret, cuius multa exempla & miracula paſſim narrat, l. 4. ep. 43. & l. 1. Dial. c. 4. l 2. c. 17.

Digitized by Google

c. 17. l. 3. c. 11. 26. 27. 28. 29. l. 4. c. 21. 22. 23.

Ex quibus Macchiauelli mendax in Eccleſiam Romanam calumnia, rurſus eliditur. Manifeſtum enim eſt, hanc alteram quoque Italiæ ruinam à Longobardis illatam, Narſeti & ipſis Orientis Imperatoribus, non autem Pontificibus & Eccleſiæ Romanæ adſcribi debere; eamque primùm à Longobardorum ducibus in diuerſas dynaſtias diſſectam, omnia crudelitatis exempla, ab illis barbaris pertuliſſe. Quorum ſeruitute demum, non aliâ quàm Romanæ Eccleſiæ operâ, liberata fuit.

Romana Eccleſia Italiam à Longobardis liberauit.

Cum enim Reges Longobardorum, poſt decennale interregnum, vſq; ad Deſiderium, continuâ ſerie Italiam tenerent, eamque & præcipuè Eccleſiam Romanam ſæpius dirè affligerent, Pontifices ab Imperatoribus Orientalibus, & Francorum Regibus auxilium poſtulârunt; quod An. C. 774. Hadrianus Papa à Carolo Magno efficax impetrauit. Is enim autore Baronio, Deſiderium Papiæ captum, cum coniuge in Franciam abduxit; & Eccleſiæ Romanæ redditâ libertate, eiuſque finibus munificè dilatatis, vniuerſo Longobardorum

rum regno potitus eſt, quod deinde ad poſteros, ipſorumque ſucceſſores tranſmiſit.

Malam gratiam Eccleſiæ Romanæ refert Macchiauellus, pro Italiâ à Barbaris ope Caroli Magni liberatâ. Cui id propoſitum fuit, iura ſua & Religionis tueri, non Italiam in fruſta & dynaſtias ſecare; ideóque potentiſſimum Principem in ſubſidium vocauit, qui regno Barbaris erepto, meliori mitioríque iure imperaret. Falſum igitur eſt Eccleſiam Romanam non permiſiſſe, vt Italia ſub vnius Imperium redigeretur, cum ipſa Carolum Magnum eò vocârit, vt pro Barbaris imperaret; quod ſeu Imperium, ſeu regnum ipſe eiuſque poſteri, & alij deinde Cæſares, ſeu Franci, ſeu Germani geſſerunt. *Ei malam gratiam refert Macchiauellus.*

Quæ verò ad Eccleſiam, priorũ Cæſarum & aliorum, ipſiúſque adeò Caroli Magni munificentiâ peruenerunt, vel alij bono compertóque iure in Italiâ obtinebant, nemo ſibi vendicare abſque iniuriâ potuit; neque vlli bono Principi in mentem venit, ita totius ſibi Italiæ Imperium aſſerere, vt partes ſuas alijs eriperet. Quas ſi Pontifices Romani, aliíque aduerſus iniuſtos inuaſores tueri ſtuduerunt, vocatis etiam in auxilium, cum neceſſitas vr-

gebat, exteris Principibus aut populis: iure ſuo vſi ſunt, ſeu Macchiauelli, ſeu alijs temporibus id egerint. Neque iniquitatis notam effugerent, ſi Romanæ Eccleſiæ patrimonium, in prædam ijs offerrent aut relinquerent, qui limites Imperiorum metiuntur libidine dominandi.

CAP. VI.

Alia quædam, quæ contra S. Scripturam, & ſanam doctrinam Macchiauellus aſſeruit.

§. I.

Si Principi bellicoſo & feroci, alius moribus diſſimilis, & huic non iterum aliquis, primo ſimilis ſuccedat, Macchiauelli opinione Imperium neceſſariò ruere; ideoq; Roboamum regnum Salomonis integrum non retinuiſſe.

CAP. XIX. Libri I. diſcurſuum de Republicâ, *Obſeruandum eſſe* ait, *ſi præpotenti, ferociq; Principi alius ſuccedat, qui non ſit tantâ virtute, vt anteceſſor erat: poſſe eum tamen, vel ſui prædeceſſoris virtute Imperium conſeruare. Sed ſi vel ipſe diuturnioris vitæ fuerit, aut poſt illum alius ſuccedat, qui non inſiſtat veſtigijs primi, eiuſq; virtutem imitetur, neceſſe erit eius Imperiũ ruere.*

Digitized by Google

ruere. Quod ſi verò è contra bini excellenti virtute ſe mutuò conſequantur; quàm plurima præclarè præſtare poſſunt, vt eorum nominis gloria latiſſimè extendatur.

Dauid procul dubio vir fuit cum doctrinâ, tum rei militaris, peritiâ & prudentiâ inſignis: tantaq; fuit eius virtus, vt deuictis omnibus ſuis vicinis, Regnum Salomoni filio pacificum, quietumq; tradiderit: qui id pacis, non belli artibus conſeruauit, ob paternæ virtutis memoriam, quâ fruitus eſt. Non potuit tamen id regnum Roboamo filio tale relinquere, quale ipſe à Patre acceperat: nam cum is neq; eiuſdem cum auo virtutis eſſet, neque eâdem vteretur felicitate, quâ pater Salomon vſus erat, vix ſextam eius regni partem poſſidere potuit.

§. II.

Scripturam Macchiauello clare aduerſari; peccata Salomonis cauſſam fuiſſe, cur decem tribus ab eius filio defecerint.

CONtra ſacram Scripturam aſſerit: *Non potuiſſe Salomonem regnum Roboamo filio tale relinquere, quale ipſe à Patre acceperat.* Reliquit enim illud moriens nullâ parte imminutum; quod integrum accipere & retinere poterat Roboa- *Roboamus regnum integrum retinere potuit.*

mus, cum in *Sichem congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum regem*. 3. Reg. 12. v. 1. & 2. Paral. 10. v. 1. *niſi reſpondiſſet populo dura, derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant, & locutus eſſet eis ſecundum conſilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cadam vos ſcorpionibus*, ibid. 6. v. 15. & 14. *Videns itaque populus, quod noluiſſet eos audire Rex, reſpondit ei dicens: quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael, nunc vide Domum tuam Dauid.* ibid. 6. v. 16. *Factum eſt autem, cum audiſſet omnis Iſrael, quod reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eum congregato cætu: & conſtituerunt eum regem ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſquam Dauid præter tribum Iuda ſolam*. v. 20.

Beniamin tribum Iuda ſecutus.

Cui acceſſit Benjamim non tam voluntate fortè ſuâ, quàm quod tribum Iudâ (habitabat enim inter filios Iuda & Ioſeph, & vrbs Ieruſalem ad eam pertinebat, Iudic. 28. v. 11. & 28.) ſequi cogeretur vel inuita. Idque ſignificat Scriptura, cum ait, *tribum Iuda ſolam, ſecutam eſſe Dauid*, ſpontaneâ nimirum promptaq; animi inductio-

ductione. Nam tribum quoque Benjamin, quâcunque demum ratione adhæſiſſe domui Dauid, inde liquet, quod *Roboam veniens in Ieruſalem, congregauit vniuerſam domum Iuda, & tribum Beniamin*, ib. v. 21. & Ahias nomine Dei, Ieroboamo ſolùm promiſit decem tribus, ibid. c. 11. v. 31. 35.

Huius autem defectionis, cauſſa non fuit, quod niſi Principi belli artibus claro, cui ſucceſſit alter ab ijs artibus alienus, denuo ſuccedat tertius aliquis bellicâ virtute excellens, neceſſe ſit eius Imperium ruere. Sed quoniam *auerſatus fuerat* Roboamũ *Dominus, vt ſuſcitaret verbum ſuum, quod locutus fuerat in manu Abia Silonitæ, ad Ieroboam filiũ Nabat*. ibid. cap. 12. v. 15. Cum *apprehendens Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras; hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna tribus remanebit ei, propter ſeruum meum Dauid, & Ieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael: eò quod dereliquerit me, & adorauerit Aſtarthen Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Moloch Deum filiorum*

Peccata Salomonis cauſſa defectionis à Roboamo.

liorum Ammon: & non ambulauerit in vijs meis, vt faceret iuſtitiam coram me, & præcepta, & iudicia, ſicut Dauid pater eius. Nec auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter Dauid ſeruum meum, quem elegi, qui cuſtodiuit mandata mea, & præcepta mea. Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid ſeruo meo, cunctis diebus coram me in Ieruſalem ciuitate, quam elegi, vt eſſet nomen meum ibi. ibid. cap. 11. v. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.

Macchiauellus exempla S. Scripturæ peruertit.

Nequiter igitur Macchiauellus exempla ex ſacris literis affert, & cauſſas ibi aſſignatas, in alias tranſmutat; vt timorem Dei, peccatorumque odium Principibus eripiat. Aſtarthe, & Chamos, & Moloch à Salomone per mulieres deprauato, adorati, ſcelera eius & inſanæ libidines, conculcata Dei præcepta, decem tribus Iſrael filio eius abſtulerunt: cuius cor juſto judicio, in pœnam paternæ impietatis, Deus infatuauit, vt ſpreto conſilio ſeniorum, juuenes in ſuam perniciem, regnique ferè totius jacturam ſequeretur.

§. III.

§. III.

Rationem Macchiauelli inanem eſſe; poſſe regna ſub Principibus non bellicoſis aquè à Deo conſeruari; Roboamum, licet bellicoſiſſimus fuiſſet, diuinis decretis obſiſtere non potuiſſe.

NOn eo inficias, ſi plures Principes bellicarum rerum expertes ſe mutuò conſequantur, tum ipſos, tum ſubditos imbelles reddi, & imperio tuendo minus aptos, ſi vis aliqua maior ingruat. Sed niſi peccata principum ac populorum gladios hoſtiles, diuinæ juſtitiæ miniſtros acuerent, ſtringerentq;, cerneremus paſſim omnes *ſedere in pulchritudine pacis, & requie opulentâ*, & bellis ingruentibus, non deeſſe, pacificis licet Principibus militares animos, aut opportunis aliunde auxilijs eos adiuuari.

Jllud verâ Fide, & diuinarum literarum autoritate, certum eſt, ſi Deus Regna & Imperia multis ſeculis conſeruare velit, nihil obfuturos, Principes nullis bellis exercitatos: etſi longâ annorum ſerie, plures eiuſmodi ſibi ſuccedant, vt in vaſtiſſimo Sinarum Imperio, quod ſub plurium Regum tranquillâ adminiſtratione, incolume perſeuerat. Si contrà Principem

Succeſſio Principum licet imbellium, diuinis decretis non obſtat.

Digitized by Google

pem aut Principatum, ſeu Rempublicam, improbitatis menſurâ impletâ, Deus punire & euertere decreuerit, frequenter quidem imbellibus & inſipientibus Imperia vindictæ matura concedit; ſed neque bellicoſiſſimi licet ferociſſimique Principes, diuinæ reſiſtere poteſtati, & decretam ſibi pænam, alijs quam pænitentis animi, emendatioriſque vitæ armis auertere poſſunt, aut mitigare. Non addo exempla, quibus ſacræ literæ, & omnes hiſtoriæ, in profani Macchiauelli ignominiam redundant.

Humanæ artes diuinis iungendæ.

Sed non eò hæc ſpectant, vt Princeps belli artibus ſe, & Principatum tueri negligat, è cœli auxilijs & decretis ſolùm ſuſpenſus; præſertim, cum longâ pace ipſius, & ſubditorum vires ac animi emarcuerunt. Id ſolùm caueat, ne dum humanis conſilijs artibuſque incumbit, diuina præcepta ac decreta negligat, & iuſtitiæ probitatiſque vel ſeruandæ, vel reuocandæ ſolicitam curam abijciat. In his enim Imperiorum ſolida felicitas & incolumitas, velut in cardine vertitur; ad quem ne reſpiciant Principes, nebulas Macchiauello duce, Pſeudopolitici offundunt.

§. IV.

§. IV.

Crudele & inhumanum Macchiauelio videri, prouinciâ aliquâ occupatâ, veteribus dirutis nouas vrbes ædificare, & incolis pulſis omnia omnibus eripere.

CAp. xxvi. eiuſdem libri I. Principi nouo vrbem aut Rempublicam aliquam occupanti, Reipublicæ formam planè nouam inſtituendam eſſe, ita ſuadet.

Qui vrbis aut religionis alicuius Principatum occupat, quanto ſe viribus infirmiorem eſſe intelligit, ad Imperium conſeruandum, ſiue legitimè regnando, ſiue liberam Rempublicam inſtituendo: tanto magis in id vnicè incumbat oportet, vt ſicuti ipſe nouus Princeps eſt, ità in ſuo Principatu omnia innouet. Nouos Magiſtratus nouis nominibus inſignitos creet, ad eoſq; eligat nouos homines, bona opulentorum hominum pauperibus diſtribuat, eoſq; ditet; & vt de Dauide rege fertur, ſic de illo dici queat: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Eidem huic nouæ vrbes condendæ, antiquæ diruendæ, habitatores transferendi de loco vno in alium: adeoq; ita omnia erunt innouanda, vt neq; opes, neque honores quiſquam in eâ prouinciâ poſſideat, qui non cogatur

De Chriſto, non Dauide hoc dictum eſt.

gatur confiteri, ſe illa ab ipſo Principe obtinere &c.

Fucata pietas.

Crudelis eſt hac dominandi ratio, & non modò Chriſtiana, ſed humana quoque vita aduerſa: quamobrem ab omnibus fugienda, ac longè magis praferenda vita priuata, quàm vt cum tanto hominum diſpendio, atq; calamitate regnare velis,

§. V.

Fallacem eſſe hanc Macchiauelli pietatem, & S. Scriptura aduerſam; Dei mandato filios Iſrael ſeuerius egiſſe cum Chananais; iuſtis ex cauſſis Deum id imperâſſe, ac etiam ſine tali Imperio fieri poſſe.

FVcata eſt hæc Macchiauelli ſententia, quâ crudelitatem diſſuadet. Quinimò, dum Chriſtianæ vitæ rationem habere ſe fingit, inſigniter in Deum & ſacras literas injurius eſt: ea enim, quæ ipſe Chriſtianæ & humanæ vitæ aduerſa dicit, Deus veteri olim populo præcepit. Num. 33. v. 51. *Quando tranſieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, diſperdite cunctos habitatores terra illius*, & v. 55. *Si autem nolueritis interficere habitatores terra, qui remanſerint: erunt vobis, quaſi claui in oculis, & lancea in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terrâ habitationis veſtra: & quidquid*

Qua Deus pracepit, Macchiauellus damnat.

quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam. Deuteron. c. 7. v. 1. & 2. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pharezæum, & Heuæum & Iebuſæum, ſeptem gentes multo maioris numeri, quàm tu es, & robuſtiores te, tradideritq́ eas Dominus Deus tibi, percuties eas vſque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum.*

Quod Dei mandatum ſedulò impleuit Ioſue, teſtante eâdem Scripturâ, Ioſue, cap. 11. à v. 16. *Cepit itaque Ioſue omnem terram montanam, & meridianam, terramque Goſen, & planitiem, & occidentalem plagam, montemq́ Iſrael & campeſtria eius: & partem montis, quæ aſcendit Seir vſque Baalgad, per planitiem Libani ſuper montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percuſſit, & occidit. Multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos. Non fuit ciuitas, quæ ſe traderet filijs Iſrael, præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mere-*

Ioſue gentes Chananæorum deleuit.

mererentur vllam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi. In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enaeim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda, & Iſrael, vrbeſq; eorum deleuit. Non reliquit vllum de ſtirpe Enaeim in terrâ filiorum Iſrael. Qui poſt mortem Ioſue delere noluerunt, reliquias earundem gentium, vt refertur, Iudic. 1. ideóque iram Domini meruerunt. ibid. cap. 2. v. 3.

Non eſt id crudele ſecundum ſe.

Non ergo crudelis ſecundùm ſe, nec iniqua eſt hæc bellandi dominandiq; ratio, neque vniuerſim damnari poteſt: niſi eò impietatis proceſſerit Macchiauellus, vt *Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis*, cuius etſi dura, iuſta ſunt iudicia, crudelitatis & iniquitatis damnare auſus ſit; quod pro reliquis ipſius in diuinitatem, & veram Religionem iniurijs ac blaſphemijs, incredibile non eſt. Idque inde conijci poteſt, quia tam notæ ſunt filiorum Iſrael in terrâ promiſſionis victoriæ, earumque gentium ex diuino præcepto excidia, vt Macchiauellum latere non potuerint; ſed in ſacrarum literarum & veri Dei contumeliam, iſta criminari voluiſſe credendus ſit, quod dudum impij Ma-

Manichæi, egerunt, vt ex S. Aug. ſermone 105. de tempore apparet, vbi diuinæ ſententiæ æquitatem ità tuetur:

Tradunt maiores noſtri, quod quando filij Noe omnem terram inter ſe inuicem diuiſerunt, terra iſta, quæ dicitur Chananæorum, in diuiſione orbis, ſeniori filio Noe, id eſt Sem, in poſſeßionem obuenerit, & eam tempore non paruo poſſederit. Poſtea verò increſcentes populi Chananæi, de illo vtique filio, qui à patre fuerat maledictus, venerunt ad loca illa, & per violentiam expulſis fratribus ſuis, id eſt filijs Sem, terram eorum more Barbarico poſſederunt. Et quia Beatus Abraham de genere Sem legitur fuiſſe, filij eius, id eſt populi Iſraelitæ, non alienam terram tradente Domino peruaſerunt, ſed ſuam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderunt, receperunt.

Chananæi iniuſti terræ ſuæ poſſeſſores.

Et quia Chananæi excepto illo peccato, quod poſſeßionem alienam inuaſerant, multa nefanda & inaudita crimina committebant, intantum, vt quando Dominus Sodomam & Gomorrham ſubuertebat, dixiſſe legatur: Necdum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum: & expectabat Dominus, vt aut conuerterentur, & agerent pænitentiam, aut certè ſi conuerti nollent,

Multa alia ſcelera patrârunt.

 crimi-

Digitized by Google

crimina criminibus cumulantes, & peccandi menſuram implentes, iuſtiſsimam Dei ſententiam ſuſtinerent. Quia ergo eos dupliciter inuenit reos diuina cenſura, pro eo quod & terras alienas inuaſerant, & poſtea ſcelera & crimina inaudita commiſerant, iuſto iudicio puniuntur, & Iſraelitico populo antiquorum patrum poſſeſsio reformatur.

Non igitur crudele eſt, ex juſtis cauſſis, habitatores alicuius terræ ad internecionem delere, ciuitates deſtruere, fœdus cum illis non inire, neque eorum miſereri. Quod non ſolùm Deo iubente, cuius non minus præcepta, quàm opera ſunt bona valde, bene & laudabiliter fit: ſed etiam ſine peculiari eiuſmodi mandato, diuinis humaniſq; legibus ſaluis, rectè fieri poteſt; cum vel iuſtæ defenſionis neceſſitas, vel iniuriarum ſcelerumque atrocitas, eiuſmodi non ſæuitiam, ſed ſeueritatem poſtulant.

Vindicandi & dominandi libido cauenda.

Etſi, quia facile eſt, vindicandi libidine, aut dominandi cupiditate, extra iuſtitiæ humanitatiſque metas abripi, conſultum ſit, niſi euidens neceſſitas aut ratio vrgeat, in mitiorem partem declinare, & clementiâ potius quàm crudelitate peccare. Quam ob cauſſam ſimiles planè belland i domi-

Digitized by Google

dominandíque modos, à Macchiauello in Principe præſcriptos, inter ea ſuprà retulimus, quæ inhumaniter & lubricè præcepit; quæque ex fine ab ipſo propoſito crudelia, & iniqua meritò iudicari debent, licet ſecundum ſe talia non ſint.

§. VI.

Macchiauellum eò inclinâſſe, vt crederet aerem ſpiritibus plenum eſſe, qui ex beneuolentia hominibus futuros motus, per ſigna prænuntient.

Cap. lvi. eiuſdem Libri I. oſtendit magnos motus, qui vrbibus & prouincijs eueniunt, ſignis quibuſdam, aut hominum præſagijs denuntiari ſolere: *Huiuſmodi rerum cauſſas* ait, *ab ijs explicari poſſe credo, qui rerum naturalium, ac ſupranaturalium cognitione inſignes ſunt, à quâ me alienum eſſe fateor. Niſi fortè cum Philoſophis quibuſdam pronuntiandum cenſeamus, aerem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe, quæ res futuras præuidentes, & humanis caſibus condolentes, eas hominibus per huiuſmodi ſigna prænuntient, vt ſe aduerſus eas tempeſtiniùs, præparare & communire queant.*

§. VII.

Errorem hunc eſſe Platonicorum, Catholicæ doctrinæ non conſentaneum.

MAcchiauellum rerum naturalium & ſupernaturalium, non cognitione, ſed ignorantiâ & contemptu inſignem eſſe, ea quæ contra veræ fidei & rectæ rationis regulam diſſeruit, abundè fidem faciunt. Si ignorantiam, quam verbis fatetur, ſerio animo ſibi tribuiſſet, calamum & audaciam temperaſſet, quæ illum hoc loco in Platonicorum errorem abduxit. Iſti enim teſte S. Aug. l. 8. de ciu. c. 14. *Omnium inquiunt, animalium, in quibus eſt anima rationalis, tripertita diuiſio eſt: in Deos, homines, Dæmones. Dij excelſiſſimum locum tenent, homines infimum, Dæmones medium. Nam Deorum ſedes in cælo eſt, hominum in terrâ, in aere dæmonũ. Sicut eis diuerſa dignitas eſt locorum, ità etiam naturarum. Proinde dij ſunt hominibus, dæmonibuſq; potiores: homines verò infra Deos & homines conſtituti ſunt, vt elementorum ordine, ſic differentiâ meritorum.*

Platonici animalia diuidunt in Deos, homines, dæmones.

Quorum munus ipſe Plato in Sympoſio his verbis explicat: *Omne dæmonium*

medium eſt inter Deum & hominem, interpretans & dubia proponens Dijs, quæ ſunt ab hominibus, & hominibus, quæ ſunt à Dijs; illis per deprecationes & ſacrificia, his per imperia & remunerationes ſacrificiorum; in medio vtraq; complens, vt omnia hæc iſtis colligentur. Ex quo & diuinatoria omnis procedit, & ſacrorum ſcientia eorum, quæ ſunt & de ſacrificijs, & myſterijs, & incantationibus, & diuinatione vniuerſà, & præſtigijs.

Dæmonum munus ex Platone.

A dæmonibus igitur futura mala quibuſdam ſignis prænuntiari, ex beneuolentiâ erga homines, cum Platone ſentit Macchiauellus. Sed deceptus eſt Plato, ſimilitudine SS. Angelorum, quos Dæmones eſſe credit. At verò SS. Angeli in aere non habitant, ſed in cælo, & cum *in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, 1. Hebr. v. 14. deſcendunt in terras, non ceſſant *videre faciem patris* noſtri, *qui in cælis eſt*; cui preces & ſacrificia noſtra offerunt, & diuina viciſſim nobis auxilia ac beneficia afferunt.

Dæmones autem bonos in aere, aut ſpiritus hominum amantes, noſtriſq; caſibus condolentes præter SS. Angelos, nullos agnoſcit Catholica doctrina. Sed

Illos repudiat vera fides.

partem Dæmonum, qui omnes mali nobiſque inimici ſunt, (*neque enim vllum bonum dæmonem, noſtræ dicunt Scripturæ*, ait Euſeb. lib. 4. de præpar. Euang. cap. 3.) in aere ad noſtram exercitationem, & pœnam ipſorum pertinere credimus. Atque ideo S. Paulus Epheſ. 1. v. 2. *Diabolum Principem appellat poteſtatis aeris huius.* & c 6. v. 12. monet nobis *non eſſe colluctationem aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* De quâ re pluribus. S. Thom. 1. p. q. 65. a. 4.

§. VIII.

Dæmones cum futura prænuntiant, fallaces eſſe, nec fide dignos; à Deo futura mala ſignificari, ad cautelam & emendationem.

ETſi verò Dæmones tum perſpicaciâ, tum celeritate, tum experientiâ adiuti, occulta frequenter aperiant, & futura prænuntient, ea præcipuè, quæ ipſi facere conſtituerunt, *longè tamen abſunt ab altitudine illius Prophetiæ, quam Deus per SS. Angelos ſuos & Prophetas operatur. Nam ſi quid de illâ Dei diſpoſitione prænuntiant,*

audiunt

Digitized by Google

audiunt vt prænuntient; & cum ea prædicunt, quæ inde audiunt, non fallunt, neque falluntur, veraciſsima enim ſunt Angelica & Prophetica oracula, ait S. Aug. lib. de diuinatione Dæmonum, cap. 6.

In alijs autem, quæ vel coniectant, vel ipſi facere proponunt, ſæpe fallunt ac falluntur, impedimento aliquo diuinitus, vel aliunde, vnde non putabant, interiecto. Quare ob fallaciam fidem non merentur, ob odium autem, quo nos proſequuntur indigni ſunt, à quibus veritatem exquiramus: quam ſi aliquando eloquuntur, non niſi ad indebitam ſibi autoritatem conciliandam, animoſq; hominum à diuinâ veritate auertendos id referunt. *Dæmones fallunt & falluntur.*

Deus autem per ſtellas aliáque ſigna, imminentes calamitates prænuntiare ſolet, vt peccata, veriſſimas malorum noſtrorum cauſſas, emendando expiandoq;, diuinam iram auertere ſtudeamus aut mitigare. Sic paulo antequam Antiochus Ieroſolymam caperet, & in Iudæos atrociſſimè ſæuiret, *contigit per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem, videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatos, & curſus equorum per ordines di-* *Deus ſignis calamitates prænuntiat.*

 geſtos:

geſtos: & congreſsiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti. 2. Machab. cap. 5. v. 2.

CAP. VII.

Fortitudinem Chriſtianam, Reipublicæ gerendæ & defendendæ maximè accommodatam, & Fortitudine Ethnicorum longè excellentiorem eſſe, aduersùs Macchiauelli blaſphemias demonſtratur.

§. I.

Macchiauello impio iudice, Ethnicos fortiores fuiſſe Chriſtianis, ob religionis diuerſitatem; nos à veritate duci ad contemptum mundi & honorum; ſacra noſtra mollia & delicata eſſe; à nobis beatiores putari humiles; de iniuriis condonandis magis cogitari, quam vindicandis; hanc eſſe cauſſam imbellis animi, & amiſſæ ac neglectæ libertatis; etſi magnitudo Imperii Romani, non parum etiam ad id fecerit.

CAP. II. Libro ſecundo Diſcurſuum de Republicâ, de libertate diſſerit, cuius amor difficilem fecit Populo Romano

no victoriam de vicinis, & alijs quibuſdam populis. Addit libertatis laudes, eiúſque iam neglectæ, & imbellis animi cauſſam Religioni Chriſtianæ adſcribit. Adnumero impias & blaſphemas voces, Libertati & fortitudini Chriſtianæ nimis quàm contumelioſas:

Sed non immeritò poßit quiſpiam hoc loco admirari cauſſam, cur antiqui illi longè magis laborâſſe videantur pro libertate publicâ, quàm id ætate noſtrâ fieri videamus. Ego verò ob eandem cauſſam id fieri puto, propter quam ijdem illi etiam fortiores viri erant, quàm noſtri: atque illam maiori ex parte pendere, ex ipsâ educatione, & religionis illorum noſtræq́ diuerſitate. Nam cum ex Religione noſtrâ VERITATEM *rerum intueamur: diſcimus ex illâ ſtatim honores & pompam huius mundi contemnere. Sed Ethnici hæc omnia magni faciebant, & in ijs ſummum bonum eſſe putabant. Quapropter promptiores fortioreſq́ erant, huiuſmodi rerum defenſores.*

Veritas Chriſtianos imbelles facit, Machiauello iudice.

Id ex multis eorum inſtitutis apparet. Nam ſi vel eorum ſacrificia cum noſtris conferas: in illis magnificentiam quandam horrendam, in noſtris delicatam quandam mollitiem cernes. In illis pompæ & magnificentia,

Eidem ſacra noſtra mollia.

tiæ, cædes multorum animalium adiungebantur, qui terribilis aſpectus homines etiam feroces reddebat; noſtra his omnibus caret.

Ethnicorum Religio non reddebat homines beatos alijs rebus, quàm gloriâ & laude virtutis, pro rebus bene feliciterq́ in pace, aut bello geſtis. Ex noſtræ Religionis inſtitutione, beatiores putantur humiles, & qui rerum diuinarum contemplationi dediti ſunt, quàm qui res magnas geſſerunt. Summum præterea bonum ſtatuit in humilitate, & contemptu rerum huius mundi. Ethnici omnia contrario modo ſe habere credebant: nam ſummum bonum exiſtimabant in magnitudine, animi poſitum eſſe, & corporis viribus, cæteriſq; omnibus, quæ à fortiſſimis viris fieri ſolent.

Blaſphema in humilitatem Chriſtianam iniuria.

Hæc vitæ inſtitutio Chriſtianum orbem imbellem feciſſe videtur, vt ſceleratis ac perfidis principibus certa præda eſſe ſoleat. Nam plerique mortalium ſpe vitæ beatæ, cogitant potius de tolerandis iniuriis, quàm de iiſdem vindicandis: tanquam ſi oporteret cælum ſine armis vllis, ſolo otio comparare. Sed non caret errore iſta Religionis noſtræ explicatio, & qui illam ità ſunt interpretati, abiecti homines fuere, quibus otium potius, quam virtus cordi fuit.

Nihil

Nihil enim Religioni Chriſtianæ aduerſatur Patriæ defenſio, Imperijq́; eius per legitimum modum auctio. Permittitur omnibus patriam amare, in honore habere, & ad illius defenſionem ſe præparare. Sed inepta illa educationis ratio efficit, vt ſi per vniuerſum orbem ætate noſtrâ percurras, neutiquam tot populos liberos, tot liberas Reſpublicas, vt olim erant, inuenire queas, nec homines libertatis amatores, eiuſdemq́; acres defenſores.

Verum fallaci mente dicit impoſtor.

Equidem Romani Imperij magnitudo, non parum etiam ad id fecit, cum per vniuerſum orbem liberas Reſpublicas ſub ſuum iugum ſubiecerit. Sed neque deſtructo Imperio Romano, tamen potuere priſtinam libertatem recuperare, niſi per pauca quædam. Quo tempore augebatur Romanum Imperium, inueniebantur in omnibus regionibus multi liberi populi, multæ liberæ Reſpublicæ præclarè inſtitutæ, & libertatis defenſores acerrimi. Nec proinde à P. R. abſq́; ſingulari virtute vinci ac ſuperari potuerunt.

§. II.

§. II.

A Macchiauello inauditā inter Chriſtianos, Religioni Chriſtianæ iniuriam inferri; ſicuti Temperantia moderatur delectationem, ita fortitudine reprimi honorem, ne obſtet Virtuti.

RElígionem Chriſtianam virtutum omnium & matrem eſſe, & Magiſtrā nemo ambigit, qui credit *ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo:* & eam fidem veram non eſſe, quæ aliquam veram virtutem excludit. Quare Macchiauellus nouam & inauditam inter Chriſtianos, Religioni Chriſtianæ contumeliam intulit, cum ſacrilegâ audaciâ, quod nulli vnquam hæretici fecerunt, Fortitudinem ipſi eripere, & eius inſtitutionem veluti imbellem, ac Rebuſpublicis noxiam infamare tentauit. Cuius virtutis naturam qui intelligit, vel nuſpiam, vel non alibi, quam apud Chriſtianos ſolidam & integram reperiri fatebitur, vt ex ijs quæ hìc ſubiungimus; perſpicuum erit.

Duo Virtutis impedimenta, Voluptas & dolor.

Duo generatim ſunt impedimenta, quibus homines retinentur, ne in vitâ priuatâ ac ciuili, rectæ rationis Imperio ſe duci ſinant. Vnum eſt voluptas ſeu delectatio de bono aliquo inferiori, cuius deſiderio

rio à rectæ rationis tramite, ad fæda ac vetita deflectunt. Alterum dolor & triſtitia de malo itidem minori, cuius incurrendi timore, aut ſuperandi deſperatione, vel nimiâ audaciâ rationem ſequi ceſſant, aut quæ illa fieri vel tolerari jubet, nō faciunt, nec tolerant. Impedimentum voluptatis remouet Temperantia. Ijs quæ dolorem & timorem incutiunt, obluctatur Fortitudo animi, ſicuti fortitudine & robore corporis, ea quæ membrorum noſtrorum motui aut actionibus obſiſtunt, repellimus, vt explicat S. Tho. 22. q. 123. a. 1. *Illud remouet Voluptas, iſtud fortitudo.*

Eſt igitur fortitudo virtus, firmiter retinens voluntatem, ne ab eo bono, quod recta ratio præſcribit, metu minoris boni amittendi deficiat. Voco autem minus bonum, quidquid infra virtutem & honeſtatem eſt, quam menſuram rectæ rationis meritò appelles. Talia ſunt bona corporis & fortunæ, vita, ſanitas, membrorū integritas, diuitiæ, honor, gloria, dominatus, Imperium; quæ honeſtati poſthabenda eſſe, nemo honeſti amans vnquam negauit.

Qui igitur ea, quæ oportet, cuiuſq; cauſſâ, & quemadmodum, ac quando oportet, perfert & extimeſcit, itidemq; audet, is fortis eſt. *Fortis quis.*

eſt. Prout enim rei dignitas & ratio poſtulat, vir fortis patitur & agit, ait Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 7. Et paulò poſt Fortitudinem definit eſſe, *mediocritatem in ijs, quæ audere & timere ſolemus, eaq́ eligere & tolerare, quia honeſtum eſt, aut contrarium turpe.* Semper autem honeſtum eſt, eligere potius iacturam boni minoris quàm maioris, & ſubire malum minus quàm maius; turpe contra eſt, metu mali minoris incurrere maius, aut vllam iacturam præferre honeſtati. Quo primo veræ fortitudinis iacto fundamento, alia quædam, ad eam penitius intelligendam monet Ariſtoteles, naturâ duce animaduerſa: vt nefas ſit, poſt eandem naturam diuinæ fidei radijs illuſtratam, tam claræ veritati repugnare.

Fortitudo quid.

§. III.

Fortem impauidum eſſe ad pericula mortis; præſertim in bello, ſiue communi, ſiue particulari; fortitudinem magis elucere in ſuſtinendo, quàm aggrediendo; actiones illius non eſſe iucundas, niſi quatenus finis adiungitur.

1. PRæcipuè *fortis dicitur, qui impauidus eſt ad mortem honeſtam, & eam, quæ ipſam afferunt, ac repentè eueniant*, ait Ariſto-

Fortis impauidus ad mortem.

Ariſtoteles eod. lib. 3. Ethic. cap 6. Cuius ratio ex fortitudinis naturâ deſumitur. Cum enim eius officium ſit voluntatem roborare aduersùs mala, quorum metu à regulâ rationis abſtrahi poſſet; maximè eam confirmat aduerſus maxima mala. *Quia qui ſtat firmus contra maiora, conſequens eſt, quod ſtet firmus contra minora, ſed non conuertitur*, ait S. Thomas q. 123. a. 4. Maximè autem terribilis eſt mors, cuius metu qui frangitur, etſi mala minora fortiter toleret, ſolùm ſecundùm quid fortis eſt. In morte igitur eiuſq; periculis contemnendis, & fortiter ſubeundis, præcipuè elucet Fortitudo; tantóque magìs, quo minus fuerint præuiſa. *Nam fortioris eſſe videtur in repentinis potius terroribus impauidum ac interritum eſſe, quàm in præuiſis. Magis enim ex habitu id procedit, minuſq; ex animi præparatione; nam præuiſa conſilio quis & ratione eligere poteſt, repentina non niſi ex habitu*, ait Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 8.

Repentina potius, quàm præuiſa fortem oſtendunt.

Non verò quoduis mortis genus viri fortis eſſe videtur, vt ſi in mari, vel morbis pereat. In quibus igitur elucet? an non in pulcherrimis? talia verò ſunt, quæ in bello eueniunt, in maximo nimirum, honeſtiſſimoq; periculo.

Præcipuè in bello iuſto.

lo. *Argumento ſunt honores, qui in ciuitatibus & à regibus decernuntur,* ait Ariſtoteles, ibid. cap. 6. Eſſe autem mortem in bello, Fortitudinis propriam, hinc patet. Cum enim virtus ſit, ſpectat quod honeſtum eſt; atqui defendere Rempublicam in bello iuſto, per ſe honeſtum eſt, non item in mari, vel morbis perire, niſi bonus finis aliunde accedat. Mors igitur, quam belli pericula ſecum afferunt, fortitudinis per ſe propria eſt; quæ mortem quoque naturalem ex morbo, aut fortuitam ex naufragio, incendio, caſu, cum virtutis cauſsâ tolerat, ſuam & honeſtam facit.

Bellum iuſtū duplex.

Poteſt autem ait, S. Thom. q. c. 123. a. 5. *aliquod eſſe iuſtum bellum dupliciter. Vno modo generale, ſicut cum aliqui decertant in acie. Alio modo particulare: puta cum aliquis iudex, vel etiam priuata perſona, non recedit à iuſto iudicio, timore gladij imminentis, vel cuiuſcunque periculi, etiamſi ſit mortiferum. Pertinet autem ad fortitudinem, firmitatem animi præbere contra pericula mortis; non ſolum quæ imminent in bello communi, ſed etiam quæ imminent in particulari impugnatione, quæ communi nomine bellum dici poteſt.*

III. *Cum fortitudo circa audacias & timores*

mores verſetur, non tamẽ æqualiter in vtriſque, ſed magis in terribilibus conſpicua eſt. Nam qui in his intrepidus eſt, quiq; ità affectus, vti oportet, magis fortis cenſeri debet eo, qui rectè ſe habet in rebus audendis. *Fortitudo in terribilibus præcipuè elucet.* Acerba enim *perferendo, vt dictum eſt, fortis nomen ſuum obtinet*, ait Ariſtoteles, l. 6. c. 9.

Difficilius enim eſt timorem reprimere, quàm audaciam moderari, eò quod ipſum periculum, quod eſt obiectum audaciæ & timoris, de ſe confert aliquid ad repreſſionem audaciæ, ſed operatur ad augmentum timoris. Aggredi autem pertinet ad fortitudinẽ, ſecundùm quod moderatur audacias: ſed ſuſtinere ſequitur repreſſionem timoris. Et ideò principalior actus fortitudinis eſt ſuſtinere, id eſt immobiliter ſiſtere in periculis, quàm aggredi, ait S. Thom. 9. 123. a. 6. c. Et ad 1. quod ſuſtinere ſit difficilius, quàm aggredi, triplici clariſſimâque ratione probat.

Primò quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiori inuadente: qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris. Secundò, quia ille qui ſuſtinet, iam ſentit pericula imminentia: ille autem, qui aggreditur, habet ea vt futura: difficilius autem *Difficilius eſt ſuſtinere, quam aggredi.*

tem eſt non moueri à præſentibus, quàm à futuris. Tertiò, quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis : ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu : difficilius autem eſt diu manere immobilem, quàm ſubito motu moueri ad aliquid arduum.

Vnde obſeruat Ariſtoteles c. 7. *audaces*, qui Fortitudinis modum excedunt, *præcipites eſſe, & promptos ante pericula, in ipſis autem deſiſtere : fortes contrà in operibus ſtrenuos, ante quietos.* Non autem fortis, cum ſuſtinet, nihil agit : ſed corpore patiente, exercet actus præſtantiſſimos, *animæ fortiſsimè inhærentis bono*, vt ait S. Thomas, & ſe conſideratione amoreque honeſtatis confirmat.

Finis fortitudinis ob ea, quæ circumſtant, parum iucundus.

IV. *Sed finis fortitudinis iucundus videri poteſt, etſi propter ea, quæ circa illum ſunt, minus appareat; vt in ludis Gymnicis. Nam pugilibus quidem finis iucundus eſt, propter quem certant, vt corona & honores: cædi autem, cum carnei ſint, acerbum eſt, & omnis labor moleſtus. Quæ quoniam multa ſunt, finis autem exiguum quid, nihil is iucundi habere videtur. Si itaque idem circa fortitudinem euenit, mors quidem & vulnera, acerba forti etiam nolenti erunt. Attamen ea ſuſtinebit, quia honeſtum, aut*

quia

Digitized by Google

quia non ſuſtinere turpe eſt, ait Ariſtoteles c. 9.

Non igitur omnium virtutum actiones iucundæ ſunt, niſi quatenus finis adiungitur, vt paulò poſt concludit. Decus enim virtutis & amor honeſtatis, quam pro fine habet fortitudo, delectationem aliquam afferunt animo forti: quâ captus, actiones fortitudinis ob corporis dolores & vitæ iacturam, admodum arduas & parum iucundas, conſtanter exequitur. Quia verò ea delectatio dolorum acerbitate & vitæ dulcedine, vehementer obſcurari, & minui ſolet, vt illam vix tenuiter ratio ac voluntas, ſenſus autem & appetitus nequaquam percipiant: ideo rectè cenſuit Ariſtoteles, fortitudinis actiones non eſſe iucundas, eumq; *qui grauia perferens gaudet, aut non triſtatur, fortem eſſe, qui verò triſtatur, ignauum*, vt ait lib. 2. Ethicor. cap. 3.

Cum enim paucorum ſit tanta virtus, quæ inter magna & acerba mala exultet, eos quoque fortibus meritò accenſuit; qui rigidum rectæ rationis Imperium ſecuti, non tam gaudent de malis, quæ perferunt, quam non triſtantur. At qui deliberatâ voluntate dolent, ſibi dolendum

Fortes ſunt, qui de malis ſaltem non triſtantur.

eſſe, aut de vitâ periclitandum, nec virtutem, nec laudem fortitudinis habent: nemo enim inuitus bonus eſt, aut bonum facit.

§. IV.

Vitia, aut quaſdam non veras virtutes Fortitudinis nomen inuadere; Politicam nimirum, Experientiam, Iram, Fiduciam, Ignorantiam.

HÆc itaq; eſt vera Fortitudo, ad quam *lumen vultus* diuini, quod *ſignatum eſt ſuper nos*, ducit omnes, qui tenebris vitiorum, naturalem vim intelligendi obſcuratam non habent. Intellexit eam Ariſtoteles & egregiè explicauit; ſed vidit ſimul vitia in confinio ſita, aut certè virtutes non veras, quæ fortitudinis nomen & famam paſſim inuadunt, eiuſque obtentu orbi illudunt. Earum quinque hæc genera tradit, 3. Ethic. cap. 8.

Fortitudo Politica quæ.

I. Primam vocat *Politicam*, quâ ciues propter *pœnas legibus ſtatutas & probra ac honores*, quæuis pericula ſubeunt. Eandem tribuit ſubditis, *quibus ab imperantibus vis infertur*, vt ardua ſuſcipiant, veluti cum in primâ acie, aut ante foſſas & valla, aut in illis pugnare compelluntur. Præfert verò priorem, tanquam veræ Fortitudini

dini magis ſimilem : ducitur enim *rei hone-ſta deſiderio, honoris inquam, ac fugâ pro-bri, ſeu pudore*; non neceſſitate ac metu, vti poſterior.

Vocat autem Fortitudinem *Politicam*, non quod eam doceat vera Politica, cui vera virtus, non falſa eſt propoſita; ſed quia ad eam à verâ Fortitudine plerique declinant, qui Politicam vitam ſectari, & Politici eſſe videntur. Quâ ratione 1. Ethic. c. 5. dicit eos, qui res gerunt, *hono-rem ſpectare & vita Politica hunc ferè finẽ præfigere*, quos tum ibi, tum paſſim in Ethicis, ac Politicis refellit. *Cur eam ità appellat Ariſtoteles.*

II. *Experientia quoque in rebus ſingu-lis, aliquam fortitudinis ſpeciem habet*. Ob hanc alij in alijs rebus, in bellicis milites fortes putantur; cum enim armorum ex-ercitatione & decertandi peritià valeant, inexercitatis ac inermibus fortes appa-rent. Quos timidos & frequenter igna-uos eſſe pericula demonſtrant, quibus in-ualeſcentibus fugiunt, *mortem magis, quã dedecus pertimeſcentes. Fortis verò non eſt eiuſmodi*, ait Ariſtoteles. *Experien-tia fortitu-dinis ſpe-ciem habet.*

III. *Iram itidem ad Fortitudinem refe-runt; fortes enim etiam ij videntur qui ex-ardeſcunt, vt feræ in vulnerantes, &c. Ad-* *Nec Vis, nec Cupiditas fortitudo eſt.*

ulteri quoque ob libidinem multa audacter perpetrant. Sed non ſunt fortia, quæ dolore, aut irâ, aut voluptate impellente, cum periculo ſuſcipiuntur; non enim, qui talia agunt, honeſti ſtudio, neque ratione, ſed perturbatione ducuntur. Conſentit cum Ariſtotele & veritate Cicero lib. 1. de Offic. *Ea*, inquit, *animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi iuſtitiâ vacat, pugnatq́ non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt. Itaque probè definitur à Stoicis fortitudo, cum eam virtutem eſſe dicunt, propugnantem pro æquitate.* Et paulò poſt. *Præclarum igitur Platonis illud: Non ſolum inquit, ſcientia, quæ eſt remota à iuſtitiâ, calliditas potius quàm ſapientia eſt appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, ſi ſuâ cupiditate, non vtilitate communi impellitur, audacia potius nomen habet, quàm fortitudinis.*

Fiducia temeraria eſt.

IV. Fiducia præterea, ſeu bona ſpes, ex pluribus varijſq; proſperis ſucceſſibus concepta, quia audaces ad quæuis aggredienda reddit, Fortitudinis ſimilitudinem gerit. *Sed tale quid & ebrij faciunt, bene enim ſperare ſolent: at cum non eueniunt ſperata, terga vertunt*, ait Ariſtoteles. Sic

iſti

iſti cum ſpe ſuâ falluntur, animo mox concidunt, & ſe non fortes, ſed temerarios & audaces eſſe oſtendunt.

Vti & ignorantia.

V. Denique fortes etiam ij putantur, qui ardua & periculoſa aggrediuntur, quæ talia eſſe ignorant, & leuia ac tuta putant. Bene ſperantibus ſimiles, niſi quod temeritate illos vincunt. *Quare aliquantulum perſiſtunt, decepti vero vbi vident rem aliter habere, atq; ſuſpicati erant, fugiunt, quales præcipuè ſunt* iuuenes, rerum & periculorum inexperti. Atque hi omnes Fortitudinis nomen & præconium, immeritò accipiunt, vel vſurpant.

§. V.

Chriſtianam fortitudinem eſſe maximam ob immenſum gloriæ pondus, finis & præmii loco propoſitum, præcepta item, & exempla fortiſſima.

COmprehensâ fortitudinis naturâ, & temeritate atque audaciâ ab eius nomine & laude excluſis, ſtatim eluceſcit, eam Chriſtianæ Religioni non ſolùm congruere, ſed maximè propriam, & ſine illâ imbellem eſſe. Cum enim Finis & præmium, ſit fortitudinis neruus, quo ſe animus aduerſus quæuis mala immotum te-

net, conſtet autem veræ Religionis finem, eſſe veram æternamque beatitudinem, quam ipſam pro præmio fortiter certantibus Deus propoſuit: ſequitur Chriſtianæ fortitudinis finem feliciſſimum & præmium maximum certiſſimumque eſſe, vt adeò profanæ fortitudini Ethnicorum ſine comparatione antecellat.

Finis & præmium Christianorum æterna Beatitudo.

Nam illi de alterâ poſt mortem vitâ, aut nihil aut fabulas credebant, nec æternam beatitudinem ſperare poterant: cuius ſpem falſi Dij aut non faciebant, aut eius potiundæ auxilia nulla præbebant. Honeſtatis autem vis naturalis, difficultatibus & acerbitatibus circumſepta, apud paucos tam valida fuit, vt ſola animum in officio retineret. Immoderata gloriæ, imperij, & vindictæ cupiditas; ferox virium fiducia & inconſulta temeritas, illos irritabant, vt in periculis rebuſque arduis audaces, pertinaces, & feroces eſſent, fortes autem haberentur, non eſſent.

Ethnicis ignota.

At verò Chriſtiana Religio *æternum gloriæ pondus* habet, quo *leues & momentaneas tribulationes* compenſet, 1. Cor. 4. v. 17. oſtendit *non eſſe condignas paßiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur*

Aeternum gloriæ pondus.

labitur in nobis. Rom. 8. v. 18. Hunc finem, hoc præmium, etſi denſo agmine circumſtent *tribulatio, anguſtia, fames, nuditas, periculum, perſecutio, gladius*, mille ſupplicia & mortes innumeræ: anhelat tamen ad bonum ſuum in his malis Chriſtianus animus, & nihil durum vel nimis arduum putat, quod perducit ad coronam, quam imponit Deus diligentibus ſe.

Cui ſi comparari non poſſunt Ethnicorum coronæ, laureæ, triumphi, ouationes, plauſus, laudes, & totus inanis gloriæ apparatus: neceſſe eſt fortitudine illorũ, tanto eſſe potiorem fortitudinem Chriſtianorum, quanto ſolida inanibus, æterna breuibus, diuina humanis, cæleſtia terrenis, modica immenſis antiſtant. *Ethnici non habent, quod illi comparent.*

Sed fortia quoque & dura ſunt Chriſtianorum præcepta: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. v. 12. Nihil in totâ Chriſtianâ diſciplinâ molle eſt, nihil effæminatum; dura ſunt illius imperia, quibus implendis robuſto animo opus eſt. Nemo fortitudini duriores leges ſanxit, quam Chriſtus; eorum igitur ſumma fortitudo eſt, quorum facta, ſi legibus ſuis congruant, ſunt fortiſſima.

Prœ-

Digitized by Google

Accedunt exempla.

Præmijs & præceptis Chriſtianæ fortitudinis, exempla accedunt, quibus nec numero, nec dignitate ea, quæ de Ethnicis celebrantur, ſunt paria. Paucis perſonis ſcena profanæ fortitudinis peragitur; poſt Brutum, Camillum, Regulum, Mutium, Scæuolam, Fabritium, Fabios, Scipiones, Catones alioſque quoſdam, non habent Romani, quos magnopere producant. Quot illi, alijque gentiles viros fortes guttatim numerant, tot fortium Chriſtianorum myriades & Chyliades, ex omni ſexu, ætate, conditione agminatim adnumerabimus. Nulli faſti noſtros capiunt Martyres, qui pro verâ fide mortem fortiſſimè obierunt, Neque magnus Metonis annus ſufficeret, ſi ſingulis ſinguli dies ſacri eſſent. Vt illos taceam, itidem innumeros, qui ſiccâ licet morte defuncti, fortiſſimis tamen factis, & perpetuo inuicti animi tenore, cælum meruerunt.

§. VI.

Chriſtianâ Fortitudine non ſolùm cælum & ſalutem, ſed Imperia quoque obtineri, ac ſtabiliri; bellicâ Fortitudine Ethnicos à Chriſtianis ſuperari; neque eſſe his aptiores Reipublicæ defenſores & moderatores, ſi leges Chriſti ſeruent.

Sed

SEd aiunt Pſeudopolitici hâc quidem Fortitudine cælum & ſalutem, non autem Principatus & Reſpublicas obtineri & ſtabiliri; in his fortiores videri Ethnicos, quam Chriſtianos. Atqui hoc ipſum eſt, quod hactenus operosè demonſtrauimus, non certius neque fortius Imperia ſtabiliri, quam verâ religione; & cum ad eum finem tota gubernandi ratio refertur, qui vltimus & ſupremus eſſe debet omnium Chriſtianorum, in vitâ ſeu priuatâ, ſeu publicâ. Contra non eſſe felices eos Principatus, qui primam imperandi regulam, ex Dei præceptis & virtute non deſumunt; ruinam enim & Dei vindictam illis citiùs, vel ſeriùs imminere.

Certè S. Paulus, Hebr. 11. multos bellicâ fortitudine inſignes, & cuiuis Ethnicorum pares, imò ſuperiores, enumerat, Ioſue, Gedeon, Barac, Sampſon, Iephte Dauid. Neque minus in nouâ quàm veteri lege, vera Religio felicium fortiſſimorumque Principum ferax fuit. Conſtantinus Magnus, Theodoſius Magnus, Heraclius, Iuſtinianus, Carolus Magnus, Henricus Sanctus, alijque tum ſuperiorum ſeculorum, tum noſtræ etiam ætatis Principes,

Im-

Imperij & victoriarum gloriâ, Ethnicorum exempla ſuperant.

Romani exercitus olim referti Chriſtianis.

Quin adeò Chriſtiana fortitudo bellis non aduerſatur, vt Romanos exercitus ſub Ethnicis Imperatoribus refertos fuiſſe Chriſtianis militibus affirmet Tertullianus, Apologetici, cap. 37. & iuramentum ab eis præſtari ſolitum, recitet Vegetius lib. 2. de re militari. *Iurant* ait, *per Deum, Chriſtum & Spiritum S. & per maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundùm Deum, generi humano diligenda eſt & colenda.* Et paulò poſt: *iurant autem milites omnia ſtrenuè ſe facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Romanâ Republicâ.*

Quæ militia Chriſtianis legibus repugnet.

Poteſt pugnari pro terrâ, vt non amittatur cœlum; in quo præcipuum ſtipendium milites verè Chriſtiani, ſe accepturos & olim ſperârunt, & iam ſperant. Ea militia Chriſtianis legibus repugnat, cuius iniuſta cauſſa Deum hoſtem habet, aut facit; & tum faciendum non eſt, quod præcipit Imperator, quando iubet ea, quæ vetat Deus. Obſeruârunt id olim Sancti milites, Sebaſtianus, Mauritius, Victor, Achatius, aliíque innumeri, quorum integras legiones & multas myriades veneramur.

ramur. Cum ad Deorum cultum & Chriſtianam fidem deſerendam inuitabantur, ipſi vitam deſerere, quam religionem maluerunt.

Non ſunt aptiores nec fortiores Reipublicæ legitimæ defenſores, quam Chriſtiani, ſi nomen ſuum impleant. Animos fortes efficit repoſitum in cælo ſtipendiū, quod cum intuentur oculis non conniuentibus, terrenæ mercedis & gloriæ appendicem, contemnere poſſunt. Etſi vel hinc apparet, quanto maior ſit fortitudo Chriſtianorum, quam Ethnicorum, quia quidquid in terris iſti ſperabant, & illi ſperant, feliciuſq; obtinent; Chriſtianis inſuper cœlum patet, Ethnicis clauſum, quod ceſſantibus licet humanis ſolatijs, quæuis mala, ſpe immenſi boni reddit tolerabilia.

Chriſtiani milites fortiſſimi.

Fidem deinde, ſanctius colere, nulla Religio docet, quàm Chriſtiana. Non habet Princeps, cur proditionem & rebellionem metuat à Chriſtianis ſubditis & militibus, ſi Chriſto fidem ſeruent, & legibus illius viuant. Diſciplina Chriſtiana quâuis militari ſeuerior eſt, & maximè incorrupta; hæc ſi in caſtris vigeret, pro veteri conuitio, in militum laudes diceremus; *vera fi-*

des

des pietaſque viris , qui caſtra ſequuntur.

Precibus vim cælo faciunt.

Habent denique Chriſtiani preces, quibus vim cœlo faciant, & hoſtes ſternant, licet viribus ſuperiores. Egit hoc Legio Melitina, è Chriſtianis conflata, qui Imperatori M. Aurelio aduerſus Germanos & Sarmatas pugnanti, cum exercitus ſiti confectus eſſet, Romanis pluuias in potum, hoſtibus fulmina in vindictam, flexis genibus à Deo exorârunt; vnde *Legio fulminatrix* dicta eſt, teſte Euſebio lib. 5. cap. 5.

Maxima ergo ex Religionis Chriſtianæ inſtituto, eſt Chriſtianorum fortitudo, cui prœmium propoſitum eſt immenſæ beatitudinis, & humanæ præterea mercedis auctarium. Cuius fides eſt ſanctiſſima, diſciplina ſeueriſſima, & vt vires deſint, illas impetrare poteſt oratio. Vt adeò veriſſimè dixerit S. Aug. ep. 5. aduerſus Ethnicos Religionem Chriſtianam, veluti Imperio & Reipublicæ noxiam calumniantes:

Doctrina Chriſti ſalus Reipublica.

Qui doctrinam Chriſti aduerſam dicunt eſſe Reipublica, dent exercitũ talem, quales doctrina Chriſti eſſe milites iußit, dent tales filios, tales dominos, tales ſeruos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum redditores, & exactores ipſius fiſci, quales eſſe

præ-

præcepit doctrina Chriſtiana. & audeant eam dicere aduerſam eſſe Reipublicæ; imò verò non dubitent eam confiteri magnam, ſi obtemperetur, ſalutem eſſe Reipublicæ.

§. VII.

Mundi & honorum contemptu verè magnanimos effici; à Chriſtianis non contemni Rempublicam & Imperia, ſed illecebras adiunctas; neque deſeri ab iis, qui in his Deo vocante, operæpretium facere poſſunt; æſtimari terrena, ſed non ſupra ſuum pretium.

VErum ea, quæ Macchiauellus inimicus crucis Chriſti, pro Ethnicis affert, refellamus.

I. Vt oſtendat ſe pro falſitate pugnare, veritatẽ Religioni Chriſtianæ obijcit, quæ contemnere honores, & pompam huius mundi docet. Sed contemptus hic magnanimos facit & oſtendit, quos Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 3. aſſerit *contemptores videri*, quia honor, & bona fortunæ, quæ honoris cauſsâ maximè appetuntur, illis paruum quid ſunt. Quod de Chriſtianis veriſſimè dicitur, his enim cum ſummum & infinitum in cœlo bonum ſit propoſitum, quidquid terra offert & confert, non niſi paruum & minimum videri poteſt. Ita *Magnanimi, honores contemptores.*

vt ſapienti fortíque animo neceſſarium ſit, minima præ & pro maximis, non autem ſub illis, ſuo ordine locata, contemnere.

Illud præcipitur Christianis omnibus, ne vniuerſi etiam mundi lucrum, cum animæ detrimento quærant, & vt malint debiles, cœci, claudi, inopes, exules, & priuati *ad vitam ingredi*, quam ſani & valentes, opulenti & honorati, potentes & dominantes *mitti in ignem æternum*. Hoc verò non præcipitur, vt honores, imperia, magiſtratus, legitimâ autoritate ſibi commiſſos, contemnant aut negligant, aut terras ſubditoſq; ſuos, hoſtium libidini indefenſos exponant.

Cur aliqui honores & imperia abdicent.

Qui ex Republicâ aut Imperio, ad religioſos ordines & clauſtra conuolant, non ex præcepto, ſed conſilio id faciunt. Neque ex contemptu poteſtatis, & gubernationis, quæ cum non ſit niſi à Deo, contemni non poteſt: ſed illecebrarum, quæ dignitatibus adiunctæ humanos animos facile faſcinant, & ſaluti periculum creant. Quod periculum vbi non ſubeſt, & publica neceſſitas vel vtilitas, operam imperantis poſtulat, qui eam præſtare poteſt, ſubtrahere non debet: ſed honores retinere ac tueri, ad honorem illius, qui Princi-

Digitized by Google

cipibus & magiſtratibus honorem & obſequium deferri præcepit.

Magni faciunt Chriſtiani iſta, ſed non maioris, quam ea, quæ ſunt maxima. Sciunt hæc ordinatæ à Deo poteſtatis eſſe vel ſolatia, ne laboribus ſuccumbat: vel præſidia, ne ingloria & inops, contemnatur aut excutiatur ab improbis, in quorũ vindictam præcipuè conſtituta eſt. Dona Dei ſunt, & pietatis probitatiſque ſæpe præmia, Imperij gloria, potentia, victoria de hoſtibus, aliaque ſimilia, vt ſacræ literæ & hiſtoriæ docent. *Chriſtiani iſta ſuo pretio æſtimant.*

§. VIII.

Delicatam mollitiem à Macchiauello, Chriſtianis ſacris ſcelerate obiici; contineri iis omnes fortitudinis ſtimulos, & vim impetrandi felices ſucceſſus.

II. QVod ſacris Chriſtianis *delicatam mollitiem*, blaſphemo conuitio exprobrat, contrà verò *Ethnicorum ſacrificijs horrendam magnificentiam & ob multorum animalium cædes, terribilem aſpectum hominibus efferandis idoneum* tribuit, ſtolidæ impietatis argumentum eſt. Si enim animalium laniena fortitudinem acuit, laniones in macellis & carnifices in *Stolida Macchiauelli impietas.*

reorum ſupplicijs fortiſſimi erunt, quos vtroſque inter abiectiſſimæ ſortis homines numeramus. Belluæ efferantur ſanguine; humani animi generoſitas virtutis honeſtate, gloriâ, præmijs ad ardua incitatur; neque tam ſanguinem alienum ſitit, quàm ſuum prodigit.

Sacrificij Chriſtiani dignitas.

Sed quid delicatum aut molle eſt in Sacrificio Chriſtianorum? Decentiſſima cerimoniarum, veſtium, vaſorum, miniſtrorum dignitas, & ſolennium ſacrorum Maieſtas, venerationem inducit, non mollitiem. Recitantur ex ſacris Euangelijs, Apoſtolorum epiſtolis, veteriſque Teſtamenti libris, fortiſſima ſeueriſſimáque virtutis & religionis præcepta. *Surſum corda habere* inuitamur, vt à voluptatum mollibus blandimentis auulſa, eò aſpirent, quo Chriſtus fuſo ſanguine viam præmonſtrauit, & aditum patefecit.

Eius ſumma.

Neque alia eſt ſanctiſſimi ſacrificij ſumma, quàm repræſentatio diuinæ illius caritatis & fortitudinis, quâ in cruce inter acerbiſſimos dolores, filius Dei ſe pro nobis Patri victimam obtulit, & non minus tum exemplo, quam antea verbo fortes eſſe docuit.

Dies feſti.

Accedunt martyrum feſti dies, in quorum

rum memoriam toties rubent altaria, & fortitudinis Chriſtianæ nos admonent, vt *imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Suos quoque ſtimulos habent illorum exempla, quorum incruenta quidem, ſed vitiorum victorijs & virtutum triumphis inclyta memoria, in ſacris itidem proponitur. Compendio dicam, omnes fortitudinis ſtimulos habet Miſſæ ſacrificium, exempla Sanctorum, præcepta virtutum, fortis animi pretium ac præmium, Chriſtum inquam eiuſque ſanguinem: quo *paſſo in carne, & nos eâdem cogitatione armari* jubet S. Petrus 1. ep. 4. v. 1. vt fortia faciamus & patiamur, pro ſalute æternâ, & terreni quoque Imperij incolumitate, quoad jura diuina ac humana id poſtulant, & permittunt.

Addo peculiarem diuinæ huius victimæ in victorijs impetrandis, & Imperijs principibuſque proſperandis efficaciam, non paucis hiſtorijs & communi Chriſtianorum ſenſu conteſtatam. Vt adeo Macchiauellus à Chriſtianis oculis & auribus remoueri debeat, qui hoc ſacrificium, quod *honorificentiã populi Chriſtiani, & gloriam fortitudinis noſtræ* meritò eſſe credimus, *Diuina victima efficax ad victoriam.*

calumniari, & ſacrilegis Ethnicorum lanienis poſtponere auſus eſt.

§. IX.

Pulchrè inter ſe conuenire humilitati, & magnanimitati; ſuperbos à Deo proſterni; felicitatem Principum Chriſtianorum in humili, iuſto, miſericordi, pio Imperio ſitam eſſe; eiuſmodi Principes quibuſuis præferri; eorum præmium in cælo eſſe maximum; humilitatem ſummum bonum falsò dici.

III. OBijcit, ex *noſtra religionis inſtitutione beatiores putari humiles, & qui rerum diuinarum contemplationi dediti ſunt, quam qui res magnas geſſerunt. Summum præterea bonum ſtatui in humilitate, & contemptu rerum huius mundi. Ethnicos omnia ſe contrario modo habere, credidiſſe.* Quæ verba arguunt humilitatis Chriſtianæ hoſtem impium, cuius peſtilentes nebulæ, veritatis luce diſpelli debent.

Non aduerſantur res magnæ humilitati, quæ ſine illâ in oculis Dei & verè ſapientum, magnæ eſſe non poſſunt. Non enim ſolidè magnum eſt, quod inflatum eſt: inflatum autem eſt, quidquid ſuperbiâ diſtenditur, nec in humilitate fundatur. *Humilitas reprimit appetitum, ne tendat in*

magna

magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit, ſecundum rationem rectam. Vnde patet, quod magnanimitas non opponitur humilitati, ſed conueniunt in hoc, quod vtraque eſt ſecundum rationem rectam, ait S. Thomas q. 161. a. 1. ad 3.

Non ergo beatiores putamus eſſe humiles quàm eos, qui res magnas geſſerunt, ſed eoſdem. Neque credimus res magnas ſeu priuatim, ſeu publicè geſtas eſſe niſi ab humilibus, aut certè non à ſuperbis, quos ipſi quoque Ethnici contemnebant & oderant. Quas Macchiauellus res magnas arbitratur, imperia, regna, bella, victoriæ, populorum, vrbium expugnationes, aliáque huius generis, magna ſcelera & latrocinia ſunt, niſi animo moderato, ſecundum regulam virtutis & iuſtitiæ ſuſcipiantur. Virtus menſura eſt magnanimitatis; *ac propterea difficile eſt eſſe verè magnanimũ, neq; enim id ſine inſigni probitate contingere poteſt*, ait Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 3.

Humiles res magnas gerunt.

Quam autem humilitati bene conueniat cum magnanimitate, patet, ex vtriuſque officio in rebus magnis gerendis. Illa *enim refrenat animum, ne immoderatè ten-*

Humilitati & magnanimitati bene conuenit.

dat in excelſa, iſta firmat contra deſperationem, & impellit ipſum ad proſecutionem magnorum, ſecundum rationem rectam, vt explicat S. Thom. l. c. a. 1. c. Humilitas oſtendit Imperium, gloriam, vires eſſe à Deo, illudque S. Pauli Principi inſuſurrat: *Quid autem habes, quod non accepiſti. Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1. Cor. 4. v. 7.

Principes ſuperbos Deus deſtruit.

A ſuperbiâ deinde reuocat. *Sedes enim ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus. Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vſq; ad fundamentum; areſecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terrâ. Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu.* Eccleſiaſtici 10. v. 17. 18. 19. 20. 21. Concinit in Cantico ſuo Regina cælorum: *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Luc. 2. v. 51. & 52. Ecce deſtruxit Deus ſedes ſuperborum Ethnicorum, areſecit radices tumidæ fortitudinis, & plantauit humilitatem Chriſtianam ex illis. Hanc amplectantur Princi-

Principes & Magiſtratus, ſi exaltari ſine periculo volunt, & deponi de ſede nolunt.

Non igitur Ethnicorum religio reddebat homines beatos gloriâ & laude virtutis, qui & virtute verâ carebant, & multis vitijs gloriam ſuam contaminabant. Neque de rebus bene feliciterque in bello, aut pace geſtis, ſolidè laudari poſſunt, quorum virtutes ſuperbia & jactantia corrupit: felicitas verò intra breuis vitæ fugacia bona ſtetit, verè infelix, quia diuinam vindictam grauibus peccatis promeruit. *Ethnici ſolidè laudari non poſſunt.*

Nos cum S. Auguſt. l. 5. de ciu. c. 24. Principes & Magiſtratus Chriſtianos felices dicimus, *ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortem, ſi tardius vindicant, facilè ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceßitate regenda tuendaq́ Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exerunt: ſi eandem* *Qui Principes verè felices.*

dem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè coguntur plerumq; decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria tanto eſt eis caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuſlibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter caritatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium, Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores, Principes, Magiſtratus *dicimus eſſe felices: interim ſpe, poſtea re ipsâ futuros, cum id, quod expectamus, aduenerit.*

Eiuſmodi Principes religioſis præferendi.

Tales quibuſuis, qui inter clauſtra ſibi, & Deo, ſacræque contemplationi vacant, aut alijs etiam iuuandis piam operam nauant, non ſolùm comparamus, verum etiam præponimus: quia virtus illorum maior, & fructus vberior, & merces in cœlo eſt copioſior. Vt enim *iudicium duriſſimum his, qui* malè *præſunt fiet, & potentes* potentiâ abuſi, *potenter tormenta patientur,* ita *qui bene præſunt duplici honore* apud homines, & multiplici apud Deum prœmio digni iudicantur. Ideoque non

incon-

incongruè prœmium Regum & Principum, tenere ſupremum gradum in beatitudine cœleſti, probat autor opuſculi de Regimine Principum, lib. 2. cap. 9.

Ex quibus palàm eſt, nihil gloriæ & felicitatis in Chriſtianâ Religione Principibus detrahi, ſed vtramque in hâc vitâ effici auctiorem, quam Ethnicorum erat: in alterâ autem immenſum æternæ gloriæ, & felicitatis pondus addi; quarum illa nullum dedecus, iſta nullum infortunium metuit, & neutra Ethnicis contigit.

Humilitas nõ eſt ſummum bonũ Chriſtianorum.

Sed is quoque Macchiauelli error diſſimulari non debet, quod à Religione Chriſtianâ, ſummum bonum in humilitate, & contemptu rerum huius mundi conſtitui fabulatur. Siue enim de huius, ſiue de alterius vitæ felicitate ſermo ſit, prior in Fide, Spe, Caritate, poſterior in ipſo Deo, eiuſq; beatâ viſione ac fruitione conſiſtit. Humilitas fundamentum eſt virtutum Chriſtianarum, quibus Caritas, ſeu dilectio Dei & proximi tectum imponit. *Finis enim præcepti eſt caritas*, 1. Timoth. 5. v. 5. & *plenitudo legis eſt dilectio*. Rom. 13. v. 10. Non eſt ergo humilitas ſummum bonum, in hâc vitâ, quia non eſt ſumma virtus. Nec in alterâ; quia ibi bonum noſtrum ſummum,

mum, & vnicum Deus eſt, ad quem ducit humilitas.

§. X.

Præcepta de tolerandis iniuriis non aduerſari Reipublicæ; pertinere magis ad præparationem animi; Vindictam legitimam non prohiberi, ſed odium & maleuolentiam.

IV. Alt ex inſtitutione Religionis Chriſtianæ *pleroſque mortalium ſpe vitæ beatæ, cogitare potius de tolerandis iniurÿs, quàm de ÿſdem vindicandis.* Optandum eſſet verè hoc Macchiauellum pronuntiâſſe; contrarium in moribus noſtris cernitur; atrociùs & frequentiùs Chriſtiani in vindicandis injurijs inſanirent, quàm Ethnici feciſſe legantur. Sed vt noſtri ſe mores habeant, idem quod Macchiauellus, jam olim Ethnici Chriſtianis præceptis obiecerunt, teſte & vindice S. Aug. ep. 5. ad Marcellinum.

Eadem Ethnicorum & Macchiauelli argumenta.

Adiecisti enim ait, *eos dicere, quod Chriſti prædicatio atq; doctrina, Reipublicæ nullâ ex parte conueniat, cuius hoc conſtet eſſe præceptum,* vt nulli malum pro malo reddere *debeamus, &* percutienti aliam præbere maxillam, & pallium dare ei, qui tunicam auferre

auferre perſtiterit, & cum eo qui nos angariare voluerit, ire debere ſpatio itineris duplicato. *Quæ omnia Reipublicæ moribus aſſeruntur eſſe contraria. Nam quis inquiunt, tolli ſibi ab hoſte aliquid patiatur, vel Romana prouinciæ deprædatoribus, non mala velit belli iure reponere?*

Hæc atque huiuſmodi verba obtrectantium, ſiue non obtrectando, ſed quærendo talia loquentium, operoſius fortaſſe refellerem, niſi hæ diſceptationes haberentur cum viris liberaliter inſtitutis. Vnde quid opus eſt, vt diutius laboremus, ac non ipſos potius percontemur, quomodo poterant gubernare atque augere Rempublicam, quam ex paruâ & inopi magnam opulentamq́; fecerunt, *qui acceptâ iniuriâ ignoſcere, quàm perſequi malebant? Quomodo Cæſari adminiſtratori vtique Reipublicæ Cicero dicebat: quod* nihil obliuiſci ſoleret, niſi iniurias? *Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed ſi laudator, talem Cæſarem nouerat; ſi autem adulator, talem eſſe debere oſtendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. Quid eſt autem non reddere malum pro malo, niſi abhorrere ab vlciſcendi libidine? Quid eſt ac-*

Romani ignoſcere, quàm perſequi malebant.

ceptâ

ceptâ iniuriâ, ignoſcere malle quàm perſequi, & nihil niſi iniurias obliuiſci?

Hæc cum in eorum leguntur autoribus, exclamatur & plauditur: deſcribi atque prædicari mores videntur, quibus dignum eſſet exurgere ciuitatem, quæ tot gentibus imperaret, quod acceptâ iniuriâ ignoſci, quàm perſequi malebat. Cum verò legitur præcipiente autoritate diuinâ, non reddendum malum pro malo, cum hæc iam ſalubris admonitio congregationibus populorum, tanquam publicis vtriuſq; ſexus, atque omnium ætatum & dignitatum ſcholis, de ſuperiori loco perſonat: accuſatur religio, tanquam inimica Reipublicæ. Quæ ſi vt dignum eſt audiretur, longè melius Romulo, Numâ, Bruto, cæteriſq; illis Romanæ gentis præclaris viris, conſtitueret, conſeruaret, firmaret, augeretq; Rempublicam, &c.

Cur id vituperetur in Chriſtianis?

Alioquin ſi verba attenderimus, eorumq; proprietati ſeruiendum putauerimus: non eſt præbenda maxilla dextera, ſi ſiniſtra fuerit percuſſa; Quoniam, ſi quis te *inquit* percuſſerit in maxillam dexteram, præbe illi & ſiniſtram, (Matth. 5. v. 39.) *magis autem ſiniſtra percutitur, quod ad dexteram ferientis facilior ictus eſt. Sed ſic intelligi ſolet, ac ſi dictum eſſet: ſi quis in te meliora fuerit*

Quo ſenſu maxilla dextera præbenda percutienti ſiniſtram?

rit perſecutus, & inferiora ei præbe, ne vindictæ potius quàm patientiæ ſtudens, contemnas æterna pro temporalibus: cum potius temporalia pro æternis contemnenda ſint, tanquam ſiniſtra pro dextris. Hæc ſemper fuit Sanctorum martyrum intentio.

Vindicta enim vltima iuſtè poſcitur, quando nullus iam reſtat correctionis locus, extremo ſcilicet ſummoq; iudicio. Nunc verò cauendum eſt, ne vindicandi cupiditate amittatur, vt nihil aliud dicam, ipſa patientia, quæ pluris eſt habenda, quàm omne, quod poteſt etiam inuito, inimicus auferre. Namq; alius Euangeliſta (Lucas 6. v. 29.) in eâdem ſententiâ nullam fecit dexteræ mentionem, ſed tantum maxillam alteram nominauit: vt aliquanto diſtinctius intelligeretur in altero, ipſum alterum ſimpliciter eandem patientiam commendare. Paratus itaque debet eſſe homo iuſtus & pius, patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos bonos fieri quærit: vt numerus potius creſcat bonorum, non vt pari malitiâ ſe quoque numero addat malorum. Vindicandi cupiditas cohibenda.

Deniq; iſta præcepta, magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt, pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit: vt teneatur in ſecreto animi patientia, cum beneuolentiâ, in manife- Hæc præcepta magis ad præparationem animi ſpectant.

manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus: hinc liquidò oſtenditur, quod ipſe Dominus IESVS exemplum ſingulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, reſpondit: Si malè dixi, exprobra de malo, ſi autem bene, quid me cædis? *Nequaquam igitur præceptum ſuum, ſi verba intueamur, impleuit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, ſed potius prohibuit, ne qui fecerat iniuriam, augeret: & tamen paratus venerat, non ſolùm in faciem percuti, verùm pro his quoque, à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi; pro quibus ait in cruce pendens:* Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. *Nec Paulus Apoſtolus præceptum Domini & Magiſtri ſui, videtur impleſſe, vbi etiam ipſe percuſſus in faciem, dixit principi ſacerdotum,* Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundùm legem, & contra legem jubes me percuti? Actor. 23. v. 3.

Exemplum Chriſti & S. Pauli.

Sunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda: ipſaq; beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda ſunt autem multa etiam cum inuitis, benignâ quâdam ſeueritate plectendis, quorum potius

Beneuolentia retinenda etiam in puniendo.

potius vtilitati conſulendum eſt, quàm voluntati, quod in principe ciuitatis luculentiſsimè illorum literæ laudauerunt.

Nam in corripiendo filio, quamlibet aſperè, nunquam profectò amor paternus amittitur; fit tamen, quod nolit & doleat, qui etiam inuitus videtur dolore ſanandus. Ac per hoc, ſi terrena iſta Reſpublica præcepta Chriſtiana cuſtodiat: & ipſa bella ſine beneuolentiâ non gerentur, vt ad pietatis iuſtitiæq́ pacatam Societatem victis facilius conſulatur; nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur.

Quibus verbis & argumentis magnificè S. Auguſtinus demonſtrat, Chriſtianæ manſuetudinis præcepta, non aduerſari tuendæ conſeruandæq; Reipublicæ, cum iniuriarum obliuionem & veniam ipſi etiam Romani laudauerint, eaq; ad concordiam, quâ Reipublicę ſalus continetur, plurimùm conferant. Neq; aliud à nobis exigitur, quàm vt vindicandi libidine patientiam, & æterna pro temporalibus non amittamus; ſed patientiâ in animi præparatione ſemper retentâ, ipſam quoq; vindictam non ad eius, qui nos læſit, malum, ſed correctionem, aut aliud bonum referamus.

Præcepta Chriſtiana non aduerſantur Reipublicæ.

§. XI.

Libertatem à Chriſtianâ religione non eſſe populis ademptam, cum liberos non inuenerit; à multis Chriſtianis retineri; non eſſe laudabilem, niſi legitimam.

V. EDucationi deniq; Chriſtianæ Macchiauellus adſcribit, *ut ſi per uniuerſum orbem ætate noſtrâ percurras, neutiquam tot populos liberos, tot liberas Reſpublicas, ut olim erant, inuenire queas: nec homines libertatis amatores, atque eiuſdem acres defenſores.*

Quâ in re manifeſtè, impij hominis in Religionem Chriſtianam animus, felle & veneno ebulliens elucet. Cum enim veriſſimam huius rei cauſſam poſtea ſubiungat, *Romani Imperij magnitudinem, quod per vniuerſum orbem liberas Reſpublicas ſub ſuum iugum ſubiecit*: falsò & nequiter hanc calumniam, fortiſſimæ ſanctiſſimæq; Religioni imponit. Romani pluribus ante Chriſtum ſeculis, libertatem liberis per Europam populis eripuerunt, eóſque poſtea quoque tum Ethnici, tum Chriſtiani Cæſares, dominationi ſuæ ſubiectos retinuerunt. Non igitur Religio Chriſtiana, ſeruos aut ſubditos fecit, quos liberos non inuenit; neque illa Rebuſpublicis liberis,

Religio Chriſtiana populos liberos non inuenit.

beris aduerſatur, quæ nulli Politiæ, niſi vitioſæ repugnat.

Argumento ſunt liberi populi, & vrbes, quæ hodieque cum Chriſtianâ fide libertatem retinent, acreſque ſunt illius defenſores; quam ſine veræ Religionis iniuriâ ſibi pepererunt, aut recuperârunt, vt Heluetij, ſæpiùs, nec immeritò laudati à Macchiauello. Omitto atrocia bella pro libertate inter Chriſtianos, ipſoſque adeo Italos geſta, quæ ciuis Florentinus ignorare non potuit.

Sed & illud addo: Libertatem, niſi juſtam & legitimam, nec laudandam, nec optandam eſſe. Qui legitimo Principi parent, eius Imperium excutere ſine injuriâ & perduellionis crimine non poſſunt. Sed Machiauellus more ſuo, impietatis & iniquitatis claſſicum canit, libertatem quaſi fortitudinis propriam extollendo: cum fortes viri in omni Politiâ reperiant, quod fortiter agant; neque minus Regna & Ariſtocratiæ, quàm Reſpublicæ ſuum fortitudini theatrum aperiant, fortiaq; exempla edant, & commemorent.

Libertas non optanda, niſi iuſta.

§. XII.

Orbem Chriſtianum non Chriſtianæ Religionis obſeruantiâ, ſed neglectu & violatione imbellem fieri; iniuſta bella & imperia eſſe ſupplicia peccatorum.

REpulſis igitur vanis Macchiauelli telis, eiuſque impijs argumentis eliſis, concludo, hâc Religionis Chriſtianæ inſtitutione, explicatione, educatione, orbem Chriſtianum imbellem factum non eſſe; ſed ſi eam obſeruet, inexpugnabilem aduerſus quoſuis hoſtes & Tyrannos inuictum fore, fuiſſeq; antehac, quatenus eam obſeruauit. Si imbellis aliquâ parte eſt, aut fuit, inſtitutio & educatio Chriſti præceptis contraria talem facit, aut fecit. Non libet & vacat, excurrere ad corruptelas diſciplinæ Chriſtianæ explicandas. Sunt expoſitę oculis ſapientum & piorum, qui calidis lacrymis illas deplorant, & frequentibus ſuſpirijs remedium è cœlo poſtulant.

Chriſtiana diſciplina neglectus, nos imbelles facit.

Luxus, libido, otium, mollities, crapula, vitiorum licentia, bonarum literarum neglectus, diuini cultus incuria, hominum ſacrorum & Eccleſiaſticæ poteſtatis contemptus, pauperum oppreſſio, auri ſacra fames, iuſtitia venalis, ſuperbia denique

Deo

Digitized by Google

Deo & hominibus odibilis. Hæc inquam Chriſtianos animos eneruant, & nos imbelles faciunt, vt ſceleratis ac perfidis hominibus, & hoſtibus quibuſuis certa præda eſſe ſoleamus, quia hoſtem habemus Deum.

Aduerſus cuius ſanctiſſima præcepta, quia hæc quæ dixi aliáque innumera, indulgent liberis parentes, diſcipulis præceptores, ciuibus magiſtratus, ſubditis Principes, & religionis antiſtites; quia à puero iſta diſcimus exemplis domeſticis, & roboramus externis; & nullâ, aut languidâ morum cenſurâ, à vitijs tum publicè, tum priuatim coercemur, inde mollis animus in ſcelera defluit, & diffluit.

Macchiauellus veris cauſſis mala non adſcribit.

Non latebat hęc viuendi ratio Chriſtianæ diſciplinæ tam aduerſa, Macchiauellum, qui ex peruerſis hominum, vtique Chriſtianorum, inter quos vixit & ſcripſit, moribus, peruerſa Pſeudopolitiæ fundamenta deſumpſit, vti ſuprà oſtenſum eſt. Ideóque tanto ſceleratior haberi debet, quod in tam immenſo vitiorum ſcelerumque cumulo, calamitates publicas, Tyrannides, bella, vaſtitates, innocentiſſimæ religionis inſtitutioni aſſignat, nō cauſſis veris, quæ tales Dominos ac hoſtes merētur.

§. XIII.

Eſſe hanc veram Chriſtianæ Religionis interpretationem, quam ex veritatis intuitu nos diſcere, ipſe affirmat Macchiauellus.

HÆc cum Macchiauellus in contumeliam Chriſtiani nominis natus, non ignoraret à veris pijſque Chriſtianis credi & prædicari; non auſus eſt ſine aliquo nequitiæ ſeu pallio, ſeu tectorio Religionem noſtram, tanquam Reipublicæ aduerſam apertè criminari. Sed culpam in interpretes aliquos coniecit, *homines nimirum abiectos, quibus otium potius, quā virtus cordi fuit; quoſq; religionem ità interpretatos eſſe ſignificat, tanquam ſi oporteat cælum ſine armis vllis, ſolo otio comparare; & Religioni Chriſtianæ aduerſetur patriæ defenſio, imperijq; per legitimum modum auctio; nec permiſſum ſit patriam amare, in honore habere, & ad illius defenſionem ſe præparare.* Verum hæc offuciæ & fraudes ſunt meræ, Pſeudopoliticæ improbitati colorandæ excogitatæ.

Fraudes meræ.

Ex honorum & rerum huius mundi contemptu, humilitate & iniuriarū tolerantiâ, quam *nos diſcere* ait, *quod ex Religione noſtrâ* VERITATEM *rerum intueamur, diuerſitatem Religionis noſtræ & Ethnico-*

nicorum æſtimat; atque hinc *maiori ex parte cauſſam pendere* putat, *ob quam ijdem illi Ethnici fortiores viri erant, quàm noſtri.*

Veritas ergo, eiuſq; intuitus à Macchiauello culpatur. Non poſſumus falsâ interpretatione decipi, quos veritas docet honores & mundi pompam contemnere, humiles eſſe, injurias tolerare. Falsò in interpretes culpam conijcit, qui doctrinæ huius magiſtram facit veritatem; cui grauiſſimam iniuriam Macchiauellus intulit, cum ea, quæ ex illius intuitu nos diſcere fatetur, Reipublicæ & Fortitudini aduerſari ſtatuit. *Veritas à Macchiauello culpatur.*

Non eſt veritas virtuti, neque veris Reipublicæ commodis contraria. Quæ cælum, rerum cæleſtium æternitatem, terrenarum breuitatem, juſtitiæ & Religionis præcepta, ſupremi judicis formidabile tribunal oſtendens: principum & ſubditorum animos, ab immoderato Imperij & vitæ amore, vitiorumque diuerticulis, ad virtutis ſemitam reducit, & per eam deducit ad ſalutem; tantoque meliores & fortiores efficit Reipublicæ terrenæ adminiſtros & defenſores, quanto minus patitur, ne terram cælo anteponant. *Non eſt Reipublicæ contraria.*

Digitized by Google

§. XIV.

Bella, iudicia, magiſtratus, non niſi ex hæreticorum ſententiâ, Chriſtianis prohibita eſſe; Macchiauellum prætextu interpretum, ipſi Religioni iniurium, & blaſphemum in eam fuiſſe.

SEd ad interpretes abiectos redeo, quibus ineptam educationem falſamque Religionis interpretationem Macchiauellus tribuit. Ego verò in Eccleſiâ Catholicâ tales interpretes & magiſtros, qui Religionis inſtitutione & explicatione imbellem orbem Chriſtianum fecerint, nullos eſſe, aut vnquam fuiſſe pronuntio.

Hæreticorũ doctrina eſt, quam vera Religioni Macchiauellus imponit.

Waldenſes & Anabaptiſtæ, negant Chriſtianis licere leges condere, iudicia exercere, punire improbos, bellum gerere; quod poſtremum iam olim docuerunt Manichæi, teſte S. Aug. lib. 22. contra Fauſtũ, cap. 47. & ſeqq. Hi infames hæretici, & ab Eccleſiâ damnati, neque eâ autoritate, neque ijs viribus unquam fuerunt, vt ſtolidam doctrinam ſuam magnopere propagare, aut ſtabilire potuerint; & quidquid tandem docuerint aut effecerint, non eſt veræ Religioni imputandum, quod eius inimici delinquunt.

Catholici Scriptores aut Magiſtri, nulli pro-

li produci poſſunt, qui contra Fortitudinem Chriſtianam à nobis explicatam ſenſerint; & patriæ defenſione atque amore, bello item, Imperiíque legitimâ amplificatione Chriſtianis interdixerint.

Non igitur interpretes læſit Macchiauellus, ſed ipſa Religionis præcepta & ſacroſanctum ſacrificium, quod ex interpretatione non pendet. Interpretes autem inuidiæ obiecit, vt per eorum latus Chriſtianam diſciplinam tanto nequiùs, quanto fallaciùs criminari, & in odium apud Politicos contemptumq́; poſſet adducere. *Non interpretes læſit, ſed Religionem.*

Quod vtrumque ex ijs, quæ de maiori Ethnicorum quàm Chriſtianorum fortitudine diſſeruit, ſequi neceſſe eſt. Non enim amare poſſunt Politici præcepta Reipublicæ aduerſa, neque æſtimare illa, quæ fortitudinis neruos incidunt, eamq; imbellem faciunt, quam robuſtiſſimam fuiſſe apud Ethnicos, Macchiauellus fabulatur ſeu veriùs blaſphemat.

§. XV.

Appendix ex alijs Macchiauelli locis.

I. *De Fato & Fortunâ.*

Cap. xxix. Libri 2. Diſcurſuum, de fato & fortunâ non minùs impiè,

quam ſupra cap. 25. Principis diſputatur; quo loco cum abundè eius errores demonſtrauerimus, nihil hìc addendum eſt.

II. *Macchiauellum videri animam mortalem facere.*

Libro 3. Diſcurſuum de Republicâ, capite 1. *Quæ* ait, *in hoc vniuerſo continentur, ea omnia certo vitæ ſpatio terminantur: idq́ſ ſingulis ex peculiari quodam ſiderum influxu contingit.*

Hæc verba duplicem errorem, Fidei Chriſtianæ aduerſum continent, vnum apertè, alterum non obſcurè. Fatum enim ſidereum, quod non niſi fatui credunt, apertè adſtruit, de quo iam ſupra egimus. Animam deinde humanam mortalem eſſe non obſcurè fatetur, cum *quæ in hoc vniuerſo continentur, ea* OMNIA *certo vitæ ſpatio terminari*, affirmat.

Animam enim humanam in hoc vniuerſo contineri, manifeſtum eſt, ergo eam quoque certo vitæ ſpatio terminari Macchiauellus ſenſit, quia OMNIBVS quæ in hoc vniuerſo continentur, hunc terminum præfixum eſſe, vniuerſim pronuntiauit. Hæc impietas ab illis non àbhorret, quæ de fato, vitiorum neceſſitate, & ex bono fine bonitate, Principum ab omni tribu-

tribunali immunitate docuit: & ijs maximè, quæ pro Ethnicis aduersùs Chriſtianam Religionem, vnicam aut præcipuam immortalis Animæ Magiſtram, diſſeruit.

III. *Reipublicæ cauſſâ, nullam iuſti iniuſtiue notam refugiendam.*

CAp.xli. eiuſdem libri, ſtatuit perniciosum illud Pſeudopolitiæ Principium. *Cum agitur de conſeruandâ patriæ libertate, nihil eſſe debere, quod animos noſtros in aliam ſententiam pertrahere queat. Neque ab hoc ſcopo auertere quenquam debere iuſti, iniuſti, crudelitatis aut miſericordiæ, non denique laudis, aut ignominiæ notam.* Cui Principio ſuprà quoque refutato, ſi illud alterum adiungas: *malefacta bono fine excuſari*, habes duo præcipua Pſeudopolitiæ fundamenta. Quibus ea non minus innititur, quam omnes ſcientiæ duobus illis principijs Metaphyſicis: *Quodlibet eſt, vel non eſt; Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

Duo Pſeudopolitiæ principia.

Ac priusquidem Finem vltimum facit, Reipublicæ ſalutem; ideoque omnia eo referri, ipſique adeò virtuti & juſtitiæ, vim inferri jubet. Alterum ſcelerum omnium licentiam concedit, eáque inter virtutes repo-

reponit, ſi ſtatui conducere videantur. Huic duplici baſi, ſceleratum ædificium Macchiauellus inædificauit: quod pro viribus diruere hucuſque contendimus, Scioppio nequicquam humeros & fulcra ſupponente.

§. XVI.

Macchiauellum Ethnicis ſcriptoribus eſſe deteriorem; ex eius doctrinâ, ſublato Dei timore & vero cultu, ipſomet teſte ſequi ruinam Imperiorum; multa alia præterea ad Cenſuram vocari poſſe.

ATque ex his quidem, quæ Religioni diuinæque autoritati aduerſantia in faſciculos gehennæ flammis dignos alligauimus, apparet Macchiauellum ſolo nomine Chriſtianum, animo hæreticum, & minimo minus Ethnicum fuiſſe. Præcipua enim Religionis noſtræ capita Dei prouidentiam, arbitrij libertatem, animæ immortalitatem, Scripturæ & Eccleſiæ, Eccleſiaſticorumque autoritatem, Sacrificij Chriſtiani ſanctitatem, & tandem prima virtutis probitatiſque principia, aut tollit, aut peruertit, aut contemnit, aut in contemptum adducit.

Ethnici ſcriptores

Quâ in re Ethnicis ſcriptoribus longè deterior eſt; nam illos falſam Religionem tenuiſ-

tenuiſſe in aperto eſt, nec quiſquam mouetur, etſi Deos immortales nominent, aut ſuperſtitionis ſuæ deliria commemorent. Certè Ariſtoteles in Politicis princeps, generatim de Religionis, quæ non niſi inter Chriſtianos vera eſt, curâ & cultu optimè diſſerit: nec ſpeciatim vllis erroribus, aut certè vix vllis, Chriſtianæ legi & fidei aduerſatur. Macchiauellus verò & generatim, & ſpeciatim vti vidimus, Religionis fundamenta conuellit, etſi alicubi bonitate naturæ, aut veritatis euidentiâ victus, meliùs de eâ ſentire videatur.

minus nocent, quam Macchiauellus.

Quare ex ipſo contra ipſum, eiúſque ſeu patronos ſeu diſcipulos ita concludo. *Sublatâ Religione corruere Rempublicam oportet: quoniam ſublato Dei timore ſequitur impietas, ex eâq; ruina Imperiorum*, vt ait Macchiauellus l. 1. diſcurs. c. 11. *& quicunque Principes atq; Reipublicæ ſemetipſos conſeruare cupiunt, in id vnum præ cæteris incumbere debent, vt verum religionis cultum rectè inſtituant & venerentur*, vt ait idem 16. cap. 12. Sed Macchiauelli principia ac præcepta tollunt veram Religionem, Deiq; timorem, & vero illius cultui repugnant, vt proximè ex impijs eius verbis & ſententijs demonſtrauimus; ergo

Eius doctrina Rempublicam euertit, quia Religionem tollit.

Digitized by Google

ergo Macchiauello Magiſtro, *corruere Rempublicam oportet, & ſequitur impietas, ex eâq; ruinâ Imperiorum. Quare, quicunque Principes atque Reſpublicæ ſemetipſos conſeruare cupiunt*, ab eiuſmodi præceptis quàm maximè alieni eſſe debent.

Superſunt alia in Macchiauelli ſcriptis, quæ magno numero ad Cenſuram præterea vocari poſſent. Veluti plures pugnantes diuerſis locis ſententiæ; opiniones melioribus, pluribuſq; hodie Politicis improbatæ, vt de tormentorum bellicorum & munitionum, nullo vel exiguo vſu, aliiſque ſimilibus; præcepta nimis generalia, ex vno aut altero facto deſumpta, quæ facilè fallunt, & contrarijs exemplis refelluntur. Hæc & quæ eiuſdem ſunt generis, magno volumini ſuffectura, ſtudio omittimus, quia inſtituto noſtro neceſſaria non ſunt: quod eò præcipuè ſpectat, vt Macchiauellum alioſq; Pſeudopoliticos, nec à Scioppio, nec à quoquã alio defendi poſſe, vel debere demonſtraremus.

CAP. VIII.

Digitized by Google

Cap. VIII.

Macchiauelli, eiuſq; Cauſsidici inexcuſabilis improbitas, & criminum Scioppianorum Anacephalæoſis.

§. I.

SVPPETIAE. Politicum, ſi modos vitioſæ Reipublicæ conſeruandæ, hypotheticè, & bonâ intentione tractauit, & alicubi apertè vituperauit, culpari non poſſe.

IAm vt Politicum Prudentiæ methodum neglexiſſe vincas, neceſſe habes demonſtrare, nihil eum cauiſſe, ne lectoris judicium de rectè ſecúsue factis deprauetur. Hoc autem vt præſtes, eum cum vitioſi Principatus conſeruandi modos tradit, Categoricè, ſimpliciter, & quemadmodum vulgo loquuntur, aſſertiuè, non hypotheticè, aut cum adiunctione ſeu conditione loqui, nec vllam excuſandi ſui rationem ſuppeditare planum facies: neq; ſi ea excutias, quæ ille alibi de vitioſi Principatus, aut etiam cauſſarum eius & effectorum Adiunctis tradidit: neq; ſi vel generalem eius, aut ſpecialem intentionem, ſcribendiue conſilium, eo quo ſuprà oſtendi, modo expendas. *Excuſatione vana.*

Si enim appareat id, quod toto libro habuit propoſitum, laudem mereri, neq; vtilitatibus humani generis diſconducere, idq; quod de vitioſi Principatus conſeruandi modis præcipit, aut impediendi, aut emendandi eiuſdẽ Principatus vim habere: non magis eũm, quã aut Ariſtotelem, aut D. Thomam, imprudentiæ accu-

ſare

ſare poſſis, quando eum iſtorum cum præceptis tum exemplo, congruenter de Republicâ diſputare, cumulatiſſimè demonſtrauimus.

§. II.

VINDICIAE. Macchiauellum Religionem Chriſtianam violâſſe; vera Politices fundamenta, Categoricè & aſſertiuè peruertiſſe; ſcelera nuſquam ſeriò vituperaſſe; neque Principes minus malos, ſed peßimos efficere; ideoq; ab Eccle-cleſiâ iure damnatum eſſe.

FInem loquendi facit Scioppius, etſi ad finem, quem ſibi propoſuerat, non peruenerit. Neque enim quod volebat, Macchiauelli aliorumque Pſeudopoliticorum cauſſam ità egit, vt abſolui poſſint, vel damnari non debeant, ipſomet judice. Cuius methodum Cenſuræ ſecuti, oſtendimus Macchiauellum contra Methodum artis tam grauiter deliquiſſe, vt veniam neque ipſe mereatur: neque bonæ mentis ſit, pro tam ſcelerato reo judicum clementiam implorare.

Macchiauellus legitimam Politiam euertit.

Peruertit enim & euertit, omnia legitimæ juſtæque Politiæ fundamenta; eaque præcepta & conſilia dedit, quibus obſeruatis, *ſi verum quærimus, nullo iuſti iniuſtique diſcrimine res geri, religionem, fidem, iuſtitiam proprio emolumento poſteriora duci, or-*

ci, orbem Chriſtianum diſsidijs, turbis, ac bellis infeſtari, non dubium denique exitium regnis ac prouincijs comparari, initio pædiæ ſuæ lamentatur Scioppius; ideóque ſine controuerſiâ ingentem eſſe Macchiauelli, quem eiuſmodi præcepta & conſilia dediſſe euicimus, improbitatem & impietatem, quiſquis vindicias noſtras æquo animo legerit, pronuntiabit.

Neque juuat Prudentiæ methodus, quam ex poſtremo ſuppetiarum agmine, rurſus euocat Scioppius, cum collectis veluti viribus, triſulco telo nos repellere nititur, aſſerens *ſi Politicus vitioſi Principatus conſeruandi modos non Categoricè & aſſertiuè, ſed hypotheticè & cum conditione tradiderit; ſi alibi de vitioſi Pricipatus adiunctis rectè diſſeruerit, ſi generalis aut ſpecialis eius intentio proba & vtilis fuerit, non magis eum, quàm aut Ariſtotelem, aut D. Thomam imprudentiæ accuſari & condemnari poſſe.* Irrita inquam ſunt iſta, & in Scioppij caput redeunt. Nemini bono in mentem venit accuſare Ariſtotelem, aut S. Thomam; nihil illi deliquerunt, qui de vitioſis Politijs egerunt, ſecundum artis & Prudentiæ regulas, quas impiè violauit Macchiauellus.

Artis & prudentiæ regulas violauit.

Ii Non

Non poteſt methodus prudentiæ obſeruari ab eo, qui datâ operà methodum artis violat & peruertit; quod cum egiſſe Macchiauellum compertum ſit, nec potuit, nec voluit veræ prudentiæ regulas ſequi. *Prudentiam carnis*, quæ *mors eſt* teſte S. Paulo Rom. 8. v. 6. *filius* iſte *huius ſeculi* docuit, ſine vllis cautelis: quas fruſtra quæras apud illum, cui propoſitum eſt vitia non cauere, ſed docere ac defendere.

Categoricè & aſſertiuè Pſeudo-politiam docuit.

Categoricè & aſſertiuè, ſine conditione & hypotheſi, Pſeudopolitiæ modos ac vias profitetur, qui contrariam probis Politicis & alienam viam ingreſſus, vitia neceſſaria, & ex bono fine bona eſſe docet; qui vitioſos Principatus & Principes laudat; veram religionem vt imbellem, & fortitudini aduerſam calumniatur; qui deniq; finis & mediorum ratione vniuerſim deprauatâ, nullam Politiam niſi vitioſam & ſceleratam, incolumem conſiſtere poſſe, arbitratur.

Neq; illam, neq; ſcelera ſeriò vituperat.

Sed nec inde excuſatur, quod alicubi Tyrannidem & ſcelera vituperare videtur. Non enim ſeriò iſta vituperat, qui ex bono fine, & neceſſitate ſeruandi Imperij, paratam quibuſuis vitijs, & ſceleribus laudem

dem & excuſationem habet. Qui primas licet fores, & anticam ianuam improbitati quandóque claudere putetur, per poſticum vitia & ſcelera quæuis admittit: decumanam boni finis portam latiſſimè reſerans, & generalibus principijs corrumpens, quidquid ſpeciatim rectè tradidiſſe viſus eſt.

Nec generalis denique aut ſpecialis intentio vllum patrociniũ præbet, tum quia ſicut *non facienda*, ita nec docenda ſunt mala, *vt veniant bona*, ſiue vt bonus finis obtineatur; tum quia prauum finem propoſitum fuiſſe Macchiauello clarè apparet. Mens illi fuit, contra communem veramque doctrinam, vitiorum neceſſitatem & licentiam in Politicam inuehere; Ethnicorum religionem fortiorem eſſe, quàm Chriſtianorum, magiſq; Reipublicæ idoneam, perſuadere; animos hominum à Dei prouidentiâ & præceptis auocatos, partim fati & fortunæ decretis, oblatiſque occaſionibus alligare, partim ſolius humanæ prudentiæ induſtriæq; fiduciâ faſcinare. *Macchiauelli propoſitum.*

Hæc peſſimo ſcriptori propoſita fuiſſe, ex ipſius ſcriptis tam perſpicuum eſt, vt Deum timenti ſapientiq; Lectori, alijs ar-

gumentis opus non ſit, quàm lectione animíque attentione. Eam vt faciliorem efficeremus, has Vindicias noſtras elaborauimus, & Scioppij vanis Suppetijs obiecimus.

Principes minus malos ex peſſimis non facit.

Qui illud quoque falsò iactare ſolitus eſt, Macchiauelli ſcopum fuiſſe: *ex peſſimis aut malis Principibus, minus malos efficere.* Nullos enim vitioſi Principatus impediendi, aut emendandi modos, ſeriò & conſtanter tradit. Sed illa quibus ſcelera impediri poſſunt ac ſolent, remouet, Dei inquam timorem, & vitiorum turpitudinem; illum quippe veram Religionem ſubruendo eneruat, iſtam boni finis prætextu, excuſat & cohoneſtat. Vnde conſequens eſt ſecundum Macchiauelli præcepta, nemini mediocriter malo eſſe licere: cum nulla emendandæ aut impediendæ improbitatis, impietatiſq; conſilia, ſeriò ſuſcipi, nec plus virtuti probitatiq; tribui patiatur, quam Status ſeu dominatus ratio permittit.

Iure ab Eccleſia damnatus.

Quibus omnibus hucuſq; clarè demonſtratis, Rectâ ratione, verâ Religione, ſacris literis, & ſummis tum diuinæ, tum naturalis veritatis Magiſtris conſentientibus: Macchiauellum ſcriptorem impium.

naturalis & diuinæ veritatis aduerſariũ, virtutis, veræq; Politicæ euerſorem eſſe, iure quam optimo pronuntiamus. Et in eo, inter ſcriptores prohibitos referendo, Summorum Pontificum & Sanctæ Eccleſiæ ſaluberrimam cenſuram ac iudicium veneramur, & amplectimur: conſpirantibus nobiſcum omnibus, quibus Religio, veritas, virtus, & Reipublicæ ſalus cordi eſt.

§. III.

Scioppium quoque infelicem Cauſsidicum, Eccleſiæ autoritatem violâſſe; Macchiauelli omniumq; Pſeudopoliticorum errores ſuos feciſſe; S. Thomæ & Ariſtoteli, alijsq; ſcientijs vim & iniuriam intuliſſe; Chriſtianam denique Politicam, Pſeudopoliticis ſuppetiis, penitus ſuſtuliſſe.

GAſpar Scioppius autem, rei tam ſeuero judicio damnati, infelix patronus ſeu cauſſidicus, multis ſe criminibus & pænis obnoxium fecit. Nam Summorum Pontificum, & Eccleſiæ in primis autoritate ſpretâ, autorem inter libros prohibitos, & ipſos hæreſiarchas relatum, velut *optimum & perfectiſſimum artis Politicæ Doctorem* defendendum ſibi ſumpſit: pari ferè audaciâ, ac ſi quis Lutherum, aut

Scioppius Eccleſiæ autoritatem læſit.

Caluinum, tanquam optimos perfectiſſimoſque Religionis Doctores defendendos ſuſciperet. Verum, cum eiuſmodi librorum lectionem, grauibus pænis coerceri voluerint Pontifices, quid Scioppius hâc defenſione meruerit, ipſe auguretur.

Macchiauelli errores ſuos fecit. Macchiauelli deinde aliorumque Pſeudopoliticorum errores, fraudes, mendacia, & tum impia, tum ſacrilega principia ac præcepta, ſua fecit. Facti enim crimen habet, qui ſcelera facere cogitat, aut facta defendit: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus* Rom. 1. v. 32. Conſentiunt autem vel maximè malefactis, qui ea defendunt. Quem conſenſum niſi Macchiauello præſtitiſſet Scioppius, non *optimum & perfectiſſimũ*, ſed deterrimum vitioſiſſimumque artis *Politicæ Doctorem*, appellare debuiſſet.

In S. Thom. & Ariſtot. iniurius. Adhæc grauiſſimam S. Thomæ & Ariſtoteli injuriam intulit, non ſolùm eorum autoritate & exemplo falſo & fallaciter abutendo, vti oſtendimus: verum etiam eos Macchiauello comparando, quaſi non ſanctiùs, nec innocentiùs, quam ille, Politicam tractauerint: & vel tam hunc quàm illos abſoluere oporteat, vel tam iſtos

iſtos, quam illum inter autores damnatos referre, cum paria imò eadem ſcilicet, cum Macchiauello, de vitioſis Politiæ formis docuerint. Quo ipſo Scioppius Summorum Pontificum in Macchiauello damnando judicium, acerbiſſimè & iniquiſſimè perſtrinxit.

Alijs præterea ſcientijs vim intulit, vt Macchiauelli Pſeudopoliticam tueretur. Oſtendimus grauiſſimos & pudendos aduerſus Metaphyſicam, Ethicam, Logicam, imò & Grammaticam errores, à Scioppio commiſſos: vt non tam Macchiauellum defendiſſe, quam inſcitiam ſuam, paucis pagellis, veluti compendio patefeciſſe videatur. *Inſcitiam ſuam compendio patefecit.*

Quod grauiſſimum denique eſt, Chriſtianam Politicam profanauit, imo penitus ſuſtulit. Sine Chriſto enim Politica Chriſtiana nec eſſe, nec dici poteſt; & vnde Chriſtiana religio, inde & Chriſtus excluditur. Atqui Scioppius totis Suppetijs hoc præcipuè egit, vt Chriſtianæ religionis, & omnis virtutis doctrinam, à Politica alienam eſſe, eiuſque rationes & præcepta, non ſine vitioſo *tranſitu de genere in genus*, à Politicis vſurpari demonſtraret. Politicam igitur Chriſtianam *Politicam Chriſtianã ſuſtulit.*

ablatâ religione & virtute, adeoque & Chriſto, vtriuſque ſupremo magiſtro excluſo, non ſolùm profanauit: verùm etiam nullam reliquit, niſi impiam & ſceleratam, vt neceſſarijs ſequelis & argumentis oſtendimus.

Quam injuriam Chriſtianis Principibus, omnibuſque Reipublicæ & veræ Politicæ operam nauantibus, à Scioppio illatam, pro viribus vindicare: Chriſtumq; in Chriſtianis aulis & curijs retinere, conſilium & negotium noſtrum præcipuè fuit. Si aliquid profecimus, id totum diuinæ gloriæ, pro quâ pugnamus, acceptum ferimus, eique in ſolidum conſecramus.

Omnia ad maiorem Dei gloriam.

INDEX

Digitized by Google

JNDEX CAPITVM ET CONtentorum.

LIBER PRIMVS.

Religionis & Virtuſis Præcepta ac principia, à verâ Politicâ aliena non eſſe.

Cap. I.

Suppetiarum, & Vindiciarum ingreſſus, primusq́ congreſſus.

§. I. *SVPPETIAE. Magnam eſſe Pſeudopoliticorum improbitatem, ſed non minorem eorum imperitiam, qui iniquè de politicis ſcriptoribus iudicant. Fol.* 1.

§. II. *VINDICIAE. A Scioppio eos ipſos accuſari, quos defendit, & ſuggillari optimos ſcriptores.* 3.

§. III. *Vtilitatem cum honeſtate coniunctam, â probis Politicis non reprehendi.* 7.

§. IV. *Vtilia à Macchiauello prauo fine, & venenis paßim inſperſis corrumpi, ideoq́ difficulter ſecerni poſſe.* 8.

Cap. II.

Secundum Ariſtotelis, & vera Logica doctrinam, de vitioſo tranſitu à genere in genus: Religionis & virtutis præcepta, à Politicâ non excludi.

§. I. *SVPPETIAE. Scioppius de Logica fine, obiecto, officio philoſophatur.* 11.

§. II. *VINDICIAE. Non rectè, de Fine præſertim, Scioppium philoſophari.* 12.

§. III. *SVPPETIAE. Vitia rationis, non minùs quàm ſermonis quinque eſſe; Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens & Alienum tum Genere, tum loco; Hæc à Logicâ corrigi.* 15.

§. IV. *VINDICIAE. Nec vitia ſermonis quidem, rectè à Grammatico aßignari.* 16.

§. V. *Vitia rationis vitiosè à Scioppio tradi; omiſiſſe Mutilum & Inordinatum; alia perperam diſtinxiſſe.* 19.

§. VI. *In vitio Alieni explicando, Scioppiũ id ſpectare, vt Religionis & virtutis doctrinam, veluti alienam, à Politicâ excludat.* 25.

§. VII. *Singulis rebus tum naturalibus, tum moralibus quædam propria eſſe, quædam cum aliis communia; his explicandis & probandis non niſi communia principia, ex communi aut ſuperiori facultate petita, conuenire.* 27.

§. VIII. *Cum Politica, ſit Ars rectè imperandi & parendi, neceſſariò eam vti principijs moralibus, & Chriſtianis.* 35.

§. IX. *SVPPETIAE. Lectoris Admonitio, quam Scioppius Pædiæ ſuæ præmittit: vt probet ex Ariſtotele, Pædiam eſſe facultatem iudicandi ex Analyticis, quid rei proprium, quid ab eâ alienum ſit.* 40.

§. X. *VINDICIAE. Admonitionis Scioppianæ Summa.* 48.

§. XI. *Locum ex l. 1. Ethicorum Eudemiorum, à Scioppio falsò & contra mentem Ariſtotelis explicari.* 49.

§. XII. *Non eſſe veriorem explicationem eius loci, quem affert ex l. 3. Polit. c. 7. vel 11. de triplici artifice, operario, architectonico, experto.* 51.

§. XIII. *Neque initium l 1. de partibus animalium, Scioppio ſuffragari; his locis παιδείαν ab Ariſtotele pro vſu & experientiâ, πεπαιδευμένον pro experto ſumi.* 54.

§. IV. *De alterâ Admonitionis parte, quâ Scioppius apædeuſia eos damnat, qui in Politicâ rationes ex ſublimioribus ſcientijs, Theologiâ nempe, & Philoſophiâ morali accerſunt.* 58.

§. XV. *SVPPETIAE. Scioppius Inſtrumenta Logica aßignat.*

Digitized by Google

gnat. 60.

§. XVI. *VINDICIAE. Inuentionem & Diſpoſitionem inſtrumenta Logica non rectè ſtatui; neq; Rhetorica ſolam Actionem & Elocutionē.* 61.

CAP. IV.

De vera Politices fine, obiecto, officio, inſtrumentis.

§. I. *SVPPETIAE. Finem Politices eſſe Beatitudinem, ſeu felicitatem ciuilem.* 67.

§. II. *VINDICIAE. Felicitatem ciuilem à Scioppio in bonis externis conſtitui, & ideo pietatis virtutiſq; doctrinam & curam alienam, à Politicâ iudicari. ibid.*

§. III. *Eſſe hoc primum Pſeudopolitiæ fundamentum; ſed Ariſtotelem clarè aduerſari.* 69.

§. IV. *Finem Politices proprium, eſſe vitam Socialem ſecundum regulam rationis & virtutis, bona verò externa eius inſtrumenta, Natura docet.* 73.

§. V. *Idem vera Fides confirmat, & Politicen præterea ad finem vltimum æternæ beatitudinis, refert.* 76.

§. VI. *SVPPETIAE. Statum eſſe Politices obiectum, officium eum condere & conſeruare; Inſtrumenta, vtilia & publicè noxia.* 82.

§. VII. *VINDICIAE. Statum verè non dici, niſi eam Rempublicam, in quâ Iuſtitia aliæq; virtutes, ſupremum locum & pretium habent. ibid.*

§. VIII. *Triplex diſcrimen quoad vltimum finem, inter Politicam, & Theologiam, ac poteſtatem Eccleſiaſticam.* 84.

§. IX. *Inde tria eruuntur, ad officium Politicæ pertinentia. Scioppius in inſtrumentis Politicis ineptit.* 87.

Digitized by Google

CAP. IV.

Vitioſas Reipublicæ formas, in Politicâ explicari debere, tanquam errores & vitia artis.

§. I. *SVPPETIAE. Politicorum cenſores, nolle tractare, quæ ſunt artis propria, vitioſas nimirũ Reipublicæ formas.* 91.

§. II. *VINDICIAE. Non culpari Politicum, ſi de vitioſis Rebuſpublicis agat, vt de vitijs & erroribus artis; ſecus, ſi eas pro legitimis obtrudat.* ibid.

§. III. *SVPPETIAE. Scioppius autoritate & exemplo Ariſtotelis & S. Thomæ contendit, plus Politico, de vitioſis Reipublicæ formis laborandum; eaſq́; magis proprium Politicæ obiectum eſſe, quàm regnum, aliaſq́; rectas & laudabiles formas.* 93.

§. IV. *Non in tractandis, ſed emendandis vitioſis Rebuſpublicis plus laborandum eſſe Politico; neque eas ideo magis proprium obiectum Politicæ eſſe; neque id Ariſtotelem & S. Thomam ſenſiſſe, aut Platonem idcirco reprehendiſſe.* 98.

§. V. *Quæ Ariſtoteles principio libri 4. Politic. à Politico exigit, non rectè à Scioppio explicari; nec omnes Reſpublicas imperfectas vitioſas eſſe.* 102.

§. VI. *Exemplum Ariſtotelis & S. Thomæ à Scioppio, falsò & fallaciter allegari.* 108.

CAP. V.

Quæ ad Ethicam, ſeu Philoſophiam moralem pertinent, à Politicâ aliena non eſſe.

§. I. *SVPPETIAE. Tyrannidis turpitudinem deſcribi in Ethicâ debere, non in Politicâ.* 111.

§. II. *VINDICIAE. Vitia artis declarare; cuiuſuis artificis, adeoq́; etiam Politici, proprium eſſe.* ibid.

§. III. *SVPPETIAE. Varia Ethica, ſeu Philoſophia moralis*

ralis

ralis diuiſiones. 113.

§. IV. *Eaſdem diuiſiones conuenire Politicæ; argumentum Ethicorum Ariſtotelis, diuiſionem officij in medium & perfectum, malè explicari à Scioppio; & complura alia abſonè dici.* 118.

§. V. SVPPETIAE. *In parte Ethicæ præceptiuâ deterreri homines à Tyrannide, in dogmaticâ eius turpitudinem deſcribi.* 122.

§. VI. VINDICIAE. *Quæ propria ſunt Ethicæ, æquè conuenire Politicæ; hâc enim iuxta Ariſtotelem contineri totam Philoſophiam moralem, eiuſque partem eſſe Ethicam.* 123.

§. VII. *Politicæ, etiam ut vulgo ſumitur, pro parte Philoſophiæ moralis, proprium eſſe Pſeudopolitiæ vitia & turpitudinem explicare.* 127.

§. VIII. SVPPETIAE. *Omnem quæſtionem aut diſputationem eius artis propriam eſſe, cuius fuerit prædicatum, ſeu attributum.* 130.

§. IX. VINDICIAE. *Malitiam, vitium, turpitudinem, non eſſe adiuncta, ſed rationem formalem Pſeudopolitiæ; neque hanc in Politicâ rectè tractari, niſi illa explicentur.* 131.

§. X. *Iuxta Scioppium, peccatum originale ad Logicam, Myſterium SS. Trinitatis & numerum Sacramentorum pertinere ad Arithmeticam, aliaque abſurda ſequi; quæſtionem igitur ei ſcientiæ attribui debere, cuius fuerit ſubiectum.* 133.

§. XI. SVPPETIAE. *Auaritiam & Liberalitatem non eſſe ſub eodem genere; ſed illam ſub habitu alienandi, iſtam ſub habitu non alienandi.* 135.

§. XII. VINDICIAE. *Scioppio aduerſari Ariſtotelem; ab eo habitum alienandi & non alienandi non diſtingui, nec Parcimoniam à Liberalitate.* 136.

§ XIII. SVPPETIAE. *Sitne virtus mediocritas, in Metaphyſicâ rectius tractari; vnum vni tantùm eſſe contrarium; ideoque virtutem inter duo contraria nequaquam eſſe poſitam.* 139.

§. XIV.

§. XIV. *VINDICIAE. De virtutis mediocritate Ariſtotelem in Ethicâ diſputare; eiuſdem & omnium Theologorum ac Philoſophorum ſententiâ, virtutem in mediocritate, & inter duo vitia ſitam eſſe.* 140.

§. XV. *Vnum non eſſe pluribus contrarium, eodem reſpectu, & perfectè.* 142.

§. XVI. *SVPPETIAE. Vitia in defectu ſita, cum non ſint circa idem, non eſſe virtutibus contraria, niſi per accidens, propter obiecta inter ſe pugnantia.* 145.

§. XVII. *VINDICIAE. Scioppium communi ſenſui repugnare; contraria dici ſecundum idem; illud autem, in quo opponuntur, non eſſe idem. Alia Grammatici abſurda.* 146.

§. XVIII. *SVPPETIAE. Tyrannidis turpitudinem iuxta Methodum artis ad Ethicam pertinere* 151.

§. XIX. *VINDICIAE. Scioppium multa extra cauſſam dixiſſe; & immerito veros Politicos de neglectâ artis methodo accuſari. ibid.*

LIBER SECVNDVS.

Pſeudopoliticorum & Macchiauelli inprimis præcepta, à verâ Politicâ aliena eſſe, eiq; aduerſa.

CAP. I.

De Ariſtotelis & S. Thomæ, in vitioſis Reipublicæ formis tractandis innocentiâ, Pſeudopoliticis nequaquam patrocinante.

§. I. *SVPPETIAE. Prudentia Methodum exigere, vt in Politicâ turpitudo Tyrannidis deſcribatur.* 153.

§. II. *VINDICIAE. Imprudenter accuſari eos, qui prudentiæ Methodum obſeruant; neque eam Methodo artis repugnare.* 154.

§. III.

§. III. SVPPETIAE. *Tyrannidis explicationem eius impediendæ & emendandæ vim habere; non eſſe lubricam vitio ſcriptoris, ſed lectoris, ſi modus loquendi apertè vel occultè ſit hypotheticus, non abſolutus, aut ſi ſcriptor alicubi turpem & fugiendam dixerit, vel intentionem, generalem bonam eſſe appareat. Sic Ariſtotelem & S. Thomam docere ſimulationem, periuria, crudelitatem; nec aliter excuſari poſſe.* 157.

§. IV. *VINDICIAE. Nullam eſſe Ariſtotelis, & S. Thomæ conuentionem cum Pſeudopoliticis; neque eos, præcipuè Macchiauellum, vllâ ratione defendi poſſe.* 171.

§. V. *Ex Tyrannidis etiam legitimâ tractatione, Tyrannos plus periti a referre.* 172.

§. VI. *Odium & contemptum, non eſſe principes ruinæ Imperiorum cauſſas.* 173.

§. VII. *Verba S. Petri & S. Pauli, non integrè à Scioppio referri, & malè patrocinium Macchiauello inde quæri.* 174.

§. VIII. *Scioppium de Tyrannidis turpitudine, à Politico declarandâ, ſibi contradicere.* 175.

§. IX. *Vim non belluæ ſolum, ſed homini etiam conuenire.* 176.

§. X. *Tyrannum, cum ex vulpe & Leone compoſitus dicitur, non ideo reprehendi; vtriuſq; belluæ vſum, à Macchiauello neceſſarium & præclarum cenſeri.* 177.

§. XI. *Generalis intentionis bonitate, aut metu, Scriptoris errores non excuſari.* 180.

§. XII. *Ariſtotelis & S. Thomæ Politica, à Scioppio laudari non poſſe, ſed neceſſariò vituperari.* 181.

§. XIII. *In referendis Ariſtotelis & S. Thomæ verbis, Scioppium more ſuo fallacem eſſe.* 184.

§. XIV. *Ex Cauſſa efficientis hypotheſi omnem effectum pendere; inſtrumenta autem Pſeudopolitiæ, non niſi ex ſuppoſitione*

poſitione finis; Vera autem Politia, abſolutè bona & Vtilia eſſe. 187.

§. XV. *Methodum non eſſe finem ſcientiarum, ſed inſtrumentum; Vitia Reipublicæ ab Ariſtotele & S. Thomâ non doceri; Scioppium grauiter in eos iniurium eſſe.* 191.

§. XVI. *Vtilia ad conſeruandam Oligarchiam, ab Ariſtotele & S. Thomâ, nullâ Vti criminatur Scioppius honeſtatis ratione habitâ, non tradi.* 193.

§. XVII. *In referendis Verbis Ariſtotelis & S. Thomæ, fallacia Scioppiana aliud ſpecimen.* 195.

§. XVIII. *A S. Thomâ abſolutè Vtile non dici, quod honeſtum non eſt, ſuffragante etiam Cicerone.* 196.

CAP. II

Quâ ratione de virtute & pietate, Politicos tractare oporteat.

§. I. *SVPPETIAE. Methodus Cenſuræ in Politicis ſcriptis exercendæ.* 199.

§. II. *VINDICIAE. Methodum Cenſuræ non rectè à Scioppio præmonſtrari; Methodum tam artis, quàm prudentiæ, à Macchiauello Violari.* ibid.

§. III. *SVPPETIAE. Aliena tractare Politicum ratione materiæ, ſi Principem Verè pium eſſe iubeat; animam non eſſe ſubiectum Politicæ.* 201.

§. IV. *VINDICIAE. Finem Vltimum beatitudinis æternæ, proximè quidem ad diſciplinam Chriſtianam & Theologiam pertinere, eidem tamen Politicam quoque cum alijs artibus famulari debere; famam negligendam non eſſe.* 202.

§. V. *Animam eſſe ſubiectum Politicæ affirmat Ariſtoteles; aliter à Politico, aliter à Theologo eam ſpectari.* 205.

§. VI. *Medicum corpus dumtaxat curare, Politicum Vitam ciuilem rationi congruam; ideo curam & doctrinam Virtutis ab illo, non iſto alienam, & Scioppij ſimile diſſimile eſſe.* 207.

§. VII.

§. VII. *Scioppiana imperitia in ſcripturis ſpecimen.* 210.

§. VIII. *SVPPETIAE. Media, quæ ex ſublimiori ſcientiâ pendent, aliena eſſe à Politico.* 211.

§. IX. *VINDICIAE. Scientias morales communicare in communibus principijs morum, quorum prima regula eſt diſciplina Chriſtiana; Macchiauelli quoque exemplum Scioppio aduerſari.* ibid.

CAP. III.

Religione & virtute Imperia certius proſperari, quàm vllis Pſeudopoliticorum præceptis & conſilijs

§. I. *SVPPETIAE. Deum imperium non proſperare, niſi Principis & ſubditorum, ad ſalutem animæ interſit; Ioſia, S. Ludouico, alijſque pijſſimis regibus ideò parum proſperè plurima euentſſe.* 224.

§. II. *VINDICIAE. Vigente & florente Verâ Religione ac Virtute, imperia non euerti, nec inſolitis modis affligi, omni hiſtoriâ teſte.* 215.

§. III. *Diuina prouidentia, ob conſeruationem humani generis id conuenire; etſi ob alias cauſſas, impiorum, quoque imperia, multis ſeculis conſeruet.* 219.

§. IV. *Ad meliorem intellectum quædam eſſe animaduertenda.* 220.

§. V. *A Deo temporalia bona concedi, etiam abuſuris; Reipublicæ neceſſaria, non eripi niſi ob peccata; aliter cum ſingulis priuatim agi.* 221.

§. VI. *Ioſia, & S. Ludouici exempla non obſtare; illum contrà Dei Voluntatem pugnâſſe; iſtum ſaluo regno, extra illud in piâ, ſed alienâ cauſſâ, obijſſe.* 223.

§. VII. *Scioppium ſibi hic repugnare & alibi, Vbi Verum dixit, ſed non intellexit.* 226.

Digitized by Google

§. VIII. *Pſeudopoliticorum præceptorum fallaciam, eorum exemplis oſtendi, quos Macchiauellus imitandos proponit; Moyſis autoritate illum abuti, Cyrum, Romulum, Theſeum miſerè interiïſſe.* 229.

§. IX. *Principi Valentino, artes quas Macchiauellus probat, ipſomet teſte, nihil adiumenti attuliſſe.* 233.

§. X. *Seuerum Imperatorem, qui Macchiauello iudice Leonis & Vulpeculæ perſonam præclarè geſſit, mœrore confectum; Romanos quoque multis modis infelices fuiſſe.* 236.

§. XI. *Præferendas tam triſtibus exemplis, virtutis artes; his imminentem licet, peccatis vindictam, auerti aut mitigari, quam Pſeudopolitica Conſilia magis exaſperant.* 240.

CAP. IV.

Secundùm Præcepta vera Religionis & virtutis, quæ in Theologiâ & Catechiſmo explicantur, in Politicâ & Republicâ res decerni & geri debere.

§. I. *SVPPETIAE. Virtutis & Pietatis Præcepta, in Theologiâ & Catechiſmo, non in Politicâ locum habere.* 243.

§. II. *VINDICIAE. Excluſâ virtutis curâ, Politicis neceſſitatem ſcelerum imponi, & Politicam nihil honeſtatis habere.* 244.

§. III. *Nihil licitum eſſe in verâ Politicâ, quod illicitum eſt in Theologiâ.* 246.

§. IV. *Quod ex ſe illicitum eſt, bonâ intentione licitum non fieri; Scoppium criminis, quod aliïs obïjcit, reum eſſe.* 248.

§. V. *SVPPETIAE. Pietatis opinionem Politico curandam eſſe, eâ enim conſeruari Imperium, ſicut pietate ſeruatur anima.* 250.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. *VINDICIAE. Eandem à Macchiauello doctrinam tradi, ſed inconſtanter.* 251.

§. VII. *Opinione, ſeu famâ virtutis, ſine ipsâ virtute non conſeruari Imperium; S. Auguſtinum Scioppio non ſuffragari.* 253.

§. VIII. *SVPPETIAE. Peccare etiam Politicum, cum aliena loco tractat.* 257.

§. IX. *Scioppium ſibi ipſi, & Macchiauello repugnare.* ib.

CAP. V.

Falsâ doctrinâ de Fine & Medijs Politica, à Pſeudopoliticorum Principe Macchiauello, veram Politicam euerti.

§. *SVPPETIAE. Falſa dicere Politicum, ſi ea quæ præcipit, ſtatum de quo agit, mutant vel perdunt.* 258.

§. II. *VINDICIAE. Pſeudopoliticos non culpari, quod doceant Pſeudopolitias vitijs & ſceleribus conſeruari; ſed quod veram Politicam profeſſi, vitia & ſcelera doceant.* 259.

§. III. *Macchiauellum quoque, veram & vtilem doctrinam, profiteri, ac polliceri: ſed alienam ab aliorum (Ariſtotelis & veritatis) ordine; ideoque principia communia, de fine & medijs peruertiſſe.* 261.

§. IV. *Macchiauellum Finem vltimum Politices in imperio & bonis externis conſtituere; ideoq; vitia neceſſaria putare, nec virtutis præcepta ſeria & ſtabilia vlla dare poſſe.* 265.

§. V. *Mediorum quoque rationem vniuerſim à Macchiauello corrumpi; quia male facta, ſeu ſcelera bono fine & euentu, ſemper excuſari docet.* 270.

§. VI. *Hunc errorem repugnare SS. Scripturis; inter hæreſes Priſcillianiſtarum referri & refelli à S. Auguſtino; à Macchia-*

Digitized by Google

Macchiauello non ſolis periurÿs & mendacÿs, quæ religionis cauſſâ concedebant Priſcillianiſtæ, ſed omnibus vitÿs & ſceleribus, licentiam dari 272.

§. VII. *Etiam Ariſtotelem, rectæ rationis & naturæ interpretem, aduerſari.* 275.

§. VIII. *Macchiauellum eiusq; patronos, ob fontes Politica corruptos, nullâ ratione excuſari poſſe; eius ſcripta ſine timore Dei, & pluſquam mediocri peritiâ, innoxiè non legi.* 278.

CAP. VI.

Sceleratæ rationes Imperium comparandi & conſeruandi, quas Macchiauellus ſpeciatim tradidit.

§. I. EX PRINCIPE.

I. *Non poſſe meliora nouo Principi præcepta dari, quam Principis Valentini exempla, quæ ſceleribus ſcatent.* 280.

II. *Crudelitatem rectè adhiberi, ſi ſemel & ſimul effundatur.* ibid.

III. *Eum qui negligit quod fit, ſecuturus quod eſſet faciendum, ruinam ſibi accerſere.* 282.

IV. *Auaritiam & rapacitatem Principi paruì faciendam.* ibid.

V. *Sæuitiæ quoq; nomen, parui ducendum.* 283.

VI. *Cum vis non ſufficit, ad vim & fraudem belluinam, ſeu Leonis & vulpeculæ ingenium, Principi confugiendū.* 283.

VII. *Principem à ſententiâ ſuâ, nunquam dimoueri debere; multitudini nihil negandum; ſceleratum Seuerum imitandum.* 277.

VIII. *Effaminandos eſſe ſenſim eos, quorū operâ Princeps prouinciam occupauit.* 288.

IX. *Omnes intelligant, Principem à ſententiâ ſuſceptâ, depelli non poſſe* 289.

X. *Alia quædam, lubrica admodum & inhumana.* ibid.

§. II.

§. II. Ex Libro I. Discvrsvvm de Repvblica.

I. *Romuli fratricidium, & cædem Tatij excuſari poſſe, veluti boni publici cauſſa patrata.* 290.

II. *Quæ Religioni fidem conciliant, fouenda, etſi non adeò conſtet omnibus certa veráq; eſſe; ità Ethnicos quoque falſa miracula approbâſſe.* 291.

III. *Ducem militarem, qui ingratitudinem metuit, nec ſe Principi ſuo ſubmittere vult, victoriam ſibi reſeruare debere.* 293.

IV. *Eum qui à populo ad alios puniendos euehitur, ſi induſtrius gnauuſq; ſit, Imperium facilè occupare.* 295.

V. *Ei, qui decreuit prauus eſſe, priuſquam amicos bonos perdat, prauos malefaciendo ſenſim eſſe comparandos.* 296.

§. III. Ex Libro II. Discvrsvvm de Repvblica.

I. *Exemplo P. R. in alienis prouincijs, amicum aliquem habendum, qui ad illam inuadendam aditum patefaciat.* 297.

II. *Aduersùs confœderatos belli occaſionem arripi poſſe, ſi non contra eos, ſed eorum confœderatos bellum moueatur.* 298.

III. *Neceſſariam eſſe artem decipiendi; ſine eâ Cyrum ad tantum Imperium non potuiſſe peruenire; eâdem ſocios non aduertentes, à P. R. in ſeruitutem redactos fuiſſe.* 299.

IV. *Rempublicam diſcordem opprimi poſſe, ſi arbitrum te interponas, & vtriq; parti amicum ſimules, neutram autem valde adiuues.* 301.

§. IV. Ex Libro III. Discvrsvvm de Repvblica.

I. *Ei qui Tyrannum vult tollere, omnia illius dicta factaq; approbanda, laudanda, imitanda eſſe, vt occaſionem reperiat eius opprimendi.* 203.

II. *Republicâ ſiue in melius, ſiue in deterius mutatâ, ſupplicium de ijs ſumendum eſſe, qui ſe mutationi oppoſuerunt.* 303.

Digitized by Google

III. *Ciuibus vrbis obſeſſa, promittendam impunitatem & libertatem; à populo enim dolos ſub tantis promiſſis latentes non obſeruari.* 304.

IV. *Ne Reſpublica à ciuibus perturbetur, remedium eſſe, ne ſinantur admodum diteſcere, & perpetuis bellis exerceantur.* 305.

V. *Inuidos, niſi fato naturali tollantur, aliâ ratione mature, è medio tollendos eſſe.* 306.

VI. *Pacem impediri poſſe, ſi effeceris, vt magnum facinus aduerſus illum perpetretur, cum quo pacem fieri non vis.* 307.

VII. *A conſeruandâ Patriæ libertate, nullâ iuſti iniuſtiué, ſeu quâcunque aliâ notâ, nos abſtrahi debere.* 308.

VIII. *Ea, quæ coactus promiſiſti, non neceſſe eſſe, vt ſerues.* ibid.

IX. *Vt ab altero quidpiam impetres, ſæpe commodiſſimum eſſe, vt nullum deliberandi ſpatium ei concedas.* 310.

§. V. *Ex his intelligi, nullam Macchiauello ſalutis & virtutis curam eſſe; virtutes ſolùm naturales, quarum facilis eſt abuſus, non veras ab illo commendari.* 311.

CAP. VII.

Vitia à Pſeudopoliticis laudari, virtutes veras Politiæ noxias aut inutiles cenſeri, ſolâ earum opinione, nec integrâ quidem relictâ.

§. I. *SVPPETIAE. Falſi Politicum reum eſſe, ſi vitia laudet, virtutes veras noxias dicat.* 313.

§. II. *VINDICIAE. A Macchiauello bonum Principatum reprehendi, vitioſum laudari.* ibid.

§. III. *Ex eiuſdem doctrinâ veras virtutes, etiam legitimo Principatui nocere.* 315.

§. IV. *SVPPETIAE. Quarundam virtutum opinionem nihil prodeſſe, ſed potius obeſſe Principatui; amorem & odiũ*

non

non effici à virtute & vitio, ſed opinione vtriuſque. 317.
§. V. VINDICIAE. Si vera virtus non nocet bono Principatui, neque eius opinionem nocere; famam veræ virtutis amoliri, aut vitij, opinionem, aucupari non licere. 318.
§. VI. Scioppium, cum negat amorem, effici à virtute, & ſibi, & veritate contradicere. 320.
§. VII. Alia Scioppij repugnantia; vitia Principum bonâ opinione, non diu tegi; eam amoris cauſſam non eſſe, ſæpe vitia nominibus virtutum appellari. 322.

CAP. VIII.

Principatum vitioſum non ex naturâ rei, ſed hominum vitio, communem eſſe.

§. I. SVPPETIAE. Falſi Politicum reum eſſe, ſi dicat Principatum maximè communem, & plerisq; Principum accommodatum, vitioſum & iniurium non eſſe. 326.
§. II. VINDICIAE. Aliud commune eſſe ex naturâ rei, aliud ex hominum imperfectione; priori modo maximè commune eſſe, quod mediocritatem habet in omni genere; poſteriori, quod vitioſum eſt. 327.
§. III Politiam quoq; communem & vitijs obnoxiam, at ſimpliciter viticſam non eſſe, ſi vitia corrigantur; ſceleratam imperandi rationem, inter Principes Chriſtianos, communem cenſeri non poſſe. 330.
§. IV. Ab Ariſtotele Rempublicam maximè communem vocari, quæ conſtat ex ciuibus mediocribus, & ex naturâ rei talis eſt; Scioppium fallaciter loqui, vt putet vitioſam intelligi. 333.
§. V. Principatum vitioſum Principibus accommodatum non eſſe; vitioſum enim contra naturam, & nec vitioſo, quatenus tali, abſolutè accommodatum eſſe. 334.
§. VI. Principatum examuſſim optimum, nunquam ex-

titiſſe; nec magis à ducentis annis, quam antè, Principatus Catholicos accuſari poſſe. 337.

§. VII. *Principatum vitioſum à Macchiauello laudari, ideoq; & ipſum, & magis eius patronum, reum eſſe.* 339.

§. VIII. *Cenſuram Scioppio præmonſtrante, in Macchiauelli ſcriptis hucuſq; exercitam; ſupereſſe eius aduersùs veram Religionem iniurias & errores; validiſſimum noxij & improbi ſcriptoris argumentum.* 341.

LIBER TERTIVS.

Macchiauelli doctrinam Chriſtianæ Religioni plurimùm aduerſari.

CAP. I.

Moyſis in gubernando populo Dei, exemplo & autoritate, Macchiauellum improbè abuſum eſſe.

§. I. *Ex Macchiauelli ſententiâ Moyſen Cyro, Romulo, Theſeo non fuiſſe abſimilem; & occaſione quam fortuna obtulit, illorum inſtar vſum, armis ſtatuta ſua firmâſſe.* 344.

§. II. *Moyſen verâ fide ac virtute inclytum, cum idololatris comparari non poſſe; nec ſponte principatum ſuſcepiſſe.* 346.

§. III. *Moyſen à Deo poteſtatem accepiſſe; neq; ſuas ſed Dei leges promulgâſſe; neq; ex ſuo arbitrio gubernationem inſtituiſſe.* 347.

§. IV. *Occaſione imperandi ſemotâ, non ideo virtutem extingui, vt in ipſo Moyſe apparet.* 349.

§. V. *Populum Dei, Moyſis cauſſâ in Aegypto captiuum non fuiſſe, ſed Moyſen illius liberandi cauſſâ à Deo miſſū.* 350.

§. VI. *Potuiſſe à Moyſe & alijs, licet inermibus, leges ſtabiliri, ſi Deo placuiſſet.* 361.

Digitized by Google

§. VII. *Calumniam eſſe, cum Macchiauellus dicit, ſubditos à Pontificibus negligi.* 352.

CAP. II.

Vitia declinari, & virtutum præcepta à Principibus obſeruari poſſe; & aliquod illis conſtitutum eſſe tribunal.

§. I. *Ex Macchiauelli ſententiâ, nec vitia omnia declinari, nec virtutes ſeruari poſſe, aduerſante humana vitæ conditione.* 354.

§. II. *Macchiauellum cum hæreticis, Dei præcepta ſeruari non poſſe aſſerentibus, à Concil. Trid. damnatum meritò cenſeri; abſolutè enim illum loqui, & contra aliorum ordinem.* 355.

§. III. *Verba quoque Macchiauelli clara eſſe, cum negat aduerſante humana vitæ conditione id fieri poſſe; licet Sanctiſſimorum Principum exemplis refellatur.* 357

§. IV. *Poſſe ac debere à Principibus, omnia peccata mortalia vitari, & Sanctorũ exempla illis imitãda proponi.* 359.

§. V. *Macchiauellum, non ex concupiſcentiâ vti Lutherũ, ſed inde errorem ſuum fabricaſſe videri, quod putaret non poſſe nos vehementibus cupiditatibus obluctari, quin ijs obſequamur.* 360.

§. VI. *Veriorem cauſſam illam eſſe, quod imperium, aliaque bona externa, proprium præcipuumque Politicæ finem eſſe ſtatuerit.* 362.

§. VII. *Principatus, in quibus nihil peccetur, nullos & fictitios eſſe, neque talem imperandi rationem Principibus præſcribi.* 363.

§. VIII. *Si Macchiauellus ſeriò tribunal iudicis viuorum & mortuorum credidiſſet, Principibus ſuaſurum non fuiſſe: vt tribunalis ſecuri, & ſolâ honeſti ſpecie contenti, quibuſuis rationibus imperium tuerentur.* 365.

CAP. III.

Doctrinâ Macchiauelli de Fato & fortunâ, à Dei prouidentiâ & virtute animos abduci, & liberum arbitrium peruerti.

§. I. *Macchiauelli de Fortunâ ac fato, & liberi arbitrij aduerſus illud viribus, doctrina.* 369.

§. II. *Fatum in ſiderum influxu à Macchiauello collocari; eius tamen vim à nobis refringi; & fortunam fæminæ inſtar fuſte ſubagitari poſſe: hoc ludibrio fatum & fortunam à Dei voluntate alienari; non ſatis in errore illũ ſibi conſtare.* 374.

§. III. *Macchiauellum cenſuiſſe libertatem arbitrij extingui, niſi bona externa in poteſtate habeat.* 378.

§. IV. *Deum in manu arbitrij & conſilij noſtri reliquiſſe, actiones animi bonas & malas, virtutem & vitium; non item bona externa. Imperium, opes, honores; ſi Principes bona interna non negligant, Deum externa proſperaturum.* 379.

§. V. *Virtutem in aduerſis & proſperis, contra quàm opinatur Macchiauellus, plurimum momenti & efficaciæ habere, ac in vtriſque laudem mereri.* 383.

§. VI. *Macchiauellum fati ſiderei, contra doctrinam Catholicam, aſſertorem, abducere animos à diuinâ prouidentiâ; eam vti ad magna magnis & paruis, quos magnos facit; ex eiuſdem ordine diuinam vindictam placari poſſe.* 386.

§. VII. *Macchiauello autore ea arma pia eſſe, in quibus ſolis ſpes vertitur; ſed aduerſari Deum & SS. Scripturas.* 393.

§. VIII. *Appendix ex Libro I. diſcurſuum.* 393.

CAP. IV.

Verum Dei timorem ſub Numa tempora in regno Iudâ, non apud Romanos viguiſſe; nec cauſſam tanti Imperij falſa religioni à Macchiauello rectè adſcribi.

§. I. Mac-

Digitized by Google

§. I. *Macchiauello autore, cultum Religionis præclare à Numâ inſtitutum; & inde multis ſeculis nuſquam gentium tantum Dei timorem extitiſſe; hancq; cauſſam tanti Imperij eſſe.* 393.

§. II. *Cultum falſorum Deorum præclarè inſtitutum dici non poſſe.* 393.

§. III. *Temporibus Numæ, ante item & poſt, ſub Ezechiâ & Ioſiâ, Dei cultum ac timorem, apud Iudæos floruiſſe & refloruiſſe.* 396.

§. IV. *Timorem Dei apud Romanos verum non fuiſſe, cum à falſis Dijs nulla publica probitatis præcepta, ſed multa ſcelerum exempla acceperint.* 398.

§. V. *Romanos non ſacrilego Deorum cultu, ſed qualibuſcunq; bonis moribus, Imperij magnitudinẽ adeptos eſſe.* 400.

CAP. V.

Macchiauelli in Eccleſiam Romanam & Eccleſiaſticos, iniuria & contumelia.

§. I. *Falſam Religionem propter rationem ſtatus, fouendam non eſſe.* 403.

§. II. *Macchiauelli ſententiâ, Religionis præcepta in Ro-Romanâ Eccleſiâ adulterari atq; corrumpi; eandem in cauſſâ eſſe, cur Italia in partes diuiſa multis Principibus pareat, & aliorum præda ſit; niſi viri Sancti Chriſtianam religionem ad ſua principia reuocâſſent, Epiſcoporum aliorumq; Eccleſiaſticorum prauis moribus perire, & corrumpi eam planè potuiſſe.* 405.

§. III. *De moribus dudum reſpondiſſe Chriſtum; quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera autem illorum nolite facere. Habere hoc omnem aulam, vt mores incautorum corrumpat.* 410.

§. IV. *Minorem eſſe corruptelam in Curiâ Romanâ, quam paſſim in alijs aulis, teſte oculato Æneâ Syluio.* 413.

§. V. Cor-

§. V. *Corruptelam morum impiè à Macchiauello ad doctrinam transferri; Religionis præcepta in Eccleſia Romana adulterata nunquam eſſe; neque eam deficere aut perire poſſe.* 417.

§. VI. *Romani Imperij in Italiâ ruinam, Pſeudopoliticorum conſilijs & ambitione, non Eccleſiæ Romanæ culpâ contigiſſe.* 419.

CAP. VI.

Alia quædam, quæ contra S. Scripturam, & ſanam doctrinam Macchiauellus aſſeruit.

§. I. *Si Principi bellicoſo & feroci, alius moribus diſſimilis, & huic non iterum aliquis primo ſimilis ſuccedat, Macchiauelli opinione, Imperium neceſſariò ruere; ideoq; Roboamum regnum patris Salomonis, integrum non retinuiſſe.* 242.

§. II. *Scripturam Macchiauello clarè aduerſari, peccata Salomonis cauſſam fuiſſe, cur decem tribus ab eius filio defecerint.* 425.

§. III. *Rationem Macchiauelli inanem eſſe; poſſe regna ſub principibus non bellicoſis æquè à Deo conſeruari; Roboamum, licet bellicoſiſſimus fuiſſet, diuinis decretis obſiſtere non potuiſſe.* 429.

§. IV. *Crudele & inhumanum Macchiauello videri, prouinciâ aliquâ occupatâ, veteribus dirutis nouas vrbes ædificare, & incolis pulſis omnia omnibus eripere.* 431.

§. V. *Fallacem eſſe hanc Macchiauelli pietatem & S. Scripturæ aduerſam; Dei mandato filios Iſrael, ſeueriùs egiſſe cum Chananæis; iuſtis ex cauſſis Deum id imperâſſe, ac etiam ſine tali imperio, fieri poſſe.* 432.

§. VI. *Macchiauellum eo inclinâſſe, vt crederet aerem ſpiritibus plenum eſſe, qui ex beneuolentiâ hominibus futuros motus per ſigna præmittent.* 437.

§. VII. Er-

§. VII. *Errorem hunc eſſe Platonicorum, Catholicæ doctrinæ non conſentaneum.* 438.

§. VIII. *Dæmones cum futura prænuntiant, fallaces eſſe, nec fide dignos; à Deo futura mala ſignificari ad cautelam & emendationem.* 440.

CAP. VII.

Fortitudinem Chriſtianam, Reipublicæ gerendæ & defendendæ maximè accommodatam, & fortitudine Ethnicorum longè excellentiorem eſſe, aduerſus Macchiauelli blaſphemias demonſtratur.

§. I. *Macchiauello impio iudice, Ethnicos fortiores fuiſſe Chriſtianis, ob religionis diuerſitatem; nos à veritate duci ad contemptum mundi & honorum; ſacra noſtra mollia & delicata eſſe; à nobis beatiores putari humiles; de iniurijs condonandis magis cogitari, quàm vindicandis; hanc eſſe cauſſam imbellis animi, & amiſſæ ac neglectæ libertatis, etſi magnitudo Imperij Romani non parum etiam ad id fecerit.* 442.

§. II. *A Macchiauello inauditam inter Chriſtianos, Religioni Chriſtianæ iniuriam inferri; ſicuti Temperantia moderatur delectationem, ità fortitudine reprimi timorem, ne obſtet virtuti.* 446.

§. III. *Fortem impauidum eſſe ad pericula mortis; præſertim in bello, ſiue communi, ſiue particulari; fortitudinem magis elucere in ſuſtinendo, quàm aggrediendo; actiones illius non eſſe iudicandas, niſi quatenus finis adiungitur.* 448.

§. IV. *Vitia, aut quaſdam non veras virtutes Fortitudinis nomen inuadere; Politicam nimirum, Experientiam, Iram, Fiduciam, Ignorantiam.* 454.

§. V. *Chriſtianam fortitudinem eſſe maximam, ob immenſum gloriæ pondus, finis & præmij loco propoſitum; præcepta item, & exempla fortiſſima.* 457.

§. VI. *Chriſtianâ fortitudine non ſolùm cælum & ſalu-*

tem,

Digitized by Google

rem, ſed Imperia quoque obtineri, aut ſtabiliri; bellicâ fortitudine Ethnicos à Chriſtianis ſuperari; neq; eſſe his aptiores Reipublicæ defenſores & moderatores, ſi leges Chriſti ſeruent. 460.

§. VII. Mundi & honorum contemptu verè magnanimos effici; à Chriſtianis non contemni Rempublicam & Imperia, ſed illecebras adiunctas; neque deſeri ab iis, qui in his Deo vocante, operæpretium facere poſſunt; æſtimari terrena, ſed non ſupra ſuum pretium. 465.

§. VIII. Delicatam mollitiem à Macchiauello, Chriſtianis ſacris ſceleratè obiici; contineri iis omnes fortitudinis ſtimulos, & vim impetrandi felices ſucceſſus. 467.

§. IX. Pulchrè inter ſe conuenire humilitati, & magnanimitati; ſuperbos à Deo proſterni; felicitatem Principum Chriſtianorum in humili, iuſto, miſericorde, pio Imperio ſitam eſſe; eiuſmodi Principes quibuſuis præferri: eorum præmium in cælo eſſe maximum; humilitatem ſummum bonum falsò dici. 470.

§. X. Præcepta de tolerandis iniuriis non aduerſari Reipublicæ; pertinere magis ad præparationem animi; Vindictam legitimā non prohiberi, ſed odium & maleuolentiā. 476.

§. XI. Libertatem à Chriſtianâ religione non eſſe populis ademptam, cum liberos non inuenerit; à multis Chriſtianis retineri; non eſſe laudabilem, niſi legitimam. 482.

§. XII. Orbem Chriſtianum non Chriſtianæ Religionis obſeruantiâ, ſed neglectu & violatione imbellem fieri; iniuſta bella & imperia eſſe ſupplicia peccatorum. 484.

§. XIII. Eſſe hanc veram Chriſtianæ Religionis interpretationem, quam ex veritatis intuitu nos diſcere, ipſe affirmat Macchiauellus. 486.

§. XIV. Bella, iudicia, magiſtratus, non niſi ex hæreticorum ſententiâ, Chriſtianis prohibita eſſe; Macchiauellum prætextu interpretum, ipſi Religioni iniurium, & blaſphemum in eam fuiſſe. 488.

§. XV. Ap-

§. XV. *Appendix ex alij Macchiauelli locis.* 489.
I. *De Fato & Fortunâ.*
II. *Macchiauellũ videri animam mortalem facere.* 490.
III. *Reipublicæ cauſſâ, nullam iuſti iniuſtiue notam refugiendam.* 491.
§. XVI. *Macchiauellum Ethnicis ſcriptoribus eſſe deteriorem; ex eius doctrinâ, ſublato Dei timore & vero cultu, ipſomet teſte ſequi ruinam Imperiorum; multa alia præterea ad Cenſuram vocari poſſe.* 492.

CAP. VIII.

Macchiauelli, eiuſq; Cauſſidici inexcuſabilis improbitas, & criminum Scioppianorum Anacephalæoſis.

§. I. *SVPPETIAE. Politicum, ſi modos vitioſæ Reipublicæ conſeruandæ, hypotheticè, & bonâ intentione tractauit, & alicubi apertè vituperauit, culpari non poſſe* 495.
§. II. *VINDICIAE. Macchiauellum Religionem Chriſtianam violâſſe; veræ Politices fundamenta, Categoricè & aſſertiuè peruertiſſe; ſcelera nuſquam seriò vituperâſſe; neque Principes minus malos, ſed peſſimos efficere; ideoq; ab Ecclecleſiâ iure damnatum eſſe.* 496.
§. III. *Scioppium quoque infelicem Cauſſidicum, Eccleſiæ autoritatem violâſſe; Macchiauelli omniumq; Pſeudopoliticorum errores ſuos feciſſe; S. Thomæ & Ariſtoteli, alijsq; ſcientijs vim & iniuriam intuliſſe; Chriſtianam denique Politicam, Pſeudopoliticis ſuppetiis, penitus ſuſtuliſſe.* 501.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Errata ſic corrige.

Pædiæ fol. 4. v. 23. *lege hìc & alibi,* pædiæ. *reprehenſionem f.* 25 v. 15. *l. hic & alibi* reprehenſionem. *Analyttiæ. f.* 26. v. 10. *l hìc & alibi* Analyticæ. *Gazà f.* 42. v. 28. *l.* Gaza. *illos. f.* 44. v. 30. *l.* illo. §. *VI. f.* 49. *l.* XI. *παρεγματείας f.* 49. v. 23. *l.* πραγματείας, & v. 28. *l.* πράττειν. & *f.* 20. v. 2. πρακτικήν. *Pariuntur: f.* 50. v. 9. *l.* patiuntur. *figuramq́; f.* 63. v. 7. *l.* figurarumq́;. *Pſeudologicus fol.* 66. v. 25. *l.* Pſeudologicas. *Veram f.* 77. v. 21. *l.* verum. *Pſeudolitiam f.* 93. v. 8. *l.* Pſeudopolitiam. *mercatur f.* 102. v. 5. *l.* mereatur. *diſſputationem f.* 114. v. 9. *l.* diſputationum. *præferentiæ. ib.* v. 22 *l.* præferentia. *Epitectus. ib.* v. 28. *l.* Epictetus. *faciendum. f.* 115 v. 9. *l.* faciendorum. *Pareneticam. f.* 123. v. 5. *l* Parænetica m. *habere. f.* 158. v. 28. *l.* haberi. *trectare. f.* 191. v. 9. *l.* tractare. *Respublicæ. f.* 213. *l.* Reſpublicæ. *Iudeos f.* 223. v. 22. *l.* Iudæos. *licentiarum f.* 250. v. 8. *l.* ſcientiarum. *conuinctum fol.* 269. v. 13. *l.* coniunctum *Rom.* 3. v. *f.* 272. v. 16. *l.* Rom. 3. v. 8. *iniuſtæ ib.* v. 13. *l.* inuictæ. *f.* 278. v. 23. *dele* cap. *confædcrantes. f.* 298. v. 6. *l.* confæderatos. *obtineantur. f* 311. v. 1. *l.* obtineatur. *hærecisq́; f.* 419. v 26. *l.* hæreticisq;. *Gynæcæi f.* 421. v. 7 *l.* Gynæcei. 1. *Epheſ.* 2 *f.* 440. v. 4. *l.* Epheſ. 2. *cervantibus. f.* 458. v. 3. *l.* certantibus.

Alia talia, vel leuiora, quæ occurrent, benignus Lector facilè aduertet, & feſtinationi condonabit.

Digitized by Google

Digitized by Google